


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

[redacted]

M. TULLII CICERONIS

DE LEGIBUS

LIBRI TRES.

RECENSUIT SCRIPTURAE DISCREPANTIA
INSTRUXIT ENARRAUIT

DR. C. F. FELDHUEGELIUS.

UOLUMEN I.

PROLEGOMENA ET UERBA SCRIPTORIS CUM
SCRIPTURAE DISCREPANTIA CONTINENS.

CIZAE, MDCCCLII.
IMPENSIS ET TYPIS WEBELIANIS.

UIRO

DOCTISSIMO HUMANISSIMO SUMME REUERENDO

GUSTAUO KIESSLINGIO

PHIL. DR. ET AA. LL. MAG.

RERUM SCHOLASTICARUM IN PROUINCIA BRANDENBURGENSI

PRAESIDI

HUNC QUALEMCUMQUE LIBRUM

ANIMUM GRATUM BENEFICIORUMQUE ET A PATRE ET

A FILIO ACCEPTORUM MEMOREM TESTIFICATURUS

DICAUIT

EDITOR.

PRAEFATIO.

Quid qui superiore aetate hos de legibus libros ediderunt et in oratione refingenda et in rerum sententiarumque interpretatione profecerint, satis constat. Etenim in oratione quis est, qui neget quaedam reficta esse a P. Manutio, Rob. et Car. Stephanis, plura a Lambino et Dauisio, plurima autem et ad orationem emendandam et ad interpretationem contulisse Turnebum. Nec qui postea hos libros ediderunt, Goerenzium, Moserum, Orellium de oratione emendanda mediocriter meruisse negauerim. Nihilo uero secius uel qui benignissime de istis est iudicaturus, concedat necesse est, eorum neminem in critica arte factitanda a certis quibusdam ac firmis profectum esse principiis. Nec fieri id potuit, cum nec hi, quae codicum esset cognatio quaeque dignitas, exquisiuissent, et Goerenzius, hoc ipsum periclitatus, a recta uia deflexisset. Nostra demum aetate ad criticam artem recte factitandam uiam muniuit uel Maduigius, quod uerius de codicum dignitate sentire coepit *), uel Bakius copiis criticis plenius ac diligentius nobiscum communicatis. Uerum ut Maduigius singulos tantum horum librorum locos emendare, non perpetuam eorum recensionem instituere conatus est: ita Bakius subsidiis sibi paratis ita usus est, ut non satis inde proficeret magisque etiamnunc multa his in libris profliganda esse monstraret, quam ipse futuro editori plurima praeciperet. Quid? quod, cum nonnulla primus recte emendaret, plura recte iam constituta a superioribus rursus deprauauit. Quae cum ita sint, operam non male me collocaturum esse putaui, si et acceptis, quae recte a Bakio et superiori-

*) In disput. de emendandis libris de legibus, programmati Hauniensi praemissa p. 6. et in Emendationibus, quas scripsit in Ciceronis libros philosophicos. Hafniae 1836.

bus essent constituta, et correctis, quoad fieri posset, mendis adhuc relictis nouam horum librornm recensionem ita instituerem, ut aut integram sequerer eorum codicum auctoritatem, quos prae ceteris meliores cognouissem, aut si et ipsi essent deprauati nec reliqui ueram scripturam tenerent, meliorum potissimum codicum mendis coniecturam superstruerem, cum in his codicis archet. scripturam uidissem religiosius esse seruatam, quam in reliquis. Quod ut recte fieri posset, codicum et dignitatem et cognationem, quam fieri posset diligentissime, explorandam putaui. Quae quidem quaestio quod non ita est profligata, ut omnia, minima maxima, subtilissime sint circumscripta, eius rei causa uel in eo posita est, quod Dauisius et Goerenzius codicum discrepantiam nec satis plenam, nec diligenter satis excerpserunt, uel hoc continetur, quod deteriorum codicum alii ex aliis sunt correcti, ut primitiua eorum cognatio aliquantisper sit obscurata. Libere autem iudicandi facultas ut uel eis esset, qui hac mea editione uterentur, ubicunque aut recepta scriptura a codicibus recederet, aut dubitationi adhuc obnoxia fuisset, scripturae discrepantiam quam plenissimam ita apposui, ut et recepta scriptura qua auctoritate niteretur, constaret *), et discrepantia ceterorum cognosceretur. Qua in re etsi breuitati studui uel maxime, non eam tamen, quam uellem, consequi potui breuitatem, quia saepenumero ex Bakii silentio, quae in codicibus essent, diuinari oportebat nec id factum esse par erat legentes celari **). Praeter tres autem codices a me ipso collatos, quorum unus (Gd. 2.) in optimis est, in usum meum conuerti copias a Bakio, Mosero, Goerenzio, Dauisio suppeditatas. Ulterius progredi non utile uidebatur, quia quae ante Dauisium ex codicibus passim excerpta sunt

---

*) Non satis enim esse his in libris existimo, in quibus multa ab aliis aliter constituta sunt ac multa uulgata, quae qua auctoritate niterentur, ignoratum est, discrepantes tantum scripturas excerpere, eorum codicum auctoritates, quibus recepta scriptura firmetur, silentio praetermittere.

**) Breuitatis causa plerumque hoc litteris declaraui: s. f. s. id est: si fides silentio est.

a Manutio, Lambino, Grutero, et ita manca sunt, ut nihil paene uideantur habitura utilitatis, nec usquam fere a codicibus recedunt accuratius excussis *). Nec uero discrepantias commemoraui ex editt. uett. excerptas, quia omnes ex eis codicibus fluxisse certum est, quorum etiamnunc nobis usus concessus est; nec eas aut utilitatis aut iucunditatis aliquid habituras cognoui, nisi eis textus, quem uocant, quasi quaedam historia contineretur. Hanc autem, cum maxime uellem, contexere non potui, cum non omnes ad manum essent editiones, quas in adornanda ea spectari oportebat. Diuersam rationem ibi tantum sum secutus, ubi coniecturam a me receptam iam in antiquis editionibus uidi expressam.

In critica autem arte factitanda cum praeter codices uel maxime et sententiarum nexum atque progressum, et uim formamque orationis oporteret spectari nec omnino carere possem interpretatione: plenam et uerborum et rerum adiunxi interpretationem, ita tamen, ut breuitati quam maxime studerem et ibi tantum pluribus res persequerer, ubi aut falsae superiorum interpretum opiniones etiamnunc multis aut omnibus probatae refutandae erant, aut res ita obscurae erant, ut paucis uerbis non possent profligari.

In quo si cui leuiora et notiora admixta quaedam uidebuntur, is memento multa in his a superioribus esse peccata, quae ne incerta quaedam reliquisse uideremur, silentio praeteriri non potuerunt. Cum autem ad subtiliorem horum librorum cognitionem multum ualeat intelligere, et quo tempore scripti sint libri, et quos potissimum auctores secutus sit scriptor: ne has quidem quaestiones, a multis nostra aetate agitatas, praetermittendas putaui. Denique ut uno in conspectu res omnes ponerentur, quae his libris explicarentur, singulorum librorum argumenta enarraui. Quae mea opera num his libris uel lucis uel salutis aliquid attulerit, alii iudicabunt; uoluntatem mihi non defuisse profiteor.

---

*) Ab hac ratione ita tantum decessi, ut, si quando utile uideretur, Gruterianorum codicum discrepantiam in Moseri editione descriptam commemorarem; nam ipsa Gruteriana editione uti mihi non licuit.

Cap. I. De codicibus.

Codices horum librorum partim diligenter, partim negligenter excussi sunt satis multi. Nam praeter eos, quos antiquiores horum librorum editores ita adhibuerunt, ut orationem ex eis refingerent ipsorum codicum aut non facta mentione, aut ita iniecta, ut uniuerse librum uel libros ueteres secutos se esse dicerent, ueluti Manutius, Ursinus, Lambinus, alii perquam multi suppetebant Grutero, Dauisio, Goerenzio, Mosero, Bakio. Illos quidem curare non uidetur operae pretium esse, nec discrepantiae fere quicquam inde excerptum est, quod non aliunde innotuerit, et si quando excerpta est discrepantia aliunde non cognita, errorem commissum licet odorari, ueluti cum Grut. in S. Uict. III, §. 39. esse dicit: in eo sit ipso, nec denique potest explorari, utrum ab iis, qui diligentius excussi sunt, diuersi sint, an sint potius iidem. Quocirca illis exclusis Gruteri tantum, Dauisii, Goerenzii, Moseri, Bakii codices curandos esse censeo, quos deinceps enumerabo.

A. Gruteri codices.

Quatuor codicibus usum se esse dicit Gruterus, duobus palatinis, quorum unum tertium (pal. 3.), quartum (pal. 4.) alterum uocat, Fabriciano et S. Uictoris.

B. Dauisii codices.

Dauisius discrepantes scripturas ex septem codicibus excerptas in Tullii oratione refingenda adhibuit:

a. codicis Parisini (Par.), seruati in Iesuitarum parisinorum bibliotheca et sexcentorum fere annorum, ut Io. Walkerus existimauit. Quod si ita est, saeculo exaratus est duodecimo.

b. cod. regii (Reg.), in Iacobea Britanniarum regis bibliotheca seruati. Mutilum hunc codicem esse ait et quadringentorum fere annorum. Quod si ita est, est saeculi quarti decimi.

c. Harleiani utriusque (Harl. 1. 2.), cuius usum concessum sibi esse dicit ab Eduardo comite Oxoniensi. Quo-

rum eum, quem secundum nominauit, nonnihil uetustiorem esse dicit altero, quem saeculo XIV. assignat.

d. codicis a Rich. Medo, primario inter Londinenses medico, subministrati (Med.), qui saeculo XV. scriptus esse dicitur.

e. denique Eliensis (El.), quo nomine appellat discrepantes scripturas a uiro docto ex codice aliquo editioni Rob. Stephani adlitas, et Balliolensis (Ball.), qui unus est ex Oxoniensibus, quos et ipse, si quando utile uidebatur, adhibui *). Balliolensem autem eundem esse atque Oxoniensem ψ, cum alia, tum haec docent: I, 3. ex utroque excerptum est num; I, 41. faciet emetietur, et I, 46. naturaliter, quae neuter reliquorum habet; II, 11. iuris colendi, cum E habeat iurulenti, U uirulenti. Quod cum initio non perspexissem, accidit, ut passim in annotatione et Ball. et Ox. ψ citarem. Utrumque codicem dicit recentis esse aetatis.

C. Goerenzii codices.

a. Bruxianus (Br.), membranaceus, forma quarta, minusculis litteris scriptus, saec. XII., glossis interlinearibus, sed rarioribus distinctus.

b. Uindobonensis (Vd.), quem ipse Uiennensem nominauit et saeculo XIV. assignauit; cuius collationem accuratissime (?) factam Alteri beneficio ad se transmissam scribit **).

c. Gudianus prior (Gd. 1.), membranaceus, forma quarta, quem ad sacculi XIV. finem referendum esse dicit. Seruatur is in bibl. Wolfenbuttelana ***).

d. Gudianus alter (Gd. 2.), membranaceus, forma maxima, nitidissime scriptus, quem rectius saeculo XIII.

*) signati sunt sic: Oxx. EUψ.

**) Nostra aetate collationem codicis Uindobonensis (nam unum tantum horum librorum codicem mecr. Uindobonae reperiri affirmant in bibl. aulica) a Ferd. Wolfio accepit A. G. Zumptius, qui suam illius codicis collationem plane a discrepantia Goerenziana differre dicit.

***) sic, non Guelferbytana scribendum esse, Schoenemannus, illius bibliothecae praefectus, docuit in progr. quodam Helmstadiensi, quod editum est 1829.

exeunti, quam ineunti attribui dicit *). Seruatur is in eadem bibliotheca et denuo a me diligenter excussus est. Continet praeter hos de legibus plures alios Ciceronis libros.

e. Dresdenses duo. Quorum is, quem Dr. 2. uocat (membr. 97. fol. 4.), est membranaceus, forma quarta, litteris initialibus pictis et auratis, eleganter in Italia scriptus saeculo XV. ineunte. Continet praeterea Timaeum, Paradoxa, Somnium Scipionis. Commenticia igitur Goerenzius tradit, qui solos de legibus libros hoc codice contineri scribit. Quem priorem (Dr. 1.) Goerenzius uocat (membr. 342. fol. mai.), is itidem litteris initialibus affabre pictis et auratis eleganter scriptus est in Italia, ut periti harum rerum existimatores iudicant, circa a. 1460. Continet hic codex plures etiam alios Ciceronis libros.

f. Casselanus (Bass.), quo nomine appellat discrepantes scripturas Uictorianae editioni adscriptas, quas is, qui adscripsit, ex Casselano codice se excerpsisse significauit. A Zeunio eas sibi transmissas esse ait.

g. Uffenbacensis (Uff.), quem his in libris tam male lacerum, tam euanidis litteris esse dicit, ut in admodum paucis sibi usum praebuerit.

D. Moseri codices.

a. Creuzerianus (Cr.), olim Uffenbacensis. Qui utrum sit idem, quem Goerenzius usurpauit, id quod uel ex communi eorum nomine, uel hinc collegeris, quod Moserus quoque in hoc codice scripturam admodum pallidam et euanidam esse dicit, ita tamen, ut accuratius inspicienti litterarum ductus fere omnes appareant, sciri nullo pacto potest, cum Goerenzius Uffenbacensem paucis tantum locis diserte nominauerit. Cum autem plerisque ille locis a Creuzeriano discrepare dicatur, ueluti II, 20. (uirginesque Uff. uirgines[que] Cr.); I, 26. (obscurarum necessarias Uff. obscura nec satis intelligenda Cr.); II, 11. (iu-

*) Halmius in progr. Monacensi, quod edidit 1850, scriptum esse dicit saec. XIV. in Gallia.

ris colendi Uff. iuris colenda Cr.); II, 46. (res pars Uff. res et ars Cr.): non saue ueri simile est, Goerenzii Uffenbacensem eundem esse atque Moseri Creuzerianum, nisi forte Goerenzii negligentia in aliorum codicum discrepantia excerpenda conspicua in hoc insignis fuit.

b. Wyttenbachianus (W.), qui cod. olim Wyttenbachii fuit, nunc Creuzeri est, quemque uideri ait saec. XV. exaratum esse.

c. Monacensis (M.), a Spengelio collatus, membranaceus, forma quarta, plenus compendiis; saeculi XVI exeuntis esse dicitur. Mendis, quae librarii stupori debeantur, est admodum inquinatus.

Praeterea uero usus est Moserus discrepantia scripturae, quam I. A. Fabricius et Uictorius e codicibus bonis excerptam libris suis adscripserunt. Et Fabricii quidem collatio, quae asseruatur in bibliotheca regia Hauniensi, ultra mediam libri secundi partem non progreditur. Copiae autem Uictorianae b (sic enim appellauit Moserus, ut ab aliis copiis, quas Uictorianas a uocat, distingueret), usque ad finem libri tertii procedunt. Quas cum Orellius IV. p. 1. pag. 555. dicit esse scripturas ex codicibus et editionibus uel bonis uel prauis corrasas, errat profecto ad copias Uict. b. transferens, quod cadit tantum in copp. Uict. a, quas ipsius editioni idem Uictorius adscripserat quasque item Moserus commentariis suis inseruit. Cfr. Madu. progr. p. 5. Utraque collatio et ea, quae in bibliotheca Hauniensi asseruatur, et Copiae Uict. b, excerpta est ex codice perquam bono, id quod luculenter perspicitur, si copias istas cum scripturae discrepantia comparaueris, quam Bakius ex codicibus Uossianis integram excerpsit. Etenim collatio a Fabricio instituta ita omni ex parte uel in minimis congruit cum codice Uossiano A, ut ex hoc ipso eam deriuatam esse certum sit. Cfr. I. §. 14. incogniti de tenui est, in usu necessarium. I. §. 31. tum sua asperitate. I. §. 33. inter se omnes. II, 10. mens diuina esse. II, 13. aliquas. II, 14. tutias et apuleias. II, 16. experti nequeas. II, 19. endo coelum. Quare si II, 12. idemque a Fabricio excerptum est, cum ex cod. A a Bakio excerptum sit idemne,

hoc et alia generis ejusdem sane leuissima errori tribuenda sunt aut Fabricii aut Bakii. Copiae autem Uictorianae b, etsi cum codicibus A 11. 65. mirifice congruunt, ueluti III, 23. uituperabilis. III. 20. ruinis et inscitiis. II, 58. XII. milia. II, 10. mens diuina esse. II, 14. tutias et apuleias. II, 21. caristo lesto. II, 24. casto corpore adeatur. II, 47. [at] inquit. II, 48. quaerentur. II, 57. contegerat: tamen alias aut a codice A solo discrepant cum cod. 11. et in primis cum 65. congruentes, ueluti II, 28. detestaturque Uct. b. 11. detestatque A. detestataeque 65. II, 65. hermasos quos Uict. b. 11. 65. II, 5. dum sit illa maior Uct. b. 11. 65. III, 28. sed declarat et ut Uct. b. se declarat et ut 65. sed eelaterat et ut A. II, 48. quo morte testamentoue Uct. b. 65, aut a tribus illis omnibus paullisper differunt, ueluti II, 63. eumne quid ueri (quom ni quid ueri A 11. cum omne quidem ueri 65.) II, 62. uides sed [credo] (uidisse credo A 11. 65). Quare non dixerim ego, utrum ex horum aliquo copiae istae sint deriuatae et paucae istae discrepantiae sint errori tribuendae uel Bakii uel Uictorii, an ex codice alio istorum simillimo sint excerptae. In utramcunque autem partem discesseris, hoc certum est, ex uno aliquo codicum meliorum copias istas esse deriuatas. Nec enim fere usquam scripturam tenent, quae in meliorum aliquo non reperiatur. Denique uero Moserus commemorat sex codices Parisinos, quorum tres (Par. a. b c.) contulit Baehrius, professor Heidelbergensis, tres (Ua. Ui. Pa.) Haasius, professor parisiensis, quorum tertius (Pa.) idem est atque Par. b. Moseri et Bakii cod. ε. Sed quemadmodum Baehrii collatio partem tantum libri primi complectitur: ita Haasii collatio octo tantum capita ceteris difficiliora continet. Nihil fere isti codices praeter menda quaedam ipsorum propria praebent, quo a deteriorum stirpe discrepent. Quamobrem paucis tantum locis eorum mentionem feci.

E. Bakii codices.

Bakius multos codices uel ipse contulit, uel eorum discrepantias ab aliis excerptas accepit. Et ipse quidem con-

tulit plures codices bibliothecae Lugduno-Batauae: tres codices Uossianos, codicem Perizonianum et alium quendam eiusdem bibliothecae codicem, quem littera C designauit, unum deinde codicem ambrosianum (α) et cod. Burneianum. Discrepantes autem scripturas ab aliis nactus est duorum codicum ambrosianorum et unius Parisiensis, itemque discrepantias a Lago-Marsinio e pluribus uel codicibus uel editionibus diligenter excerptas.

1. cod. Uossianus (A — Mss. Uoss. lat. fol. 84.), membranaceus, forma maxima, scriptura satis minuta, sed eleganti, hic illic paullum euanida. Scriptus est accurate, ut periti harum rerum existimatoros iudicant, saeculo XI. antiqua item manu subinde correctus, neglectis colloquentium indiciis. Continet praeter hos plures etiam alios Ciceronis libros.

2. cod. Uossianus (B — Mss. Uoss. lat. fol. 86.), membranaceus, forma maxima, scriptura aliquanto grandiore, quam A, sed item prae uetustate nonnumquam euanida, nec plus uno saeculo illo recentior. Scriptus est minus accurate, saepe male iunctis aut disiunctis uocabulis, tum antiqua manu correctus. Neglecta sunt colloquentium indicia. Sub finem truncus est, si quidem extrema eius uerba haec sunt III, 40: peccante senatu, quod fit ambitione. Is quoque plures alios libros complectitur.

3. cod. Uossianus (D — catal. p. 384. n. 100.), membranaceus, forma quarta, nitidissime, sed recenti manu scriptus, additis colloquentium indiciis.

4. cod. bibliothecae publ. (C — cat. p. 330. n. 118.), qui olim Nic. Heinsii fuit et quem littera C signauit, membranaceus, forma quarta, scriptura longobardica accurata et constanti, sed hic illic euanida, neglectis colloquentium indiciis, saeculi, ut uidetur, XII uel XIII; correctus subinde est uel suprascriptione uel in margine. Sub finem et hic truncatus est, si quidem eius uerba extrema haec sunt: a maioribus nostris nihil III, 5. 12. Continet etiam libros de nat. deor. et de diuinat.

5. cod. Perizonianus (E — cat. XVIII. n. 25.), membranaceus, formā maxima, manu satis recenti scriptus, collo-

quentium indiciis non additis. Plures etiam alios Ciceronis libros complectitur.

6. cod. **Burneianus** (δ — mus. brit. n. 148.) membranaceus, forma quarta, non eleganter nec accurate scriptus, neque ultra saeculi XIV. aut XIII. finem, ut Bakio uidetur, ascendens. Caret colloquentium indiciis. Ex hoc cod. non integram, sed potiorem tantum discrepantiam excerpsit. Continet etiam libros de nat. deor.

7. cod. **Parisinus** (ε — Mss. n. 2906.), cuius dilgentissimam collationem debere se ait Bootio, qui saeculo XV. scriptum uideri significarit. Habet is colloquentium indicia, ut plerique recentiores. Est autem cod. idem, quem Moserus Par. b appellauit, id quod uel ex catalogi no ab utroque commemorato perspicitur. Sed cum Moseri collatio intra sex priora libri primi capita constiterit, Bakii collatio libros duos priores complectitur.

8. tres codd. ambrosiani, qui omnes sunt recentis aetatis:

α. F. 137. P. sup. membranaceus, forma maxima, saeculi XV. Non est unius manus scriptura, sed utraque nitida et elegans habetque notulas in ore adscriptas.

β. D. p. 94. P. sup. membranaceus, forma maxima, saeculo XV eleganter scriptus.

γ. S. p. 64. P. sup. membranaceus, forma maxima, saec. XIV.

Praeterea uero nactus est Bakius discrepantes scripturas a Lago-Marsinio uel ex codicibus, uel ex editionibus excerptas, quae in bibliotheca collegii rom. asseruantur. Et ex editt. fluxisse ipse Bakius concedit eas collationes, quae numeris 49. 50. 124. 126. designatae sunt, et quidem 49. collationem esse dicit editionis Uictorianae ap. Rob. Steph. a. 1539, 50. editionis Lambinianae a. 1566, 124 autem et 126 collationes esse suspicatur editionis parisinae Turnebi et Manutianae. Quod num ita sit, equidem non ausim dicere, quoniam ad manum non sunt illae editiones. Uerum ex editionibus illas discrepantias esse repetitas inde elucet, quod multis locis coniecturas tenent, in nullo adhuc codice repertas, ueluti I, 4. opusculo; I, 24. animum tamen; II, 9. non habere, cum codd. omnes particula non careant; II, 47. saepe inquit; II, 26. omnia quae cer-

nerent; II, 57. ponitur ut; ibidem sepulcrum; II, 55. quibus nec ipsius, cum in codd. omnibus sit ut neque ipsius. Sed eam ipsam ob causam, quod coniecturas tenent in nullo adhuc codice repertas, eae quoque collationes, quae numeris 47. 48. 120. 122. 127. designatae sunt, ex editionibus, non ex codicibus putandae sunt fluxisse. Documento sint haec:

I, 4. habent 47. 48. 120. 122: opusculo; I, 55. bonum esse diceret 47. 48. 122; II, 34. satis superque 47. 48. 122; ibidem horumque 47. 48. 122; II, 42. uerum et 47. 120. 127; II, 45. ligneum 47. 48. 120. 122. 127; ibidem dedicato 48. 122; ibidem aues 48. 127; II, 50. deducta non sint 47. 48. 120. 122. 127; III, 55. tam denicales 122; III, 45. latrones 122: quae omnia ex nullo adhuc codice excerpta sunt.

Horum igitur librorum omnium praetermisi discrepantias, quia editiones ueteres in refingenda Tullii oratione nec animus erat consulere, nec opus uidebatur, quia eorum nulla nititur codicibus, qui discrepent ab iis, quorum discrepantiae nobis traditae sunt, ut quaecumque in eis existat discrepantia, coniectura sit existimanda. Quod contra excerpsi, ubicunque utile uisum est, discrepantias eorum librorum, quos Lago-Marsinius numeris 10. 11. 39. 58. 65. 96. designauit, quia nusquam fere scripturas tenent, quae non ex codice aliquo sint excerptae, ut ex codicibus eas fluxisse certum sit.

Quos adhuc enumeraui codices, ii non omnes eadem explorati sunt religione ac diligentia. Gruteri quidem, Dauisii, Goerenzii collationes quales sint, satis nunc constat post Maduigii atrem quidem, sed ueram disputationem. Cfr. eius praef. ad Cic. de fin. Et Gruterus quidem, qui illius aetatis mos erat, non integram ex codd. discrepantiam excerpsit saepeque ibi aut praetermisit aut non satis circumscripsit, ubi uel maxime eam requireres. Idemque dici potest de Dauisio, a quo merito Maduigius eos tantum libros inspectos esse ait, quos casus obtulisset. Quare unum tantum codicem uel paucos commemorat, cum omnes deberet, ueluti II, 6. uideam esse dicit in Par. El. Harl. 1, quod procul dubio fuit in omnibus; II, 7. in Par. et Reg. esse dicit in

narrationis carmine, quod in omnibus erat; aut nullam omnino discrepantiam excerpsit, cum nullus omnino codicum receptam scripturam tueretur, ueluti I, 34. tacite expressit sibi áliquid, quam alteri; II, 16. praestent iis, quae sint rationis expertia nefasque sit; II, 18. quidnam id est; III, 47. scitum est et iussum in omnes; quorum omnium nihil in eius codicibus erat. Ea autem, quae diserte ex codicibus excerpsit, num fide semper satis digna sint, ego non diiudicauerim. Omnium uero negligentissime in scripturae discrepantia excerpenda uersatus est Goerenzius, qui non solum idem fecit, quod Gruterus et Dauisius, ut nec integram ubique excerperet discrepantiam, et saepe aut nullam omnino enotaret, ubi codd. omnes aut plurimi a recepta scriptura deflecterent *), aut in paucis tantum codicibus discrepantiam esse diceret, cum in omnibus esset aut pluribus **): uerum etiam codices inter se permutauit, ut in Dr. 2. uel Gd. 2. esse diceret, quod fuit in Dr. 1. et Gd. 1, falsa ex codicibus excerpsit et noua quaedam commentus est. Ueluti I, 49. ex Gd. 2. ipsum excerpsit pro ipsi; II, 12. anne pro i. ne; II, 14. quam pro quom; II, 18. legem legis pro legum leges; III, 12. non modo multum pro non multum; II, 19. in omnibus suis codicibus esse ait neue ulla, quod in nullo fuit; II, 58. et ante aram in codicibus omnibus esse ait, quod, ut abest a melioribus, ita etiam abest a Gd. 2; II, 62. dicit in omnibus suis codicibus exempla esse, quod in nullo fuisse existimo, nec est profecto in Dr. 1. 2. Gd. 2. Atque haec multis ego augere possem exemplis, nisi et haec satis esse putarem et chartae parcendum ***). Quare si discrepantia tantum scrip-

*) II, 14. edidit praestent iis, quae sint rationis expertia, nefasque sit; II, 18. quidnam id est; II, 20. diuisque aliis alii sacerdotes, nulla suorum codicum discrepantia commemorata, cum tamen in eorum nullo ista fuisse constet.

**) III, 36. utinamque esse ait in quatuor tantum recentioribus, quod fuit in omnibus; II, 60. in uno Gd. 1. dicit esse nominant, quod deteriorum paene omnium est; II, 60. ast im in quatuor codd. esse dicit, quod fuit in omnibus.

***) Quae cum ita sint, non mirum est profecto eam codicis Uindobonensis discrepantiam, quam a Ferd. Wolfio accepit A. G. Zumptius,

turae a Grutero, Dauisio, Goerenzio excerpta nobis suppeteret, nec de codicum dignitate satis recte posset existimari, nec codicum ope ne iis quidem locis, quibus in codicem arch. mendum nondum irrepsisset, Tullii oratio ubique refingi posset. Quod ut nunc possimus, uel Moseri eximiae diligentiae, uel Bakii industriae debemus. Quorum ille codices Cr. et Wytt. ipse tanta explorauit diligentia, ut nihil fere discrepantiae ab eo praetermissum existimem. Monacensis autem codex, cuius collationem nactus est a Spengelio, non tanta uidetur collatus esse diligentia, ut sicubi discrepantia excerpta non sit, nullam in eo fuisse possis existimare. Bakius autem codices Uossianos et Perizonianum tanta religione excussit, ut ubicunque discrepantia non sit excerpta, eos cum recepta scriptura congruere merito possis existimare. Nec idem tamen de reliquis codicibus licet dicere. Et quidem ex Burneiano (δ) ipse tantum potiorem discrepantiam excerpsisse se dixit. Nec uero reliquos tam diligenter aut ipse contulit, aut ab aliis collatos accepit, ut ex eius silentio iure possis colligere, receptam scripturam esse in omnibus, quos quidem ipse non exceperit. Ueluti cum I, 34. in uerborum seriem receperit s i b i a l i q u i d a l t e r m a l u e r i t, certum tamen est eam non fuisse in cod. α, licet ex ipso discrepantia nôn sit excerpta. In quo si esset, in commentariis non solum ex codd. C et 65. id se recepisse diceret, sed etiam illius codicis mentionem fecisset. II, 6. cum e t e n i m in uerborum seriem receperit nec quicquam ex codd. α β γ ε discrepantiae excerpserit, certum tamen est e t e n i m tantum in cod. γ fuisse. Quod nisi esset, in commentariis non ex hoc e t e n i m se recepisse diceret, sed reliquos quoque codices, in quibus esset, nominasset. Idque luculentissime comprobari potest multis aliis exemplis, quae nunc perlustrare nolo. Cum igitur aliis locis recte, male aliis ex Bakii silentio colligatur, receptam scripturam in omnibus esse codicibus, quos ipse non exceperit, ubicunque ex silentio eius scripturam aliquam in codicibus quibusdam aut esse, aut non esse collegi, id diserte declaraui. Id quantum breuitati ob-

magnopere dissidere a discrepantia a Goerenzio prodita, praesertim cum ne Alteri quidem diligentia admodum laudabilis sit. Cfr. p. VII.

fuit, tantum profuit accurationi. Ceterum de Bakii silentio non iis tantum locis mentionem feci, quibus de codicum scriptura certam mihi uiderer facere posse coniecturam, uerum etiam locis iis, quibus id uel maxime dubium esset, ne qui mea editione uterentur, in scripturae discrepantia quicquam desiderarent, quod ex amplis Bakii copiis peti posse uideretur.

Codices autem isti et qui alii passim sunt inspecti, ueluti Lambini, Ursini, aliorum, omnes ex uno eodemque corrupto admodum ac mutilo codice fluxerunt, id quod declarant primum lacunae quaedam communes codicum omnium, interpretantium deinde additamenta quaedam reperta in omnibus, eiusmodi denique menda quaedam, quae miraculi sit instar eundem in modum casu orta esse in omnibus.

Et de lacunis ut primum dicam, codex nullus ultra libri tertii cap. 20. progreditur, cum ex Macrobii Sat. VI, 4. (cfr. fragmenta), sermonem, etiamsi non sit absolutus, tamen longius a Tullio productum esse constet. Quaeque deinde quinque locis — I, 40. I, 57. II, 28. II, 54. III, 17. — inueniuntur maiores minoresue lacunae, eaedem sunt in codicibus omnibus. Interpretantium autem additamenta ceteris insigniora haec deprehendimus: I, 3. uerumne sit; I, 34. de amicitia locus; I, 61. popularem alicuius definiti loci; II, 5. habet ciuitates duas (duas om. in codd. melioribus) et (uel sed) unam illam ciuitatem putat. II, 28. uincendi atque potiundi; deinde sandi, quod procul dubio ortum est ex standi uerbo. II, 60. de unctura quae. II, 60. praecipit altera lege, quod nouum cepit incrementum in deterioribus: praecipit altera lex uetat. Latissime autem patet genus illud mendorum, quae nata sunt librarii uel leuitate uel imprudentia. Et cernuntur illa quidem in uerborum syllabarumue uel omissione uel accessione, et in insigni quadam litterarum deprauatione. Quo in genere non desunt, quae nata sint aut duobus uel tribus uocabulis conflatis in unum, ueluti II, 24. quidem pro quoque eadem ($q^{o}eadem$); II, 26. infans pro in fanis; II, 32. summos pro si enim deos; II, 48. mo-

riturus pro moritur usu; aut eiusdem uerbi syllabis male diremtis, ueluti III, 48. de potestate tum iure. Et omissorum quidem uerborum haec habeto exempla: I, 54. quidem; II, 1. id; II, 16. comprehendat nulla; II, 68. quinque; III, 12. illis; additorum illa: II, 32. quod ante disciplinae; III, 36. qui post quidem. Syllabarum deinde omissarum haec exempla sunt: II, 28. manu pro humana; III, 24. nullos pro nonnullos; III, 42. quitur pro sequitur. Menda denique, quae in insigni litterarum cernuntur deprauatione, cum innumera sint, pauca quaedam ceteris luculentiora afferre satis habeo: II, 20. postea pro portenta; II, 45. lignum pro ligneum; II, 55. relectum terrae pro resectum terra; II, 61. eorum pro forum; II, 61. domusque pro dominusque; III, 20. Saturnini supplicio pro Saturnino, Sulpicio; III, 36. fletus pro fluctus et innocentes pro in nocturnis; III, 44. priuatos pro priuos; III, 45. patronis pro latrones. Ex his igitur omnibus quod elucet codices omnes ex uno aliquo iam admodum deprauato esse deriuatos, id cum Orellius iam tetigisset et Maduigius, ipse pluribus exposui in progr. Ciz. 1841. attigitque obiter Bakius in proleg. p. IX.

Iam etsi codicum omnium, id quod propter communem eorum originem fieri aliter non potest, locis plurimis eadem est facies uultusque plane idem: multis tamen locis aliis inter se discrepant. Quae quidem eiusmodi est discrepantia, ut ex duobus codicis archetypi apographis multifariam inter se discrepantibus deriuati esse uideantur *), ita tamen, ut alii ex ipsis uel eorum simillimis orti sint, alii ex eis, qui ab istis iam aliquantisper deflexissent et aut noua quaedam menda suscepissent aut ex alterius stirpis codice aliquo essent correcti aut coniectura denique tentati. Sed

*) Duplicem esse omnium codicum familiam iam Goer. contendit. Qui quidem quod praeter Gud. alterum et S. Uictoris Gruterianum etiam Dresdensem alterum, . Uff. Uind. Br. pal. 4. Harl. El. Meadinum in meliorum codicum numero habuit, prorsus a uero aberrauit. Nec uere A. G. Zumptius indicauit Uindobonensem unum in optimis habendum esse eorum, qui adhuc explorati essent.

quamuis aliis locis eiusdem familiae codices inter se discedant, tanta tamen est eorum inter se similitudo locis aliis, ut de duplice eorum stirpe dubitari omnino non possit.

Et ad alteram quidem familiam propter maximam inter se similitudinem et mirificam a ceteris dissensionem referendi sunt A B C E δ Gd. 2. 11. 65. S. Uict. Haun. copp. Uict. b; altera continentur α β γ ε D Cr. W. M. Par. Reg. Harl. 1. 2. Med. El. Oxx. E U ψ. Dr. 1. 2. Cass. Gd. 1. Uff. 10. 39. 58. 96. Quod quidem luculenter primum hinc elucet, quod plurimis locis Tullii uerba integra in illis sunt, in his inquinata et deprauata, ueluti I, 60. illi tenent caritatis, hi carnis; II, 17. illi uelle, hi uellem; II, 28. illi uel fors, hi uel forum; II, 39. illi quo plures, hi quod plures; II, 49. illi legata est, si inde, hi legata est aut si inde; II, 62. illi intelligant, hi intelligunt; III, 3. illi legem a me dici intelligi uolo, hi legem a me dici, nihil aliud uel nihilque aliud intelligi uolo; III, 37. illi hoc populo, hi a populo uel ab hoc populo; III, 36. illi doluitque, hi docuitque. Aliis autem locis, sed eis paucioribus, contaminati et inquinati illi sunt, integri ac sinceri hi, ueluti I, 14. hi adire tenent, illi ad Lirem; I, 24. hi fragilia, illi flagicia; I, 47. hi enumeraui, illi enumero inde uel uide; II, 19. hi libanto, illi liberanto uel liberando; III, 7. hi caelibes esse prohibento, illi caelibes sed prohibento *); III, 36. hi quoad uixit, illi quod aduxit; I, 31. illi naturam et II, 61. alioquin tenent, quod utrumque in his intercidit. Aliis denique locis utrique mendosi sunt, sed propria quaedam menda susceperunt; quae magna ex parte talia sunt, ut non saepius eodem modo nasci potuerint et ita tantum facilem explicatum habeant, si semel nata in principe utriusque stirpis libro in reliquos eiusdem familiae codices translata existimes. Cf. I, 14. ubi illi mendum tenent incogniti de tenui est, in usu ne-

*) hoc quidem loco cod. 65. habet, quod est in deterioribus omnibus: caelibes esse prohibento, sed natum est ex correctione, quemadmodum in C correctum esse Bakius indicauit.

cessarium *), in his est incognitum minusque uel minus quam in usu necessarium; II, 39. illi tenent indi, hi inde demi; II, 56. illi esse unam, hi esse humatam **); III, 9. illi escunt o'nes, hi estunto; ibid. equitatem uel aequitatem cunque qui regat, hi equitatem uel aequitatem quicunque regat; III, 10. illi prohibet se perscripta (in uno cod. 65. se scribendi errore praetermissum est), hi prohibet S. C. perscripta. Haec omnia, quae multis partibus facile augeri possunt, praesertim si paucorum quorundam codicum cum reliquis eiusdem familiae codicibus plerumque consentientium rara dissensione stirpis similitudinem non tolli intellexeris, tantum ualere existimo, ut de duplice omnium codicum stirpe dubitari non possit.

Iam si utrorumque codicum proprietates attenderis accuratius, codices A B C E δ Gd. 2. 11. 65. et sui similiores esse elucebit, quam alterius familiae codices sui similes sunt, et reliquis multo meliores. Atque mirifica eorum similitudo ubique fere ita manifesta est et superioribus exemplis confirmata, ut nouis eam comprobare nunc nihil attineat. Hoc unum animaduerti uelim, etsi omnium horum codicum satis magna sit similitudo, tamen codices CE δ Gd.2. sui esse similiores, quam iidem sunt reliquorum eiusdem stirpis codicum A B 11. 65, qui et ipsi rursus sui simillimi sunt. Cuius rei causa in eo posita est, quod A B 11. 65. saepe correctionem susceperunt ex codd. deterioribus, quam C E δ perraro, Gd. 2. fere nusquam suscepit; eiusque correctionis etiamnunc multis locis seruatum est uestigium in ipsis codicibus. Ueluti II, 11. pro iuuentas, quod est in C E δ Gd. 2, in A B 11. 65 correctione natum esse conditas Bakius declarauit; itemque II, 58. domina pro mina; II, 62. ceteros pro ceteri; II, 58. claros uiros pro

---

*) cod. E, in quo est incognitum est in uersu necessarium h. l. correctionem suscepit.

**) hoc idem correctione esse translatum in A 11. 65. luculenter inde perspicitur, quod in cod. B mirifice illo cum A conspirante etiamnunc correctio superscripta est.

clari uiri *). Eandemque esse aliorum locorum rationem, quibus correctionis uestigium in illis codicibus apparere non est indicatum, exemplis multis potest comprobari. Cf. I, 60. C δ Gd. 2. coniecerit, AB 11. 65. coëgerit; I, 33. CE δ Gd. 2. alium ab alio, AB 11. 65. alium alio; I, 44. C δ Gd. 2. naturae norma (natura norma E), AB 11. 65. naturali norma; I, 43. CE δ Gd. 2. quas non metu, sed ea, AB 11. 65. quas [non] metu et ea coniunctione. Ceteris autem meliores dixi hos codices omnes, non quod ipsi non multis mendis turpiter essent inquinati, sed quia fere nusquam in eis mendorum tollendorum elucet uoluntas (nimirum de genere loquor, non de singulis) et omnia fere tanta cum religione a librariis depicta sunt, ut casui et imprudentiae menda paene omnia deberi uideantur, quae in codice archet. nondum exstiterant, ipsaque codicis archet. menda religiosissime propagata. A quibus mirum quantum dissident codices reliqui, qui et multo minore scripti diligentia quam illi sunt et saepe mendorum tollendorum uoluntatem prae se ferunt. Quae si minus tollere menda potuit, at certe uocabula effecit latina saepeque uulnera obtexit magis quam sanauit atque de recta uia deduxit longius. Quocirca hos codices omnes deteriorum nomine nuncupandos existimaui. Ex ingenti exemplorum, quibus illud comprobetur, multitudine haec commemoro: I, 14. in cognitione tenue est; I, 21. deorum immortalium ui; I, 25. nihil nisi perfecta; II, 39. incidi; II, 45. dedicato; II, 58. ecquidnam; III, 9. equitatumque; III, 10. prohibessit; III, 35. iudiciis; III, 38. nos quidem; III, 48. plerosque. His quidem locis omnibus menda diligenter seruata in codicibus melioribus ueri facile inueniendi uiam monstrant interclusam correctionibus deteriorum.

*) Saepius autem tentata correctio est in cod. A, quam in B, ueluti III, 23. in B mendum seruatum est uitaperest, in A ex deterioribus translata correctio uituperabilis; itemque III, 38. B retinet mendum tollet, A correctionem tolleret suscepit. cf. praeterea III, 45. B amicia — A amicitia; III, 45. B priuilegii — A priuilegia.

Quemadmodum autem in principe deteriorum libro correctio saepe ita inita est, ut non modo ad Tullianam scripturam eliciendam nihil ualeat, uerum etiam eius exprimendae difficultates augeat: ita multis etiam locis aliis, quibus in principe deteriorum libro aut omnino tentata correctio non erat aut alio quodam modo instituta, in singulis quibusdam codicibus separatim tentata correctio est, ueluti III, 23. pro uituperabilis, quod in principe deteriorum libro fuit, in Dr. 1. et M. est uituperio est; III, 40. in M. et γ ab auctore, in W. et α ad auctoritatem, in 58. ad auditorem pro ad auctorem; III, 31. in 39. et 96. cupiditatibus pro cupiditatis; III, 35. in Dr. 1. et γ iudicio ea a nobili pro ea, quae in principe libro fuit, correctione iudicio ista a nobili. In hoc autem genere praeter ceteros eminent codices ambrosiani. Cfr. I, 21. ui et natura ($\beta\gamma$ Br.); I, 30. praeterii ceteris ($\beta\gamma$); III, 12. in libris illis. Coniecturas autem esse horum codicum a familia sua discrepantium scripturas eas, quae nec casui nec imprudentiae deberi uideantur, luculenter hinc perspicitur, quod multis locis cum correctione etiam mendum retentum est ex principe libro deriuatum, ueluti I, 18. et at potius (γ); I, 45. quod sit. quod si ita est (α 39.); II, 18. ueteribus duodecim ex his (γ), ueteribus duodecim his (β); III, 36. se sed ut ($\beta\gamma$); III, 38. ita istam (γ) *). Interdum ipsa coniectura denuo corrupta est, ueluti I, 33. in α (iustos naturo hos esse factos), ubi non dubium est, quin hos ortum sit ex hōēs i. e. homines, quae correctio tum tentata est, cum uerba ius nos in unum uocabulum iustos essent conflata.

His igitur correctionibus, quae uel in principe libro factae translatae inde sunt in reliquos, uel in paucis quibusdam codicibus separatim sunt tentatae, non solum minore, qua per plura exempla propagati sunt, diligentia effectum

*) Quod cum fugeret Halmium, uirum doctissimum, interdum his codicibus nimium tribuit in schedis crit. Schneideuini Phil. I. 172. incertis, ueluti II, 13. ubi coniecit cui quid mali fuerit, ulla est; III, 28. ubi parum recte praeter correctionem in codd. β et γ tentatam mendum etiam retineri uult deteriorum altera.

est, ut nec fide admodum digni sint, cum a melioribus discrepent, nec tanta eorum sit similitudo, quanta plerumque meliorum est. Ac tamen quosdam eorum sui esse similiores, quam omnes sunt omnium, ueluti β et γ, non ita difficile est intellectu. Nec dubito equidem, quin, si singuli codices diligentius explorentur, huius stirpis rami quidam possint distingui. Uerum cum subtilior ea de re nunc eo impediatur disputatio, quod plurimi deteriorum codicum parum diligenter sunt explorati nec magnus inde his libris fructus sit redundaturus, quoniam, cum utriusque generis codices inter se discrepant, hoc unum maxime quaerendum est, quid in principe utrorumque libro scriptum fuerit idque ex discrepantia alterius generis uel secum uel cum altero comparata plerumque diuinari potest: totam hanc quaestionem ut parum fructuosam nec propter mancam multorum codicum cognitionem rite profligandam praetermittere satius duxi.

Inter hos autem utriusque generis codices interiecti sunt Br. et Vd., qui alias consentiunt cum deterioribus *), cum melioribus alias **), nec ullam fere tenent scripturam notabiliorem, quae ex altero utro codicum genere non innotuerit; nam quibus locis sane paucissimis scriptura a Goerenzio excerpta est a ceteris omnibus discrepans, ibi recte errorem commissum nobis uidemur odorari, ueluti III, 42, ubi consecutus excerpsit, cum in melioribus sit cum secutus. Qui codices utrum descripti ex melioribus correcti sint ex deterioribus, an contra, etsi in tanta Goerenzii negligentia pro certo affirmare non ausim: magis tamen in eam inclino sententiam, ut deriuatos putem ex melioribus, correctos ex deterioribus, quoniam, si ex his manassent, non sane haberent menda aperta meliorum, quorum tollendorum periculum iam factum est in deterioribus, ueluti I, 39. indi.

*) I, 14. incognitum est minus, quam in usu necessarium; I, 50. ac nimis (nimium Vd.) istorum; III, 9. equitatem quicunque.

**) I, 31. prauitatibus; I, 39. indi; I, 62. ueri et falsi iudicandi scientia; II, 11. inuentas; II, 28. fors; III, 36. doluitque.

Iam si quaerimus, quam uim ista disputatio in his libris recensendis habeat, nimirum hanc habet, ne hanc illamue codicis alicuius scripturam arripiamus, ut aut, si probabilis sit, probemus, aut si probari non possit, emendationem loci ab ea repetamus, sed potius, ubicunque codices inter se discrepant, hoc quaeramus, quid in principe utriusque stirpis libro scriptum fuerit. Quo inuento si aut omnium aut plurimorum codicum consensu idem in utroque fuisse cognouerimus, hoc archetypo tribuamus necesse est ab eoque, si probari non potest, loci emendationem proficisci necesse est. Quod si passim aut singuli aut pauci codices a familia sua discrepantes scripturam eam tenent, quam a Cicerone profectam esse aut certum sit aut ueri certe simillimum: tamen coniecturam istam haberi necesse est. Quare iure probamus coniecturas, quae sunt in codd. β et γ I, 42. e a q u e q u a e; III, 28. s e d l a t e p a t e t ut necessarias; improbamus merito, quae sunt eisdem in codicibus I, 21. u i e t n a t u r a; I, 44. a u t c u r c u m; III, 30. p r a e t e r i i c e t e r i s. Utraque autem codicum familia cum inter se discrepat, nisi deterioris scripturam aut ueram aut eam esse perquam luculenter demonstrari potuerit, unde loci emendationem proficisci oporteat: meliorum codicum auctoritas sequenda est, siue integra Tullii uerba in eis prodita sunt siue menda propagata, quae in codicem archet. iam irrepserant, aut certe eius simillima. Atque si quando AB 11. 65. discrepant a CδEGd.2., quia illos saepius correctiones suscepisse uidimus, hos potius spectari oportet, quam illos. Quo in genere grauiter Bakius peccauit, qui codicis archet. speciem refecturus et nimium illorum codicum auctoritati tribuit et saepe deteriorum quorundam librorum correctiones ipsi probatas in uerborum seriem recepit. Nec eo tamen secius magna ei habenda gratia est, qui integra Tullii uerba uel ex codicibus melioribus pluribus locis restituerit uel coniectura ex illorum mendis expressa.

Hanc igitur rationem pertinaciter secutus, ut ubique, quid in cod. arch. et in principe utriusque familiae libro fuisset, inuestigarem, haud pauca mihi uideor uel ex ipsis codicibus Tullio rectius restituisse uel correxisse coniectura,

quae aut coniuncta utrorumque codicum aut sola meliorum auctoritate nitatur *). Nam latissime his in libris latere oportet coniecturam nec probabilior tamen ulla est, quin, praeter quam quod et ab sententia et ab oratione commendetur, simul aut codicis archetypi, aut si extricari id non potest, meliorum codicum mendo nitatur, sed mendo alicui superstructa sit ex deteriorum librorum aliquo arrepto: nisi forte talis est, ut et a sententia et ab oratione efflagitetur, quaeuis alia excludatur, qualis est Manutii II, 1. nam id opinor, Maduigii II, 19. cultos acceperint, mea ibidem

*) Cfr. praeter alia I, 7. in orationibus autem multis et ineptis elatio summam impudentiam; uulgo in orationibus autem multas ineptias, elatio cet. I, 27. oculi in primis arguti; uulgo oculi nimis arguti. I, 35. quae dixisti adhuc; uulgo quae dixisti Attico. I, 44. aut cum ius ex iniuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? uulgo aut cur cum ius cet. I, 49. suapte ui; uulgo suapte natura. I, 52. cum ista oratione; uulgo ad istam orationem. I, 63. recte uero facis et merito et ipse fuitque cet.; uulgo uero: facis et merito fuitque cet. II, 1. siue aut quid scribo aut lego; uulgo siue quid aut scribo aut lego uel siue aliquid scribo aut lego. II, 9. si in ius uocat, ito et eiusmodi cet.; uulgo si in ius uocat atque eiusmodi. II, 16. ab utili aut a uera sententia; uulgo ab utili et a uera sent. II, 21. neue quoi initianto; uulgo neue initianto uel neue quem initianto. II. 23. quam breui, sed; uulgo quam breui ot. II, 24. atque mea quoque eadem sententia est; uulgo atque haec mea quidem sententia est. II, 26. oportere; uulgo patrum, pro quo coniecerunt patres. II, 28. humana; uulgo manu. II, 34. et id si potero; uulgo et ipsa si potero. II, 45. ligneum autem quicquid uoluerit; uulgo quodque uoluerit. II. 47. et de sepulcris; uulgo om. et. II, 60. omnisque circumputatio; uulgo omnisque circumpotatio. II, 63. quicquid ueri; uulgo quum quid ueri. II, 68. usque ad unam; uulgo usque ad minam. III. 23. uituperari potest; uulgo uituperabilis est. III, 24. strauit; alii aliter. III, 31. secuturam; uulgo secutam. III, 34. atqui frater; uulgo om. atqui. III, 40. quod nisi in senatu non difficile est; uulgo quod in senatu non difficile est. III, 44. ne malis quidem; uulgo ne cogitatis quidem. III, 45. omnia; uulgo comitia. III, 46. quoniam — sancienda sunt; uulgo quum — sancienda sint.

in urbibus. Nec usquam ego coniecturam nec meam nec alienam in uerborum seriem recepi, quin aut mendi, quo niteretur, probabiliter declarari origo posset, aut ita efflagitaretur, ut quaeuis alia excluderetur. Quae autem in horum altero utro genere uersarentur coniecturae, eas siue meas siue alienas recipere non dubitaui; idque facere me necesse erat, nisi aut coniecturas perquam multas pridem receptas uellem expellere aut incertam quandam dubiamque sequi rationem. Nam certam profecto istam non esse, quam multi certissimam praedicant, prudentiores eius rei existimatores concedent, ut coniecturas ab aliis assensu comprobatas recipiamus, nouas cum alienas tum nostras a uerborum contextu remoueamus, donec a pluribus sint probatae. Quam si sequi uoluissem rationem, III, 45. pro certissima mea Halmiique coniectura omnia retinere debebam prauissimam, quae adhuc uulgata est, comitia; itemque III, 23. pro certissima coniectura mea uituperari potest prauam illam uituperabilis; itemque I, 16. pro uerissima Halmii coniectura si ullo in genere disputandi, in hoc ista patefieri recipere debebam futilem illam nullo in genere disputandi magis honeste patefieri; multasque alias coniecturas prauas, adhuc uulgatas, amplecti debebam pro certissimis uel meis uel aliorum nouis, aut si menda notare uellem, talem quandam efficere orationem, quae maxima eos, qui legerent, afficeret molestia. Itaque probabiles quidem coniecturas nusquam recipere dubitaui; ubicunque autem euidens et certa in promtu non esset correctio, mendum reliqui. Sed et coniecturas receptas et menda relicta suo quodam signo notaui, ut primo id posset cognosci adspectu, codicumne oratio niteretur auctoritate, an coniectura, et saluane haberetur, an inquinata. Et coniecturas quidem corona (*), cruce (†) menda in uerborum contextu indicaui. Qua re id simul sum consecutus, ut quiuis codicis archetypi faciem facile posset intueri nec, quemadmodum Bakius fecit codicis arch. scripturam redintegraturus, deprauarem orationem uel iis locis, qui pridem a uiris doctis recte essent emendati; nec non hoc caui, ne coniectura recepta legentes in opinionem adduceret, ut codicibus eam niti existimarent facileque,

si non probarent, adhibita codicum discrepantia substituere possent, quod probabilius esse uideretur.

Cap. II.

De Cicerone horum librorum auctore atque de tempore et habiti et scripti sermonis.

Quos de legibus Cicero libros scripsit, eos nusquam ille commemorat, ne iis quidem locis, quibus uel maxime illud exspectaueris, ueluti de Diu. II, 1. Tusc. IV, 1. Hinc si aut cum uiro docto quodam in noua bibl. crit. 1823. I. p. 125. hos libros non esse Ciceronis collegeris et posteriori aetati tribuendos, aut cum Huelsemanno in libro, qui inscribitur: Ueber die Principien und den Geist der Gesetze in Bezug auf die alten Gesetze der Roemer. Lpz. 1802. epitomen quandam his libris contineri existimaueris operis maioris exilem sane et ieiunam, quam ecclesiae quidam pater confecerit aetate posteriore: utrumque ipsa horum librorum indole ac ratione redarguitur. Etenim quae in ceteris libris Tullianis reperiuntur uirtutes dicendi, eaedem in his ipsis libris elucent. Quodsi uestigia quaedam deprehenderis negligentiae: ea nec a ceteris libris absunt, in quibus familiarem potius et quotidianum quam oratorium sermonem secutus est, nec miranda sane sunt in tanta eius scribendi celeritate. Cfr. A. Mai. ad Cic. de Rep. p. XXIV. ed. Mos. Madu. de Fin. p. LXIV. Quocirca neuter istorum quemquam eorum, qui postea hos libros ediderunt, assentientem nactus est. Atque ipse Huelsemannus tam parum sibi constitit, ut illa sententia relicta in alia omnia discederet, modo epitomen ab ipso Cicerone factam esse concedens, modo libros hos partem esse dicens recensionis prioris postea amplificatae, modo fragmenta esse libri tertii, quarti et quinti de re publica. Quae qui redarguere uellet, is oleum et operam perdere uideretur. Cum igitur ipsa oratio Ciceronis esse hos libros luculenter arguat: fusos tamen eos esse celeriter nec postea perpolitos latere potest neminem, recteque res saepe in iis magis adumbratas esse quam plene ac diligenter ex-

positas uiri docti inter se consentiunt *); id quod uel maxime cognoscitur ex duobus libris posterioribus, in quibus alia diligenter tractata sunt et copiose, alia obiter percursa et tacta leuiter. Cfr. III, 19; II, 32; II, 42; II, 34; III, 40; III, 43. Cumque hoc ipsum sermonis non editi possit mouere suspicionem, quippe cum Tullius edere non soleret libros nisi perpolitos (cf. ad Att. XIV, 17. 6.): tum maxime editum non esse confirmatur eo, quod eius mentionem non fecit usquam, ne iis quidem locis, quibus, si editus esset, silentio eum praetermittere non potuit, de Diu. II, 1. Tuc. IV, 1. Brut. 5, 19. Nam assentiri non possum A. G. Zumptio, de Diu. II, 1. hos libros commemorari non potuisse dicenti, quia non uersarentur in genere philosophico. Nimirum libros, quos ad populum optimis artibus instituendum edidisset, non modo philosophicos enumeraturo aeque parata erat opportunitas huius sermonis commemorandi atque aut sermonis de rep. habiti aut librorum rhetoricorum. Fac tamen non fuisse: quid igitur Tusc. IV, 1. eum prohibuit, quo minus hos libros una cum libris de rep. commemoraret? Et quo tandem modo in Brut. 5, 19. libris de rep. editis nihil a se editum esse dicere potuit, si libri de legibus interim essent editi? Si autem a. 708. aut 710, cum Brutum et libros de Diuinatione scripsit, nondum editi erant, propter rei publicae statum prorsus commutatum tales, quales nunc sunt, posteriore tempore a Cicerone in lucem edi non potuerunt. Sed exstitit nostra aetate, qui post Chapmannum Anglum (diss. de aetate librorum de legibus. Cant. 1741.) libros de legibus illic commemoratos non esse diceret propterea, quod nondum scripti fuissent tribueretque eos anno 709. uel 710. Quod si ita esset, corrueret sane nostra reliquorumque interpretum paene omnium sententia de hoc sermone nunquam a Cicerone edito. At uero labi Peterum (is enim hanc sententiam tueri conatus est in exc. tertio, quem Bruti editioni adiunxit, luculentis quibusdam argumentis comprobabitur

*) unus A. G, Zumptius in praef. p. 613. parum recte nuper contra dixisse uidetur.

in quaestione de tempore scripti sermonis profliganda, ad quam iam accedimus.

Quo anno hi libri scripti essent, non difficile esset definire, si eodem tempore necesse esset et scriptum esse sermonem et habitum. Scripti enim essent haud dubie anno 702. uel ineunte 703 *), quo anno iam Turnebus, Wagnerus, Rathius, Goerenzius, Moserus, Bakius, Zumptius, Hermannus scriptos esse uel significarunt uel exposuerunt.

Et haberi quidem sermorem non potuisse ante annum 702. luculenter declarant ea, quae de Clodio disseruntur II, 42. ac deinceps 44, si quidem ista dicuntur de Clodio interemto, Clodium autem a Milone interfectum esse constat a. 702. die XVI. ante Kal. Febr. Nec uero post annum 706. eum potuisse haberi hinc apparet, quod II, 32. ut uiui mentio iniicitur Appii Claudii, cuius ut mortui meminit Brut. 77,267. et quem ante pugnam pharsalicam a. 706. morte absumtum esse testis est Ual. Max. I, 8. 10. Non possunt enim, id quod Peterus contendit, uerba, quae ibi posuit: sed est in collegio uestro — magna dissensio intelligi de libris, ex quibus istam dissensionem cognouisse se dicat, si quidem augures mortui, etiamsi libri eorum permaneant, desinunt esse in collegio. Idemque perspicitur ex iis, quae III, 22. de Pompeio dicit etiamtunc uiuo et rem publicam tenente, licet hoc quoque Peterus neget, quia nihil nisi laudem Pompeii ista contineant. Et laudat sane, sed laudi reprehensionem quandam immiscens tantam declarat uerecundiam, quantam profecto non declarauisset, si Pompeio tunc interfecto aut Caesar principatum teneret aut triumuiri moderarentur rem publicam **). Ex his igitur, quae adhuc dixi, sermonem intra annum 702. et 706. habitum esse sequitur. Iam uero a. 703. Maio mense Cicero in prouinciam profectus est, unde exeunte demum anno 704. eum rediisse constat. cf ad Att. V. VII. Itaque nec a. 703. inde a Maio mense nec a. 704. potuit haberi, quia et otium deerat,

*) sequor aeram Uarronianam uno anno Catoniana inferiorem.

**) hinc patet ea, quae I. 8. de Pompeio dicuntur, item dici de Pompeio uiuo.

nec ulla erat in arpinati uilla rusticatio. Anno autem 705, cum turbae ciuiles exortae essent, (ad Fam. XVI, 11. 3.), cum paene fractus esset Pompeii principatus et in summo discrimine uersaretur res publica (ad Fam. XVI, 12. init.) et funditus paene deleta esset (ad Att. IX, 19. 2. ad Fam. V, 18.), aut omnino haberi non potuit sermo, quia isto modo rei publicae salus afferi non posse uidebatur (ad Fam. IV, 1. 1.), aut haberi certe non potuit cum Quinto fratre et Attico familiari, quin praesentis calamitatis ac discriminis querela immisceretur *).

Quae cum ita sint, hoc unum relinquitur, ut aut habitus sit sermo aut habitus esse fingatur a. 702. uel ineunte a. 703; id quod pluribus etiam rebus aliis confirmatur. Nam quod primum multiplici causarum opera se occupatum esse dicit (I, 8.), nec ullum tempus uacuum et liberum sibi esse queritur, id in nullum cadit annum posteriorem, cum a. 703. et 704. ab urbe abesset, subsequente autem anno urbs sine legibus, sine iure, sine fide relicta esset direptioni et incendio, ut queritur ipse ad Fam. IV, 1. 2. Quod contra et haec et ea, quae in §. 22. inest molestiarum et laborum significatio mirifice congruit cum eis, quae scripsit a. 702. uel ineunte 703. ad Fam. VII, 2. 4. (nos hic in multitudine et celebritate iudiciorum et nouis legibus ita distinemur, ut quotidie uota faciamus, ne intercaletur, ut quam primum te uidere possimus) et annis proxime superioribus, ueluti 699. ad Fam. VII, 1. 5. (neque nos lepore tuo, neque te meo frui liceret propter molestissimas occupationes meas). Deinde uero quod Seru. Sulpicius I, 17. tunc summa auctoritate ius ciuile sustinere dicitur, ne id quidem cadit in annum 705. aut posteriorem, quo Sulpicii scientiae iuris non multo plus relictum erat loci, quam Ci-

---

*) si uerba I, 40. quae hodie multifariam nulla sunt referre uelis ad res romanas, id recte tu quidem feceris; sed tamen occultam istam reprehensionem grauitatis iudiciorum imminutae rectius retuleris ad annum 702, quo saepius in epistolis nulla iudicia esse queritur, quam ad annum 705.

ceronis eloquentiae. cfr. ad Fam. IV, 4. 3. Denique quod II, 29. dicit de senatu gratissimam consulatus sui memoriam retinente, id commodius refertur ad annos, qui reditum eius proxime sunt secuti; quam ad annum 705. aut posteriorem.

Quae deinde alia a uiris doctis ad hanc sententiam confirmandam afferuntur, aut ea sunt, ex quibus sermonem de legibus a. 702 non solum habitum, sed etiam scriptum esse confici posse uideatur, aut ea, ex quibus minus accurate tempus sermonis habiti cognoscatur, quam ex eis, quae adhuc commemorauimus, ueluti cum III, 40. loquitur de uiuo Catone, qui sibimet ipse mortem consciuit post proelium apud Thapsum commissum a. 708, uel cum I, 52. controuersiam de finibus bonorum et malorum aliquando iudicandám dicit, unde hunc sermonem merito habitum esse collegeris, antequam libros de finibus ederet 709, uel cum Luculli, qui paullo post annum 697. obiit, III, 30. ut mortui meminit, uel cum II, 31. auguratu cumulatius laudando augurem se tum, cum sermonem haberet, factum esse significat, quem scimus factum esse a. 701. Haec igitur cum nihil noui afferant momenti, nihil attinet pluribus persequi; illa tunc melius persequemur, cum de scripti sermonis tempore quaeretur.

Hoc igitur hac nostra disputatione confectum est, habitum esse sermonem aut fingi habitum a. 702. uel ineunte a. 703. Nec quemquam id fugit eorum, qui post Wagnerum de horum librorum aetate sunt commentati. Nam ipse Peterus habitum fingi sermonem a. 702. concedit. Sed cum reliqui eodem tempore et habitum et scriptum esse sumsissent*), post Chapmannum, cuius rationes Beierus quoque in Iahnii Ann. 1826. uol. I. 2. p. 341. et in diariis scholast. 1828. n. 19. probauisse dicitur, nuper Peterus tempus scripti sermonis distinguendum esse dixit a tempore sermonis habiti, nec scriptum esse sermonem ante Brutum (a. 708.) et ante

*) Corradi in quaestura p. 265. et Wyttenbachii pridem explosae sententiae sunt; quorum hic scriptos esse dicit, simulac ex prouincia redierit, ille in ipsa prouincia.

Tuscul. disput. (a. 709.), esseque hos libros omnium Ciceronis postremos.

Et habemus sane alios quoque Tullii libros, qui alio tempore habiti finguntur, alio scripti sunt, ueluti de Re publica, de Oratore, de Finibus. Sed in his omnibus luculenter et hoc elucet habitos esse sermones, antequam scripti sint, nec cur habiti fingantur ante, quam scripti sunt, latet. Nec recte, opinor, sumitur sermonem alio tempore habitum, alio scriptum esse a Cicerone, nisi id ex ipso sermone luculenter perspiciatur, praesertim cum is, qui scripsit sermonem, ipse cum aliis eiusdem aetatis hominibus colloquatur. Quae Peterus autem in medium attulit argumenta, ut hos de legibus libros ante a. 710. scriptos non esse demonstraret, ea parum ualere merito iam Hormannus dixit in commentatione, quam de aetate librorum de legibus scripsit a. 1845. Nam quod primum Peterus propter multas occupationes forenses otiique inopiam (I, 8. II, 3.) haberi potuisse sermonem dicit, non item conscribi, id primum redarguitur eo, quod scripsit duobus annis ante libros de re publica, etsi eodem anno ad Quint. Fr. II, 61. 1. nunquam se a causis et iudiciis districtiorem fuisse scribit. Deinde uero admonitus I, 13, ut de iure ciuili et d i c e r e t et s c r i b e r e t, hoc ipsum nec recusauit nec in aliud quoddam tempus reiecit; quod fecisset profecto, si aut a iuris conscribendi consilio tum abhorreret aut otio ad id necessario careret, quemadmodum historiam scribere recusauit, quia nec institui posset nisi praeparato otio nec exiguo tempore absolui. Atque si ius nec conscribere tum uellet nec in aliud tempus eius compositionem reiicere, Atticum, ut scriberet, non fecisset adhortantem. Denique uero Marcum libris de Rep. confectis alia fuisse aggressurum ipse scribit ad Quint. Fr. II, 14. 1. (A g g r e d i e m u r a l i a, q u o n i a m q u i e s c e r e n o n p o s s u m u s).

Deinde uero quae Peterus, cum pleraque omnia apposite ad annum 702. ficta essent, eius temporis, quo hos libros scriptos esse dixit, uestigia quaedam sibi deprehendisse uidetur, ea nulla sunt. Nam quod I, 8. plura se Marcus scripsisse dixit quam quemquam Romanorum, non minus recte hoc dicere potuit

a. 702, quo Peterus eum hoc de se praedicare potuisse negat, quam dixit a. 708. in Orat. 30, 108. (nemo enim orator tam multa, ne in graeco quidem otio, scripsit, quam multa sunt nostra), cum post leges nihil sane praeter Brutum scripsisset. Spectauit nimirum h. l. cum cetera, quae conscripserat, quorum in numero erant tres de oratore libri, sex de re publica quaeque adolescens tentauerat in poësi et arte rhetorica, tum orationes, quas scripsit plurimas. Quod autem I, 30. eius querelae significationem deprehendere sibi uidetur, quam omnibus fere libris immiscuerit post bellum ciuile conscriptis, auctoritatis fructum sibi capere non licere sententia dicenda et iure respondendo, illas querelas multum differre patet ab sententia ea, quae his uerbis continetur. Etenim in libris post bellum ciuile scriptis queritur, quod quo tempore perfunctus rebus amplissimis auctoritate frui deberet et otio honesto, eo frui sibi non liceret propter rei publ. perturbationem. Cf. Brut. 2, 8. Hoc autem loco nihil omnino conqueritur, sed confidere se dicit fore, ut propter aetatem sibi aliquando uacatio a causis detur historiaeque scribendae otium. Si tamen ulla h. l. posset inueniri querelae significatio, profecto eadem esset, quam deprehendimus in epistola ad Quint. Fr. a. 700. data III, 5. 4; quo loco se ea aetate dolet forensi labore iactari, qua senatoria sententia florere deberet.

Et postremo quod dicit Peterus scriptos non esse libros de legibus ante annum 709. uel 710, quia nec in Brut. 5, 19. nec de Diu. II, 1., ubi reliquorum librorum omnium fieret mentio, nec denique Tusc. IV, 1. horum librorum mentio esset iniecta: firmum sane hoc esset argumentum, si hos libros a Cicerone absolutos et editos esse constaret. Fieri enim non potuit, quin, si editi fuissent, illis locis eorum mentio iniiceretur. At uero cum plura sint, quae sermonem illum a. 702. non solum habitum, sed etiam scriptum esse uideantur arguere, hoc unum hinc recte concluditur, non absolutos nec editos esse hos libros tunc, cum libri de Diuinatione et Tusculanae disputationes scriberentur: id quod post Turnebum, Wagnerum, Rathium, Goerenzium, Moserum

denuo iudicarunt Bakius et Hormannus. Atque si quid causae fuerit quaeris, cur aut non absoluerit, aut absolutos certe non perpoliuerit et in uulgus ediderit: eius rei causa recte uidetur Bakio hinc repetenda esse, quod Tullio praeter spem *) prouincia delata est, in quam mense Maio a. 703. profectus est. Quo factum est, ut otio ad leges uel absoluendas uel perpoliendas necessario priuaretur; post prouinciae autem administrationem is rei publicae status erat, cui libris non uideretur salus posse afferri. Cf. ad Att. IX, 19. 2.

Quod autem plura esse dixi, ex quibus hos de legibus libros eodem anno et habitos et scriptos esse recte conficiatur, eorum primum hoc est. Si Cicero hos libros, licet eos 702. habitos esse fingeret, 709. uel 710. edidisset, neminem tamen ciuium suorum, quo editi essent anno, fugisset omnesque non quid a. 702, sed quid tunc sentiret, eum declaraturum fuisse iudicassent, praesertim cum ipse primas sermonis teneret nec uti aliis in libris excellentium quorundam hominum sermones exponeret. Sic autem fieri non potuit, quin Caesarem offenderet, cuius maximopere fugiebat offensionem. cfr. ad Fam. IX, 16. Nam cum Pompeium ter his in libris (I, 8. II, 6. III, 22.) cum laude commemoret, Caesaris omnino non meminit; quo tanto grauius Caesarem offendi oportebat, quo studiosius Pompeii laudandi bis (I, 8. II, 6.) non sequitur necessitatem, sed occasionem arripit. Et laudauit sane Pompeium uel Caesare rem publicam tenente, sed ita laudauit, ut Caesaris non modo minuere, sed etiam augere gloriam uideretur. Cfr. Horm. p. 19, qui laudat pro Dei. 4, 12. Multaque alia ciuibus, quibus sermo a. 710, non 702. scriptus esse uideretur, fuissent offensioni, ueluti cum historiam scribere recusauit, quoniam nullum sibi esset tempus uacuum et liberum (I, 8.), aut cum periculum esse dixit, ne iuris interpretatione suscepta labor augeretur causarum opera ipsi paratus (I, 12.) aut cum de finibus bonorum ut de re controuersa, sed ali-

*) nam cum senatus, ut scribit Dio Cass. 40, 56, decreuisset, ne quis praetorius aut consularis intra quinquennium in prouinciam iret, ii, qui ex praetura aut consulatu nondum iuerant, in prouinciam ire coacti sunt.

quando tamen indicanda locutus est (I, 52.), cum rem istam iam pertractatam esse scirent omnes, aut cum de Appio et Marcello, quos ante annum 710. mortuos esse inter omnes constabat, tamquam de uiuis locutus est (II, 32.). Si igitur, quae anno 710. scriberet, anno superiore aliquo scripta uideri uoluisset, prooemium certe debebat praemittere, quo a sua aetate profectus sermonem traduceret ad id tempus, quo habitus uideretur, quemadmodum idem in aliis libris fecit. Atque si quis prooemium Ciceronem fuisse praemissurum dixerit, si sermonem a. 710. conscriptum per turbas post Caesaris interitum ortas ipsiusque mortem edere licuisset: hoc tamen profecto obstabit, quod ipse primis sermonis partibus susceptis sua ipsius auctotitate usus est; qua praesenti uti solemus, non praeterita. Quocirca si, ne in sua tempora incurrens quemquam offenderet (ad Quint. fr. III, 5.), anno superiore sermonem habitum a suis ciuibus uellet existimari, ne sua quidem auctoritate uti aliosque quosdam uiros praeclaros, ut de re publica, sic de legibus disputantes facere debuit. Atque sic facilius sane effugere potuit id, quod Brut. 50, 218. in Curione reprehendit, ut ea, quae postea facta essent, immisceret, atque ea, quae enarraret, facilius ita enarrare, ut eorum, qui loquerentur, aetate dicta esse uiderentur. Quod contra ipsum primas agentem Hormanno p. 15. assentior Ciceronem id non potuisse consequi, ut semper memor status rerum praeteriti omnem praesentis calamitatis memoriam remoueret omnique animi affectu represso eis, quae tunc sentiret, ubique ea substitueret, quae a. 702. eisdem de rebus uel aliter senserat. Nec tamen ulla his in libris eius temporis, quo Petero scripti esse uidentur, deprehendi uestigia supra declaraui p. XXXII, ut uel hinc non habitum modo, sed scriptum etiam esse sermonem 702. intelligatur.

Denique uero si post reditum ex prouincia hi libri scripti essent, procul dubio mentio eorum facta esset in epistolis ad Atticum datis, quae facta non est. Ad Atticum enim singulorum annorum exstant epistolae Ciceronis inde ab eo tempore, quo in prouinciam discessit usque ad annum 710, in quibus nihil omnino praetermissum est eorum,

quae in litteris moliebatur. Quaecunque enim commentabatur, cum Attico communicabat. In his igitur epistolis fieri non potuit, quin horum librorum, si tum scriberentur, mentio iniiceretur, nisi forte aut casu quodam epistolam illam intercidisse statueris, aut post mensem Noubr. a. 710, quo postrema ad Atticum epistola data est, scriptum sermonem existimaueris, quo nihil propter turbas ciuiles tum exortas est ueri dissimilius.

Cum plura igitur obstent, quo minus anno 708. aut posteriore scriptos esse hos libros existimes, non modo nihil contrarium est ei, quod anno 702. uel ineunte 703. scripti esse putantur, sed omnia cum eo optime conueniunt. Huc primum pertinent ea, quae de Clodio eiusque interitu dicit animo sane commotiore (II, 43. III, 21.) quam dixisset, nisi paullo ante causa Miloniana, quae acta est 702, Clodii odium denuo esset renouatum gaudiumque eius interemti esset excitatum. Nam quod Hormannus ait p. 17. idem Ciceronis aduersus Clodium odium excitari potuisse a. 710. ab Antonio, qui intimus Clodio fuisset in tribunatu et post Caesaris mortem Ciceronem ultro maledictis lacessiuisset atque consulatum ei exprobrasset eisdem quibus Clodius criminationibus usus, id fieri non potuisse iudico, quin simul Antonii quoddam odium eluceret. Deinde huc referenda sunt ea, quae noua auguris dignitate elatus (factus est autem 701.) de auguratu II, c. 12. et 13. dicit magnificentius, quam dixisset a. 710, quo et aliter de auguriorum grauitate sentiebat (cf. de Diu. II, 33.) et Antonius augur factus erat (factus est enim 704. cf. Caes. B. G. VIII, 50.), quem cum hoc munere abusum Phil. II, 32. 80. grauissimis peteret conuiciis, non potuit sane consiliarium atque administrum Iouis appellare. Denique perquam commode praeter alia etiam haec dicta uidentur, quae uel ipse dicit III, 18. uel Attico tribuit (de prouinciis decedatur in urbemque redeatur. Att. Nobis uero placet cet.), si, cum scriberet ista, prouinciae administratio ipsi erat subeunda; nec ea opinor, sententia a Cicerone Attico esset tributa, nisi haec scribentem quaedam, ut id faceret, impulissent. Caesar uidelicet tum senatus auctoritate cogi uidebatur, ut prouin-

cia decederet. cf. ad Att. V, 2. 3. ad Fam. VIII, 5. 2. VIII, 4. 4. Ac postremo nonnihil ista sententia confirmari uidetur eis, quae Cicero in epistola a. 704. ante Non. Decbr. ad Atticum data (VII, 2. 4.) posuit: „Bene eueniat, inquit Carneades, spurce, sed tamen pudentius, quam Lucius noster et Patro: qui cum omnia ad se referant nec quicquam alterius causa fieri putent et cum ea re bonum uirum oportere esse dicant, ne malum habeat, non quo id natura rectum sit, non intelligunt se de callido homine loqui, non de bono. Sed haec, opinor, sunt in iis libris, quos tu laudando animum mihi addidisti.“ Nam etsi libri ibi significantur de re publica: eorum tamen, quae his in libris I, 41. dixit, adeo sunt illa similia, ut errore quodam ea, quae in legibus scripta memoriae etiamtunc inhaererent, ad libros de re publica transtulisse uideatur; id quod uel eo puto confirmari, quod ipse Tullius uerbum opinor orationi inseruit, quo quibus in libris ista dixisset, se parum scire significaret.

Cum igitur ex eis, quae adhuc disputaui, uniuersis necessarie hoc sequatur, sermonem non modo habitum, sed scriptum etiam esse a. 702. et 703. nec quicquam aliud, quo minus isti rationi assentiare, impedire uideatur, nisi quod nec de Diu. II, 1. nec Tusc. IV, 1. hi libri sunt commemorati atque in Brut. 5, 19. libris de re publica editis nihil omnino editum esse dicitur: hoc unum relinquitur, ut scriptos esse a. 702 uel 703, antequam in prouinciam iret, nec tamen aut absolutos aut editos esse existimemus; hocque postremum confirmatur uel Quintiliani (Inst. XII, 3. 10.) testimonio, qui Tullium non modo inter agendum numquam destitutum esse ait iuris scientia, sed etiam componere aliqua de eo coepisse, uel hisce Bruti uerbis §. 16: nec enim ex nouis, ut agricolae solent, fructibus est, unde tibi reddam, quod accepi: sic omnis fetus repressus exustusque flos siti ueteris ubertatis exaruit: nec ex conditis, qui iacent in tenebris et ad quos omnis nobis aditus, qui paene solis patuit, obstructus est. Seremus igitur aliquid tamquam in

inculto et derelicto solo, quod ita diligenter colemus cet." Nimirum noui sunt fructus ii, quos ager recens cultus tulerit recentes, conditi autem, quos antea iam collectos in horreo condideris. Iam cum fructus h. l. nihil aliud esse possint, nisi libri — nam quo minus ad cogitationes possis referre animo tantum conceptas nec litteris mandatas, uerba prohibent qui paene solis patuit, si quidem ad cogitationes non paene solis, sed solis nobis aditus patet — libros nouos patet eos esse, qui recenti litterarum tractatione orti sint, conditos autem eos, qui conscripti tempore superiore in scriniis lateant. Si igitur nec noui sunt libri, nec conditi, quinam alii possunt intelligi, quibus Atticum remunerari uelit, quam ii, qui in re uersentur ante iam pertractata, sed interrupta tamen nec perfecta. Cui rationi maxime hoc conuenit, quod solum, quod ingenium esse recte Peterus cum Baumstarkio affirmat, non incultum et derelictum, sed quia eadem in re iam ante uersatum est, tamquam incultum et derelictum uocatur. Leges autem istas fuisse probabiliter coniecit Hormannus p. 21. sqq. eaque confirmatur opinio uel eo, quod a. 708. de legibus Ciceronem quaesisse cognoscitur ex epist. ad Fam. IX, 2. 5, uel his Bruti uerbis §. 15. admonuitque, ut a te ipso sumerem aliquid ad me reficiendum teque remunerandum, si non pari, at grato tamen munere; quae quidem id, quod Cicero tum moliebatur, ad historiam quodam modo pertinuisse declarant. Iam cum de ipso Bruto, ut recte Peterus animaduertit, non possit cogitari, nec praeter leges illum quicquam, quod ad historiam pertineret, tunc molitum esse probabile sit, leges ibi significari sane probabile est.

Cap. III.

De horum librorum inscriptione, numero, prooemio, ratione, itemque de auctoribus, quos secutus esse uideatur.

De legibus inscriptos esse hos libros in cod. arch. summo codicum consensu comprobatur, ut nihili eius sit

codicis auctoritas, in quo Turnebus hanc se inscriptionem inuenisse testatur: de iure ciuili et de legibus. Ueramque esse inscriptionom de legibus uel hinc intelligitur, quod ab antiquioribus scriptoribus Seruio, Nonio, Macrobio, Lactantio, Augustino hoc nomine laudantur, uel ex ipso hoc sermone cognoscitur. Cf. I, 15, ubi Atticus, quoniam de re publica scripserit, consequens esse dicit, ut scribat de legibus et Marcus Platone auctore de institutis rerum publicarum et de optimis legibus quaerendum esse significat; I, 17, ubi naturam legis explicandam, tum leges, quibus ciuitates regi debeant, considerandas nec iussa populorum omittenda esse dicit, in quibus populi romani iura ciuilia, etsi ne haec quidem sint praetereunda, tamen cum tota causa uniuersi iuris sit complectenda, in angustum locum concludenda esse ait. Leuiter igitur ac uelut in transcursu cum ius ciuile attingeret, non potuit profecto illud quasi caput quoddam inscriptione insignire. Quod igitur Gellius I, 22. 7. Ciceronem de iure ciuili in artem redigendo scripsisse prodidit, ad alium quendam Ciceronis librum, quem paullo ante obitum scriptum mala fortuna nobis surripuit, referri necesse est, ut Bakius erret, qui prauis quibusdam rationibus ductus (cf. praef. XXVIII.) et hanc Gellii mentionem ad hos de legibus libros pertinere et iura ciuilia ciuitatis romanae his libris pertractata esse dicit.

Quot libris Cicero totam causam uniuersi iuris et legum complecti uoluerit, ipse nusquam nec aperte declarauit nec tecte significauit. Quo efficitur, ut certa nec prolata sit adhuc nec proferri possit coniectura. Parum autem probabilis est et Fabricii coniectura, qui quinque et Dauisii, qui octo libris illam comprehensam esse dixit *). Probabilior

*) Et Fabricius quidem, cui Wagn. suffragatur, horum librorum argumenta haec fuisse coniecit: 1. de fonte legum omnium iureque naturae; 2. de religione; 3. de magistratibus; 4. de potestate magistratuum; 5. de iure populi romani. Huelsemannus autem Dauisii coniecturae insistens eorum argumenta hunc in modum descripsit: 1. de religionibus; 2. de magistratibus; 3. de responsis prudentum; 4. de iure militari; 5. de iudiciis; 6. de stipulationibus et contractibus; 7. de testamentis; 8. de iuris principiis.

est Goerenzii coniectura a Schuetzio et Mosero probata; qui quidem in sex libros uniuersam iuris et legum causam Ciceronem includere uoluisse dicit; sed quam is argumenti descriptionem ex III, 48. confecit (quartum enim librum fuisse dicit de potestate, quintum de iure publico, sextum de iure ciuili), ea ratione omni caret. Ex illo quidem loco, recte nunc a Maduigio emendato, nihil aliud licet colligere, quam Ciceronem, posteaquam de magistratibus disputauerit, de iure potestatum disputaturum fuisse. Quod hoc ipso libro, non quarto fuisse facturnm, ut Zumptius suspicatur p. 621, probabiliter colligitur et ex comparatione cum religionis lege instituta, et inde, quod breuiter id se facturum esse dicit. Probabiliter uero ex eo, quod III, 47. de iudiciis sibi dicendum esse significat, qui locus adiunctus sit magistratibus, quartum librum fuisse colligitur de iudiciis. Quinto et sexto quid aut incluserit, aut si non perfecit, uoluerit includere, probabili coniectura assequi non licet. Sex autem libros Tullium aut scripsisse aut scripturum fuisse probabiliter uel ex eo colligitur, quod, ut in libris de re publica, sic in his quoque Platonicam sermonis descriptionem imitatus dimidium librorum numerum exprimere uoluisse uidetur, uel ex fragmento conficitur a Macrobio III, 4. seruato. Siue enim id quarto, siue quinto libro tribueris, tantum etiamtunc temporis fuisse intelligitur, ut tres uel duos reliquos libros eodem die posset perficere, praesertim cum Ciceronis libros non semper aequa magnitudine fuisse constet. Certi quidem nihil hac de re proferri poterit unquam.

Disceptatum est etiam de prooemio. Alii enim, ut Turnebus in commentarii editione tertia, Rathius, Schuetzius hoc ipsum quod deesset prooemium, argumento esse dixerunt non absolutos esse hos libros; alii, ueluti Fabricius, Goerenzius, A. Maius (praef. ad Rep. p. XI. ed. Mos.), Moserus, Bakius Ciceronem in hoc quoque Platonem exprimere uoluisse dixerunt, quod omisso prooemio se subito cum Attico et Quinto colloquentem fecisset. Et hoc sane non incredibile est; sed multo tamen est credibilius illud, Tullium, cum et in reliquis libris usus prooemiis sit, et uti se eis so-

lere ipse profiteatur ad Att. IV, 16. 2, ne hos quidem libros sine prooemiis fuisse editurum, si edidisset, praesertim cum Uarronis appellandi opportunitatem quaereret (ad Att. IV, 16. 2.) quae in hoc litterarum genere, a quo non alienus erat Uarro, facile inueniri potuit.

Reliquum est, ut quam rationem et quos auctores Cicero in his libris secutus sit, paucis explicetur. Quemadmodum libros de Re publica, quo tempore nullam rem publicam esse angebatur (ad Quint. Fr. III, 6. 4.) rei publicae causa scripsit (ad Fam. II, 5. 2.): item hos de legibus libros non tam studii et oblectationis causa, quam ad usum quendam ciuilem composuit. Quemadmodum igitur in illis non speciem quandam rei publicae, ut Plato, adumbrauit nec ciuitatem posuit a uita hominum abhorrentem (Rep. II, 30.), sed temperatum illum et concordem ciuitatis statum optimum iudicauit, sapientissime iam constitutum a maioribus (Rep. I, 22 Leg. III, 12.): ita ne leges quidem, ut ille, finxit, sed eas fere sanxit, quae aut in re publica populi romani fuissent, aut certe in more maiorum, qui tum ut lex ualeret (II, 23. III, 12.), ita tamen, ut si quando opus uideretur, uel nouandi eas ius sibi uindicaret. Cf. III, 37. III, 46; ubi ipse quae de legum fide a censoribus custodienda proposuerit, Romanis non usitata esse dicit. Quod si II, 36. non populo romano, sed omnibus liberis firmisque populis leges se hoc sermone daturum esse profitetur (cf. etiam III, 4.), ita tamen ipsas romanas leges expressit (II, 23. III, 12.), ut maxime populo romano eas scriptas esse intelligas: idque eum secutum esse etiam ex eis licet coniicere, quae a. 701. scripsit Curioni. cf. ad Fam. II, 5. 2. Tu tamen, siue habes aliquam spem de re publica siue desperas, ea para, meditare, cogita, quae esse in eo ciui ac uiro debent, qui sit rem publicam afflictam et oppressam miseris temporibus ac perditis moribus in ueterem dignitatem et libertatem uindicaturus. Quemadmodum enim alios, ut ciuitati succurrerent, adhortatus est: ita uel ipsum pro uiribus ei opitulaturum fuisse probabile est. Leges autem conscribere noluit, quibus ciuitates regi deberent, non iura

ciuilia complecti, id quod temere Bakius contendit p. XXVIII, eius rei documenta inuenisse sibi uisus in his potissimum locis: I, 16. I, 18. I, 28, II, 46. Quae quidem quomodo cum eo, quod secutus esset, consilio coniuncta essent, expositum est in argumenti descriptione. Quod autem hinc etiam iura ciuilia a Tullio pertractata esse colligit, quod libro altero inde a cap. 24. iura ciuilia, quae cum religione coniuncta essent, explicauit, hoc ipsum iuris ciuilis explicationem summae disputationis tamquam leuiorem quandam partem, non quasi caput quoddam adiunctum fuisse arguit. Cfr. p. XXXVIII.

Quas autem cum omnibus populis liberis, tum romano populo leges scripsit, eas firmo quodam ac naturali fundamento niti uoluit a philosophia repetito. Quocirca libro primo ius, quod ipsis legibus constitueretur, in natura positum esse, non in opinione disseruit. Qua in disputatione eum Stoicos sequi auctores adeo manifestum est, ut, qui nostra id aetate, ut quidam superiore, negare uellet, merito in reprehensionem incurreret omnium. Atque nisi omnis rerum explicatio id luculenter comprobaret, ipse Cicero II, 36. id satis aperte significaret. Etenim qui sunt alii philosophi, quos secutos se esse dicit, qui contra ac ueteres i. e. Academici et Peripatetici quasi officinas quasdam sapientiae instruxerunt atque ea, quae fuse olim disputabantur, articulatim et distincte dicunt, quam Stoici? Quorum quem potissimum secutus sit, si quaeris, etsi multi Stoicorum, ueluti Zeno (Diog. Laërt. VII, 1. 4.), Persaeus (Diog. VII, 1. 31.), Cleanthes (Diog. VII, 5. 6.), alii περὶ νόμου scripserunt, ueri simile tamen est, id quod primus Goerenzius dixit, Chrysippi maxime librum περὶ νόμου ab eo esse usurpatum, quem et aliis in libris auctorem sequitur et cuius cum uerbis quaedam ita consentiunt, ut ad uerbum uideantur expressa esse *). Quae autem libro primo Chrysippo duce

*) Quia nec paucis illud ita potest comprobari, ut nullus omnino sit dubitandi locus, nec longius nunc persequi per loci angustias licet: alio id loco propediem accuratius tractabo.

explicatius disseruit de iure a natura repetendo, eis ipsa legum constitutio atque explicatio non ita nititur, ut ad illa referatur; atque tradita se in his sequi ipse significauit III, 49. nos autem de iure naturae per nos cogitare atque dicere debemus, de iure populi romani quae relicta sunt et tradita. Itaque normam libro primo expressit, ad quam leges singulae dirigi possent, non ipse direxit. In sermonis autem conformatione, ut haec quoque attingantur, atque in oratione Platonem imitatur, id quod cum alia docent, quae ex Platone expressa esse dicas, tum illa, quae ipse ea de re dixit in legibus I, 15. II, 17. 69. III, 1.

Cap. IV. Argumenta.

Argumentum libri primi.

Marcus, Quintus et Atticus feriarum tempore una rusticantur aestiuo quodam die in Ciceronis uilla Arpinati; quae quidem loca Atticus tunc primum adierat. Et quercus quidem cuiusdam adspectus Arpinatis, admodum ueteris, admonet eum quercus eius, ex qua Mario augurium obuenisse Marcus in carmine quodam scripserat, cui nomen Marius fuit, cumque Quintus quercum, quae Mariana dicatur, semper his in locis dicat futuram esse: Atticus ex Marco quaerit, ipsiusne uersus quercum illam seuerint, an ita factum esse de Mario, ut scribat, acceperit, nonnullosque et in recenti memoria et in Arpinati homine uel seueritatem requirere animaduertit. Quo facto ueterum illarum de Romulo et Orithyia fabularum mentione iniecta fratre adstipulante demonstrat imperite eos facere, qui poëtae omnem fingendi facultatem adimere uelint poëtamque cum rerum scriptore exaequent; alias nimirum in poëmate, alias in historia leges esse obseruandas, quippe cum in illo ad delectationem, in hac ad ueritatem pleraque re-

ferantur. §. 1—5. Qua historiae commemoratione inductus Atticus iam diu a Marco historiam flagitari dicit, eamque ut suscipiat, hortatur, quia a Romanis aut ignorata sit historia aut relicta, et ipse propter oratoriam eius facultatem praeter ceteros in ea possit satisfacere; cumque Quintus dissentire se cum Marco de tempore dicat, quod scribendo complectatur, si quidem ipse ab ultimis temporibus scribendi capiendum exordium existimet, Marcus suae sibi aetatis memoriam deposcat: Atticus rationibus, cur id faciat, adiunctis Marco assentitur. Hunc autem laborem, quem iam diu a se postulari sentiat, Marcus recusat, non quia omnino animus ab eo abhorreat, sed quia otium sibi desit diuturnius quoddam ac praeparatum, sine quo nec institui possit historia nec absolui, in senectutisque tempus reiicit, quo liber causarum opera more patrio sedens in solio consulentibus ius possit respondere. Quod cum Atticus non fore dixisset, ut seni ei a causis uacatio daretur, quia a contentionibus, quibus summis uti solitus esset, quotidie relaxaret aliquid et illud leniter dicendi genus uel summa senectus posset sustinere Quintusque ad iuris responsionem experiundam fratrem adhortaretur, ipse autem id recusaret propterea, quia uerendum esset, ne ad causarum operam adiuncta iuris responsio dicendi cogitationem auferret: Atticus eum rogat, ut subsiciuo illo tempore ius explicet ac deinde de iure ciuili scribat subtilius, quam ceteri. §. 5—13. Hoc suscepto sermone Marcus primum de iure ciuili quid sentiat disputans eos, qui ius responsitare soliti sint, omnia ad usum ciuilem contulisse dicit et magna professos in paruis esse uersatos. Quibus a se maiora exspectari ratus, cum Atticus, quoniam de optimo rei publicae statu scripsisset, consequens esse dixisset, ut de legibus eius scriberet, de iure uberius quam forensis usus desideret se quaesiturum esse dicit. §. 13—16. In quo explicando nec a praetoris edicto nec a XII tabulis proficiscendum esse ratus, sed penitus ex intima philosophia iuris disciplinam hauriendam esse existimans ipsius iuris naturam explicandam totamque iuris uniuersi causam ac legum complectendam putat, ita ut ius ciuile, quod dicant, in

partium quendam et angustum locum concludatur. §. 16—18. Disputare iam aggrediens proficiscitur a legis definitione Stoicos secútus, qui legem summam rationem esse dicebant insitam in natura eandemque rationem, cum in sapientis mente esset perfecta, dicebant legem; a qua summa lege, quoniam leges omnes ad optimum illud ciuitatis genus a Scipione adumbratum sint accommodandae serendique mores sint, non scriptis omnia sancienda, iuris stirpem se repetiturum esse dicit; quod Quintus et Atticus probari sibi significant. §. 18—20. Posteaquam deinde ab Attico Epicureo deorum numine mundum administrari concessum est, iam homini, quem praeclara quadam conditione a supremo deo generatum esse dicit, cum deo et rationis et iuris esse societatem ostendit, ergo etiam ciuitatis, praesertim cum et dii et homines caelesti descriptioni mentique diuinae et praepotenti deo pareant. §. 21—23. Deinde ex ipsius hominis ortu, cum praeter fragilia et caduca, quae ex mortali genere sumserit, diuino ornatus sit animorum munere, agnationem homini cum deo intercedere demonstrat. Quo fieri, ut nec homo ullus sit, quin, etiamsi ignoret, qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat. §. 24. Quoniamque uirtus nihil aliud sit, nisi perfecta natura, ista autem et in deo sit et in homine, uel hinc et similitudinem homini cum deo et cognationem esse colligit. §. 25. Ex quo quemadmodum et ea, quae in terra gignantur, et reliqua, quibus natura hominem ornauerit, consulto nobis donata esse colligit: ita ex hac ipsa rerum et ubertate et praestantia hominem a deo omnium rerum principem esse constitutum conficit naturamque etiam nullo docente longius progredi animaduertit atque per se ipsam confirmare rationem et perficere. Atque ita homini, cuius exculta sit ratio, i. e. sapienti perfectam rationem i. e. summam illam legem esse comprobauit, a qua proficiscendum sibi esse dixerat. §. 26—27. In isto sermone cum pati se Atticus significasset ut uel totum diem consumeret, nec properare se ad ius ciuile, cuius haec causa praepararentur: Marcus iam eo progreditur, ut ad iustitiam nos natos esse demonstret neque opinione, sed natura esse

ius constitutum; id quod ex insigni generis humani similitudine elucere dicit, quae inde cognoscatur, quod et una in omnes ualeat definitio et oratio eadem sit in omnibus, et omnes natura docente ad uirtutem possint peruenire, et idem omnes etiam in prauis sentiant, et recte denique uiuendi ratio homines reddat meliores. §. 28—32. Hinc iam omne genus hominum inter se sociatum et homines ad ius inter se communicandum natura factos esse conficit. Quibus enim ratio data sit, iisdem rectam datam esse rationem, ergo et legem et ius. §. 32—34. Atque hinc effici, cum uir sapiens hanc tam late diffusam beneuolentiam in uirum pari uirtute praeditum contulerit, ueram illam amicitiam, in qua cuncta amicis sint paria. §. 34. Iam cum ex his et Quinto et Attico satis elucere uideretur, in natura esse ius positum neque ab ea diuelli posse ullo modo: Marcus tamen, ne in re tanta non bene prouisa et diligenter explorata principia posuisse uideretur, Stoicos secutus hoc ipsum natura esse ius separatim disputat, iis istud se probaturum esse sperans, qui omnia recta atque honesta per se expetenda putent, non iis, qui omnia uoluptate ponderent, et Academiam recentem, harum omnium rerum perturbatricem, ut sileat, exorans. §. 35—40. Natura autem esse ius comprobat primum eo, quod scelerum in homines impietatumque nulla omnino sit expiatio, impiique non tam iudiciis, quae quondam nusquam fuerint, et hodie multifariam nulla sint, quam angore conscientiae fraudisque cruciatu exagitentur; deinde quod ipsi impii iusti sui doloris causam fingant defensionemque a naturae iure aliquo quaerant; tum eo, quod, nisi natura esse ius existimemus, aut nemo sit iniustus, aut incauti potius, qui deprehendi se in scelere patiantur, iniusti sint appellandi callidique simus, non boni, si utilitate aliqua atque fructu, ut boni uiri simus, adducamur. §. 40—42. Denique si ius non natura esse, sed scriptis legibus constitui existimemus, tyrannorum quoque leges iustas esse habendas, id quod absurdum sit; atque si iustitia sit obtemperatio scriptis legibus institutisque populorum, ut Epicurei fere dicant, neglecturum perrupturumque esse leges eum, qui

eam rem sibi fructuosam speret fore nec iustitiam ullam esse; itemque, nisi ius confirmatura sit natura, uirtutes omnes tolli (nam nec liberalitatem nec caritatem nec pietatem nec bene merendi de altero aut gratiae referendae uoluntatem posse existere, nisi ad homines diligendos propensi simus, quod fundamentum iuris sit) et deorum caerimonias religionesque tolli; et si ius ex iniuria facere possit multitudo, consequens esse, id quod absurdum sit, ut bonum eadem facere possit ex malo. §. 42—44. Quibus expositis omnia honesta ac turpia similiter natura iudicanda esse disserit, quoniam intelligentia communis eo nos adducat, ut honesta in uirtute, turpia in uitiis ponamus, ea autem certe in natura sint posita perinde ut et equi atque arboris uirtutem (in quo abutamur nomine) et prudentiam et ueri falsi, consequentium contrariorum iudicium, et iuuenum ingenia, omne denique bonum laudabile sua natura iudicemus. Et quod non plane hoc ab omnibus intelligatur, causam esse positam in opinionum uarietate, quae eo efficiatur, quod animis insidiae tendantur uel ab hominibus uel a boni imitatrice uoluptate. §. 43—47. Atque ex his quod concludit et ius et omne honestum in natura positum esse atque sua sponte esse expetendum, id porro confirmat eo, quod uir bonus aequitatem et ius ipsum diligat itemque reliquas uirtutes propter ipsas, non ob fructum sequatur; id quod primum liberalium, deinde beneficorum, gratorum, amicorum exemplis proferendis, denique modestia, temperantia, continentia, uerecundia pudicitiaque persequenda declarat; ad quas colendas uirtutes certe nec metus impellat nec utilitas: nam si propter alias res uirtus expetatur, melius aliquid esse, quam uirtutem necesse esse; uirtute autem quod melius sit, nihil usquam reperiri. §. 48—52.

Quibus explicatis cum propter sententiarum seriem ad finem bonorum, nisi se retinuisset, se prolapsum esse dixisset, rem controuersam, sed aliquando tamen iudicandam: qui istud fieri possit, Atticus quaerit, L. Gellio mortuo, qui omnes philosophos Athenis conuocarit ipsisque magnopere

auctor fuerit, ut controuersiarum aliquem facerent modum, simulque operam suam iis sit pollicitus, si posset inter eos aliquid conuenire. Quo misso ioco arbitrum se dari cupit inter antiquam Academiam et Zenonem, inter quos uerborum, non rerum sit controuersia, quippe cum decus, quod ueteres summum bonum dixerint, hic solum bonum dicat; itemque dedecus, quod illi summum malum, hic solum malum dicat; diuitias, ualetudinem, pulchritudinem commodas res appellet, non bonas; paupertatem, debilitatem, dolorem incommodas, non malas. Hinc natam esse controuersiam de finibus, in qua Quinto quaerenti, quamnam sententiam dici placeat, requiri placere ait terminos, quos Socrates pepigerit. Sed Quintus iam, cum nec diiudicari id hoc sermone possit, nec quicquam illa de summo bono dissensio ad hanc rem pertineat, sermonem ad rem propositam reuocat. §. 52—56. Posteaquam igitur Marcus haec fere, ut opinor, disseruit — nam lacuna ista interciderunt — ex eis, quae disputata sint, apparere ius natura ortum esse legemque esse non eam, quam uulgo appellent, sed caelestem illam, ad quam leges omnes, quae ciuibus constituantur, referendae sint eamque se iam legem esse secuturum: recte id eum facere Quintus uidetur respondisse, (haec iam Quinti uerba etiamnunc in codd. seruata sunt) nec se iam desiderare leges superiorum legislatorum nec duodecim tabulas nec plebiscita, sed existimare eum cum populis, tum etiam singulis hodierno sermone leges uiuendi et disciplinam daturum. Qua Quinti probata sententia a lege profecto, ut uitiorum emendatrice uirtutumque commendatrice ait uiuendi disciplinam ducendam esse. §. 57. 58. Quo quidem disputationis decursu defertur ad philosophiae laudem, quae omnium bonarum rerum parens educatrixque sit quaque nihil uitae hominum datum sit praestabilius. Qua grauiter laudata (§. 58—62.) Attico, quorsus hoc pertineat, quaerenti eo id spectare respondet, ut ea, de quibus iam acturi sint quaeque manent ex illa, sint ampliora; atque lubenter et, ut speret, recte se facere, quod eam, cuius studio teneatur quaeque eum, quicumque sit, effecerit,

non silentio praetermittat. Quod ita Atticus probat, ut id in hoc sermone faciundum fuisse dicat. §. 63.

Argumentum libri secundi.

Cum adhuc sermonem habuissent ad Lirem inambulantes, iam Atticus hortatur, ut loco mutato reliquo sermoni in insula, quae in Fibreno sit, operam dent sedentes. Quod cum Marcus lubentissime se illo loco uti dixisset, Atticus, qui tunc primum huc uenerat, locorum amoenitatem maximopere laudat. Cui laudi Marcus assentiens aliam tamen etiam causam esse dicit, cur hoc loco delectetur; germanam enim hanc esse et suam et fratris sui patriam. Quo audito Atticus istam iustam ei causam esse dicit, cur huc lubentius ueniat; atque se ipsum illi uillae atque omni solo, in quo natus sit, amiciorem modo esse factum; sed cum Romam usque eo Ciceronum patriam habuisset, numquid duas habeant patrias, requirit. Quo adductus Marcus omnibus municipibus duas esse patrias ostendit, alteram iuris, loci alteram. §. 1—6. Iam postquam uentum in insulam est, Quintus ut considant hortatur atque ad eam sermonis partem reuertantur, ex qua egressi sint. Quo facto Marcus intermissum sermonem redintegrat. §. 7. Priusquam autem ad leges singulas accedat, uim illius caelestis legis, ad quam omnia sint referenda, explanandam esse dicit, ne sermonis errore decepti legem eam intelligant, quae hominum ingeniis sit excogitata aut scita a populis, quam a pueris inde legem appellare consuerint. Uim quidem illa populorum iussa habere ad recte facta uocandi et a peccatis auocandi; sed uim tamen ipsam omnium ciuitatum aetate esse seniorem et aequalem illius summae et caelestis legis, quam rectam esse rationem supremi dei itemque perfectam rationem sapientis; quae autem uarie et ad tempus descripta sint populis, ea fauore magis, quam re legum nomen tenere; nec enim omnia illa salutaria esse populis ait; quam autem uere

legem possis appellare, eam per se laudabilem esse oportere demonstrat. Quo perfecto legem iustorum iniustorumque distinctionem esse conficit, expressam ad antiquissimam illam et omnium rerum principem naturam, ad quam hominum leges sint referendae et ipse suas leges uelit dirigere. §. 8—15.

Quibus expositis et praemisso ad Platonis imitationem prooemio, quo ciuibus persuadeat, omnium rerum dominos esse moderatores deos eosque et piorum et impiorum habere rationem et qua quisque mente sit, intueri (quae et utilis sit et uera sententia), iam ad ipsam religionum legem aggreditur; quam tamen non perfectam reddit, sed ipsas summas rerum atque sententias. §. 15—19. Lex autem ipsa, quam non multum discrepare concedit a Numae constitutione atque Romanorum moribus, haec capita continet:

1. qua mente dii colendi sint. §. 19. expl. §. 24. 25.
2. quinam colendi sint dii et ubi. §. 19. §. 25—28.
3. de sacris obeundis feriisque habendis. §. 19. 20. §. 29. Huius prioris capitis explicatio simul cum fine superioris intercidit.
4. de sacerdotibus, in primis de iure augurum. §. 20. 21. §. 29—34.
5. de sacris nocturnis. §. 21. §. 35—37.
6. de sacris uel impie commissis uel a publico sacerdote expiandis. §. 22. §. 37.
7. de populari laetitia in ludis scenicis moderanda et cum deorum honore iungenda. §. 22. §. 38. 39.
8. de ritibus patriis colendis; de stipe colligenda; de sacrilegii et periurii poena; de incesto puniendo. §. 22. §. 40. 41.
9. de diis ab impio non placandis; de uotis caute reddendis. §. 22. §. 41.
10. de iure diuino non uiolando et agro non consecrando. §. 22. §. 41—45.
11. de sacris perpetuis. §. 22. §. 46—54.
12. de deorum manium iure sancte colendo et de sumtu luctuque in sepultura minuendo. §. 22. §. 55—68.

Quibus capitibus uel breuius uel copiosius explicatis de magistratibus sibi ait dicendum esse, quippe quorum descriptio constituta religione rem publicam maxime contineat.

Argumentum libri tertii.

Priusquam leges de magistratibus constituat, Platonis exemplum secutus prooemium legis praemittit, quo primum, quae uis sit magistratus, explicat, deinde opus esse eorum imperio ostendit, denique non solum magistratibus imperandi, sed etiam ciuibus obtemperandi colendique modum praescribit. Quibus explicatis lex ipsa sequitur, quae haec capita continet:

1. de ciuium aduersus imperia iusta obedientia deque magistratuum ciues non obedientes coërcendi potestate eiusque terminis §. 6.
2. de minoribus magistratibus, quos partiti iuris plures in plura esse iubet, tribunis militum, quaestoribus, triumuiris capitalibus, triumuiris monetalibus, decemuiris litibus iudicandis, aedilibus. §. 6. 7.
3. de censorum munere eiusque perpetuitate; de praetoribus; de consulibus. §. 7. 8.
4. de eodem magistratu intra decem annos non iterum capiendo et de lege annali. §. 9.
5. de dictatore in sex menses dicendo et eius potestate ac de magistro equitum. §. 9.
6. de interrege a senatu prodendo. §. 9.
7. de imperiorum, potestatum, legationum extra urbem se gerendi ratione. §. 9.

Horum quidem capitum omnium lacuna intercidit explicatio.

8. de libera legatione. §. 9. expl. §. 18.
9. de tribunis plebis eorumque potestate. §. 9. Quorum nimiam potestatem a Pompeio restitutam Quintus

§. 19—22. uituperat; utilitatem et necessitatem Marcus defendit §. 23—26.

10. de auspiciis et iudiciis omnibus magistratibus dandis. §. 10. §. 27.

11. de senatu ex magistratibus legendo, de eius auctoritate et dignitate. §. 10. §. 27—32.

12. de suffragiis populo liberis, optimatibus notis. §. 10. Quo in genere Marcus a Quinto dissentiens populo tabellam ita concedit, ut optimo cuique offeratur nec ullo modo suffragium occultetur. §. 33—39.

13. de potestate cum populo, plebe, patribus agendi deque modestia ad eam rem adhibenda. §. 10. §. 40.

14. de senatorum officiis. §. 11. §. 40. 41.

15. de ui a populi comitiis et concionibus amouenda et de intercessione. §. 11. §. 42. 43.

16. de comitiorum a magistratu habendorum ratione. §. 11. §. 43.

17. de priuilegiis non irrogandis deque capitis iudicio non nisi per centuriata comitia habendo §. 11. §. 44. 45.

18. de donis neque capiendis neque dandis. §. 11. §. 46.

19. de legum custodia. §. 11. §. 46. 47.

Lege recitata Quinto eam paene romanae esse ciuitatis dicenti recte id eum animaduertisse respondet nec id aliter fieri potuisse, quoniam leges sibi accommodandae fuerint ad rei publicae formam a Scipione probatam et sapientissime iam ac moderatissime a maioribus constitutam, quae effici non potuisset, nisi tali descriptione magistratuum. §. 12. Tum Attico roganti, ut, quibus de causis maxime ista descriptio placeat, disputet, obsequitur. Sed cum pleraque iam dicta sint in illis de re publica libris, ea se tantum enarraturum esse dicit, quae huius loci propria esse uideantur, a Theophrasto primum quaesita, deinde a Diogene et aliis, in primis Academicis et Peripateticis. §. 13. 14. Quaesitum igitur ab illis esse, placeretne unum esse in ciuitate magistratum, cui reliqui parerent, idque placuisse maioribus, qui rege sint usi. Sed rege sublato rem eandem esse, si unus omnibus reliquis magistratibus imperet. Quare nec La-

cedaemone sine causa regibus ephoros nec Romae consuli oppositos esse tribunos; namque eo quod exstiterit, ipse qui consulari imperio non teneretur reliquisque consuli non parentibus auxilium afferre posset, ius consulare esse minutum eamque extitisse rei publicae temperationem, ut iure omnes tenerentur. §. 15. 16. Reliqua hac de re disputatio una cum maxima explicationis parte lacuna periit. Quae superest explicatio in ipsius legis descriptione, ubi opus uidebatur, indicata est. Sed confecto iam sermone de magistratibus Attici rogatu de potestatum iure se esse disputaturum pollicetur, in eo ipso non noua, sed uetera Romanorum instituta secuturum §. 48. 49. Sed et haec et reliqua perierunt.

M. TULLII CICERONIS

DE LEGIBUS

LIBER PRIMUS.

I. **A**tticus. Lucus quidem ille et haec Arpinatium quercus agnoscitur saepe a me lectus in Mario. Si *enim manet illa quercus, haec est profecto; etenim est sane uetus. Quintus. Manet uero, Attice noster, et semper manebit; sata est enim ingenio. Nullius autem agricolae cultu stirps tam diuturna, quam poëtae uersu seminari potest. Att. Quo tandem modo, Quinte? aut quale est istuc, quod poëtae serunt? mihi enim uideris fratrem laudando suffragari tibi. Q. Sit ita sane; *uerum tamen, dum latinae loquentur litterae, quercus huic loco non deerit, quae Mariana dicatur, eaque, ut ait Scaeuola de fratris mei Mario, 1. 2.

canescet saeclis innumerabilibus.

I. §. 1. Si enim manet Dauisii coni. In cod. arch. suspicor haec fuisse: in mario sin manet, quae sunt in codd. melioribus ABCE 11 multisque deteriorum (D α β ε W. Dr. 1. 2. Ball. Harl. 1. 2. Med.) Nec multum discedunt Gd. 2. (marius immanet), Reg. (marios immanet), Par. (marios in manet). Si in deterioribus quibusdam est si manet, ueluti in Cr., id correctioni debetur.

§. 2. ita sane; uerum tamen coni. in aliquot codd. deterioribus reperta (Par. a apud Mos. et si fides silentio est, β. 58.); nam in cod. arch. fuisse sit ita sane uerum. uerum tamen, insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit (ABCE Gd. 2. 11. 65. D α γ ε 10. 39. 96. Cr. W. 6 Goerenzii, in quibus sunt Dr. 1. 2., omnes Dauisii). — latinae B 11 Harl. 1. 2. W. et si fides

Nisi forte Athenae tuae sempiternam in arce oleam tenere potuerunt, aut quod Homericus Ulixes Deli se proceram et teneram palmam uidisse dixit, hodie monstrant eandem, multaque alia multis locis diutius commemoratione manent, quam natura stare potuerunt. Quare glandifera illa quercus, ex qua olim euolauit

nuntia fulua Iouis, miranda uisa figura,

nunc sit haec; sed cum eam tempestas uetustasue consumserit, tamen erit his in locis quercus, quam Marianam quer-
3. cum *uocent. Att. Non dubito id quidem. Sed hoc iam non ex te, Quinte, quaero, uerum ex ipso poëta, tuine uersus hanc quercum seuerint, an ita factum de Mario, ut scribis, acceperis. Marcus. Respondebo tibi equidem; sed non ante, quam mihi tu ipse responderis, Attice, *certene non longe a tuis aedibus inambulans post excessum suum Romulus Proculo Iulio dixerit se deum esse et Quirinum uocari templumque sibi dedicari in eo loco iusserit, et *Athenis

---

silentio est, D β γ ε 39. 58. 96. latine ACE Gd. 2. 65. 10. Dr. 1. 2. α Gd. 1. Br. Cass. Cr. Parr. a et c. — tempestas uetustasue codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. 2.; uetustasque 96. necessitas tempestasue Mon. Br. OxU. tempestas necessitasue pal. 4. — quercus, quam Marianam quercum codd. paene omnes. Omittit quercus Cr. quercum 96. — uocent coni. reperta illa quidem, si fides silentio est, in Mon. et 96.; nam in cod. arch. fuisse uocant insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit (ABC 11. 65. D α β γ ε 10. 39. 58. Cr. W. Par. Reg. Dr. 1. 2.) d^{vo}icant δ. inuocant Gd. 2.

§. 3. hoc CE Cr. W. Mon. β γ ε D, si recte Bakii Moserique silentium interpretor. haec uel hec AB 11. 65. Gd. 2. α 10. 39. 58. 96. Dr. 1. 2. — certene non longe coni. reperta a Mosero in cod. Par. a et in marg. edit. Lambini 1584. certen longe AB 11 65. certe non longe C. Gd. 2. Dr. 2. α γ. certe [non] longe E. certe num longe D ε Harl. 1. 2. Ball. Cr. W. Dr. 1. Goerenzii et Dauisii codd. horum aliquid tenent. — et Athenis repertum esse dicitur in pal. 4. Br. Uff. In cod. arch. fuit, quod est in codd. et melioribus et deterioribus ceteris omnibus: et uerum ne sit Athenis, modo quod in quibusdam pro Athenis reperitur atnis (AB 11.), uel anis (D α β 39. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. pal. 3) uel auis (γ), uel an uere his (10).

non longe item a tua illa antiqua domo Orithyiam Aquilo sustulerit; sic enim est traditum. Att. Quorsum tandem, 4.
aut cur ista quaeris? M. Nihil sane, nisi ne nimis diligenter inquiras in ea, quae isto modo memoriae sint prodita. Att. Atqui multa quaeruntur in Mario, fictane, an uera sint et a nonnullis, quod et in recenti memoria et in Arpinati homine uel seueritas a te postulatur. M. Et mehercule ego me cupio non mendacem putari. Sed tamen nonnulli isti, Tite noster, faciunt imperite, qui in isto periculo non ut a poëta, sed ut a teste ueritatem exigant; nec dubito, quin iidem et cum Egeria collocutum Numam et ab aquila Tarquinio apicem impositum putent. Q. Intelligo te, frater, alias in 5.
historia leges obseruandas putare, alias in poëmate. M. Quippe cum *in illa ad ueritatem, Quinte, referantur, in

---

§. 4. sint codd. meliores ad unum omnes multique deteriorum (α 10. 39. 58. Dr. 2. Cr. Mon.). prodita sunt Dr. 1. W. et si fides silentio est, D $\beta\gamma\varepsilon$. — uel seueritas BCE δ Gd. 2, quibus accedunt nonnulli deteriorum (Cass. Br. Vd. Mon. pal. 4. aliquot Dauisii, et si fides silentio est, $\beta\gamma$ 10. uel seueritas littera d superscripta A, unde sed ueritas translatum est in codd. 11. et 65. idemque est in plerisque codicum deteriorum (D α 39. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W.) nonnullis Goerenzii itemque in cod. ε, sed superscripta uoce seueritas. — Tite noster Dr. 2. Cass. Gd. 1. et si fides silentio est, C $\delta\alpha\beta\varepsilon$ 10. 58. 96. Attice noster E Gd. 2. Tite non A. 11. 65. Dr. 1. W. Tite nt. B. Tite nostri Vd. Br. Par. Reg. Harl. 2. γ 39. rite nostri Mon. Tite [noster] D Cr.

§. 5. obseruandas cum multis deteriorum codd. meliores exc. uno C, in quo correctione natum est seruandas, quod idem est in D α 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. — in illa coni. iam in uett. editt. uulgata, quam parum recte ex Bakii Moserique silentio collegeris fuisse in codd. D 58. Cr. W; nam in cod. arch. praepositionem defuisse consensus ostendit codicum meliorum A E Gd. 2. δ 11. 65. cum deterioribus, ut opinor, omnibus. Quod quomodo natum sit mendum, ostendit cod. C, in quo est cum. Cod. B habet cum illae. — Quinte referantur in cod. arch. fuisse codicum paene omnium consensus arguit. Quaeque pro Quinte dicitur inuentum esse in cod. quodam Ursini et Vd. — in hoc coni. iam in uett. editt. uulgata; in cod. enim arch. in hac fuisse insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. Nam ex Dau. et Goer. silentio perperam collegeris in ipsorum codicibus fuisse in hoc. Non fuit certe in Gd. 2. Dr. 1. 2.

*hoc ad delectationem pleraque; quamquam et apud Herodotum, patrem historiae, et apud Theopompum sunt innumerabiles fabulae.

II. Att. Teneo quam optabam occasionem, neque omittam. M. Quam tandem, Tite? Att. Postulatur a te iam diu, uel flagitatur potius historia. Sic enim putant te illam tractante effici posse, ut in hoc etiam genere Graeciae nihil cedamus. Atque ut audias, quid ego ipse sentiam, non solum mihi uideris eorum studiis, qui litteris delectantur, sed etiam patriae debere hoc munus, ut ea, quae salua per te est, per te eundem sit ornata. *Abest enim historia litteris nostris, ut et ipse intelligo, et ex te persaepe audio. Potes autem tu profecto satisfacere in ea, quippe cum sit opus, ut tibi quidem uideri solet, unum hoc oratorium maxime.
6. Quamobrem aggredere, quaesumus, et sume ad hanc rem tempus, quae est a nostris hominibus adhuc aut ignorata, aut relicta. Nam post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse iuçundius, si aut ad Fabium, aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Uenonium uenias, quamqum ex his alius alio plus habet uirium, tamen quid tam exile, quam isti omnes? Fannii autem aetate coniunctus *Antipater paullo inflauit uehementius, habuitque uires agrestes ille quidem atque horridas, sine nitore ac palaestra; sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent. Ecce autem successere huic *Gellii, Clodius, *Asellio, nihil ad Caelium,

---

II. qui litteris C. α 10. 39. 58. Dr. 1. 2. W. Mon. et procul dubio plerique Dauisii et Goerenzii codd. Inuerso ordine litteris, qui studiis delectantur D β ε Cr. quid litteris Gd. 2. qui *in* (corr. tuis) litteris A, unde idem translatum est in B 11. 65. Idem num recte ex Bakii silentio colligas esse in codd. E et γ, ego dubito. — abest. In cod. arch. siue fuit atest (A B E Gd. 2. 11. 65. 10. 39), siue adest (C corr. Dr. 1. 2. α γ Gd. 1. Cass. Uff. Vd. W. Mon. Par. Reg. Ball. Harl. 2. a pr. manu): abest, quod in quibusdam Moseri Bakiique codd. esse ex silentio collegeris (Cr. D. 58. 96. β), uerissimum est.

§. 6. iucundius codd. omnes. — Antipater. In cod. archet. fuisse [Anti] pater insigni meliorum deteriorumque codicum consensu confirmatur. — Gellii uerissima Gulielmi coniectura, cum in cod.

sed potius ad antiquorum languorem atque inscitiam. Nam 7.
quid *Macrum numerem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia, sed ex librariolis latinis, in orationibus autem *multis et ineptis elatio summam impudentiam. Sisenna, eius amicus, omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superauit. Is tamen neque orator in numero uestro umquam est habitus, et in historia puerile quiddam consectatur, ut unum Clitarchum, neque praeterea quemquam de Graecis legisse uideatur, eum tamen uelle duntaxat imitari; quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. Quare tuum est munus hoc, a te expectatur; nisi quid Quinto uidetur secus.

III. Q. Mihi uero nihil; et saepe de isto collocuti sumus. 8.
Sed est quaedam inter nos parua dissensio. Att. Quae tandem? Q. A quibus temporibus scribendi capiat exordium.

---

arch. esset aut bello (ABCEDr. 1. 2. Cr. W. cum plerisque omnibus) aut belli (Gd. 2. pal. 4. Par. c. ap. Mos.). — Asellio coni. reperta iam in edit. Stephani. In codicibus fere est asilio (ABCE Gd. 2 Dr. 1. Cr. cum plerisque); in quibusdam asilo (W. D), uel asylo (Dr. 2. Mon.).

§. 7. Macrum coni. Sigonii; nam in cod. arch. fuit Acrum (ABCE Gd. 2. 65. α β ε 39. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. pal. 3. Par. El. Harl. 1. Med. Ball. Reg.), aenum 11. attinet 10. aorum 58. actium γ. — in orationibus autem multis et ineptis elatio s. imp. coniectura mea, quam adscita Uictorii coniectura elatio expressi ex cod. arch. scriptura: in orationibus autem multus et ineptus datio sum. imp. (E 11. 65. Dr. 1. 2. Cr. W. El. Harl. 1. β ε D 58. 96. itemque ABC ex corr., si quidem a prima manu habent multas ineptus — summa tamen impudentia pro summam impudentiam est in codd. AB. 65. Dr. 1. 2. Cr. W. El. Harl. 1. β D 58. 96. multas ineptias datio summam impudentiam Gd. 1. 2. Br. Cass. Ball. (hic tamen summa impudentia). multus ineptias datio summam impudentiam 10. 39. multus ineptus ad summam impudentiam α Par. c ap. Mos. multus et ineptus ad summam impudentiam Par. a Mon. multas ineptias ad summam impudentiam γ Par. Reg.

III. §. 8. capiat E Gd. 2. δ Br. Gd. 1. ψ Mon. Dr. 1. et si fides lentio est, α γ 10. capiatur ABC 11. 65. D β ε 39. 58. 96. Dr. 2. Cr.

Ego enim ab ultimis censeo, quoniam illa sic scripta sunt, ut ne legantur quidem; ipse autem aequalem aetatis suae memoriam deposcit, ut ea complectatur, quibus ipse interfuit. Att. Ego uero huic potius assentior; sunt enim maximae res in hac memoria atque aetate nostra. Tum autem hominis amicissimi, Cn. Pompeii, laudes illustrabit, incurret etiam in illum memorabilem annum suum; quae ab isto malo praedicari, quam, ut aiunt, de Remo et Romulo. M. Intelligo equidem a me istum laborem iam diu postulari, Attice. Quem non recusarem, si mihi ullum tribueretur uacuum tempus et liberum. Neque enim occupata opera, neque impedito animo res tanta suscipi potest. Utrumque opus est et cura uacare
9. et negotio. Att. Quid? ad cetera, quae scripsisti plura, quam quisquam e nostris, quod tibi tandem tempus uacuum fuit concessum? M. Subsiciua quaedam tempora incurrunt, quae ego perire non patior, ut, si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur, quae scribimus. Historia uero nec institui potest, nisi praeparato otio, nec exiguo tempore absolui; et ego animi pendere soleo, cum semel quid orsus *sum, si traducor alio, neque tam facile
10. interrupta contexo, quam absoluo instituta. Att. Legationem aliquam nimirum ista oratio postulat, aut eiusmodi quampiam cessionem liberam atque otiosam. M. Ego uero aetatis

---

W. Vd. Uff. duo Oxx. — aetatis suae ABE 11. 65. cum plerisque deteriorum (α β γ 39. 58. 96. Mon. W. Dr. 1. omnibus, si fides ei habenda est, Goerenzii excepto Dr. 2. aetati suae Gd. 2. 10. suae aetatis Dr. 2. Vd. Cr. et si fides silentio est, C D ε. — illum memorabilem C. Gd. 2. cum deteriorum plerisque (D α 10. 58. 96. Mon. Cr. W. Dr. 1. 2. Vd. ψ. illum et memorabilem AB 11. 65, quibus, si fides silentio est, accedunt E β γ δ 39. — quae ABE itemque Gd. 2., modo quod in hoc scriptum est queque, idemque fuit in C et 11, in quibus correctum tamen est quem, quod idem est in 65. Deteriores uel quae (Cr. plures Goerenzii et si fides silentio est, β γ 10.) uel quem (D α 39. 58. 96. W. Mon. Dr. 1. 2. Cass.) — et codd. paene omnes. ac liberum Gd. 2. Br.

§. 9. orsus sum, si coni. Halmii. Orsus si codd. omnes, nisi si in quo scribendi errore si praetermissum est, ueluti in β et 65.

§. 10. ista oratio codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. oratio ista D β δ Cr. — cessionem E C δ, quibus

potius uacationi confidebam, cum praesertim non recusarem, quo minus more patrio sedens in solio consulentibus responderem senectutisque non inertis grato atque honesto fungerer munere; sic enim mihi liceret et isti rei, quam desideras, et multis uberioribus atque maioribus operae quantum uellem dare.

IV. Att. Atqui uereor, ne istam causam nemo noscat 11.
tibique semper dicendum sit; et eo magis, quod te ipse mutasti, et aliud dicendi instituisti genus, ut, quemadmodum Roscius, familiaris tuus, in senectute numeros in cantu †cecinerat ipsasque tardiores fecerat tibias, sic tu a *contentionibus, quibus summis uti solebas, quotidie relaxes aliquid, ut iam oratio tua non multum a philosophorum lenitate absit; quod sustinere cum uel summa senectus posse uideatur, nullam tibi a causis uacationem uideo dari. Q. At mehercule 12.
ego arbitrabar posse id populo nostro probari, si te ad ius respondendum dedisses. Quamobrem, cum placebit, experiundum tibi censeo. M. Id si quidem, Quinte, nullum

---

accedunt plures codd. Goerenzii, quos ipse non nominauit, et si fides silentio est, $\beta\gamma\varepsilon$ 10. censionem Gd. 2. cessionem A, unde translatum est cessationem in codd. B 11. 65. quibuscum faciunt plerique deteriorum (Dr. 1. 2. D α 39. 58. 96. Cr. W. Dauisius in suis codd. uel cessionem, uel cessationem esse dicit. — sic enim mihi codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. sic enim ueri [mihi] liceret Mon. et Schefferi cod. aliquis. sic enim uero [mihi] liceret 39. In omnibus codd. Lago-Mars. sic enim uero fuisse parum recte ex Bakii silentio collegeris.

IV. §. 11. cecinerat in cod. arch. fuisse meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. retinuerat 10. reciderat Haun. Moseri. Omnium optime Lamb. coniecit: remiserat. Hermannus in Opusc. I. p. 300. coni. leniuerat. In quibusdam uett. editt. expressum est ceciderat (marg. editt. Crat. et Heru. itemque in editt. Manut. Car. Stephani, Bruti). — contentionibus coni. iam in uett. editt. expressa et a Goerenzio reperta in cod. Br., a Bakio, si fides silentio est, in β et ε. In cod. arch. fuit aut contionibus (AB Gd. 2. 11. 65. 39. 58. 96. α Dr. 1. 2. Cr. W. Mon.), aut concionibus (CEγ 10). — ut iam codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. 2. utinam γ 10. 39. Gd. 1. Vd. Cass. Mon. Par. c. ap. Mos.

§. 12. id si quidem, Quinte, nullum esset in exp. per.

esset in experiundo periculum. Sed uereor, ne, dum minuere uelim laborem, augeam atque ad illam causarum operam, ad quam ego numquam, nisi paratus et meditatus accedo, adiungatur haec iuris interpretatio, quae non tam mihi molesta sit propter laborem, quam quod dicendi cogitationem auferat, sine qua ad nullam maiorem umquam causam
13. **sum ausus accedere. Att. Quin igitur ista ipsa explicas nobis his subsiciuis, ut ais, temporibus et conscribis de iure ciuili subtilius, quam ceteri? Nam a primo tempore aetatis iuri studere te memini, cum ipse etiam ad Scaeuolam uentitarem, neque umquam mihi uisus es ita te ad dicendum dedisse, ut ius ciuile contemneres.**

M. In longum sermonem me uocas, Attice; quem tamen, nisi Quintus aliud quid nos agere mauult, suscipiam et, quoniam uacui sumus, dicam. Q. Ego uero libenter audierim. Quid enim agam potius, aut in quo melius hunc consumam
14. **diem? M. Quin igitur ad illa spatia nostra sedesque pergimus? ubi cum satis erit ambulatum, requiescemus; nec profecto nobis delectatio deerit aliud ex alio quaerentibus. Att. Nos uero, et hac quidem adire si placet, per ripam et**

---

codd. omnes, nisi si in quo scribendi errore peccatum est, ueluti in Mon. (id si quidem, Quinte, si nullum esset). — et meditatus. Bakius primus scripsit ac codicibus, unde illud repetiisset, non nominatis. Cum autem Gd. 2. Dr. 1. 2. et teneant nec discrepantiae quicquam ne a Mosero quidem sit enotatum nec denique ueri simile sit, in omnibus Bakii codicibus, quia nullum exceperit, ac reperiri, particulam et adhuc uulgatam retinui, errorem a Bakio commissum augurans. et praemeditatus α 10.

§. 13. nam a primo codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. nam et a primo Vd. Br. $\beta\gamma$. — me uocas codd. meliores (C^{re} uocas), quibus ex deterioribus accedunt pal. 4. Gd. 1. γ 39. uocat Cass. Deteriorum plerique reuocas (D $\alpha\beta\varepsilon$ 58. 96. Cr. W. Mon. Dr. 1. 2. Br. Vd. Uff. aduocas 10.

§. 14. pergimus EC δ Gd. 2. pergimus superscripta littera a B pergamus A 11. 65. D $\alpha\beta\gamma\varepsilon$ 39. 58. 96. Cr. W. Dr. 1. 2. progredimur 10. — ambulatum ABE δ Gd. 2. 11. 65. itemque C, sed superscripta syllaba de cum nonnullis deteriorum (Cass. Par. Reg. El. et si fides silentio est, $\alpha\gamma\varepsilon$ 10). deambulatum D β 39. 58. 96. Cr. W. Dr. 1. 2. Br. Vd.

umbram. Sed iam ordire explicare, quaeso, de iure ciuili quid sentias. M. Egone? summos fuisse in ciuitate nostra uiros, qui id interpretari populo et responsitare soliti sint, sed eos magna professos in paruis esse uersatos. Quid enim est tantum, quantum ius ciuitatis? quid autem tam exiguum, quam est munus hoc eorum, qui consuluntur? *quamquam est populo necessarium. Nec uero eos, qui ei muneri praefuerunt, uniuersi iuris fuisse expertes existimo: sed hoc ciuile quod uocant eatenus exercuerunt, quoad populo praestare uoluerunt. Id autem *in cognitione tenue est, in usu

---

Uff. Gd. 1. Harl. 1. 2. Med. — et hac quidem adire C δ itemque Gd. 2. (qui tamen hanc habet pro hac) cum deteriorum longe plerisque ($\alpha\beta\gamma$ 10. 39. 96. Cr. Mon. Dr. 1. 2. D (in hoc om. quidem) Harl. 1. Med. Par. Reg. (in his duobus est haec pro hac et uerba si placet om.). et haec quidem [adire] E. et hanc quidem ad rem si placet Harl. 2. et hac quidem ad rem 65. W. (in hoc in marg. eadem manu scriptum est adire). — egone? summos codd. meliores (excepto 65) cum nonnullis deteriorum (Gd. 1. Br. Uff. Vd. Mon. Par. c ap. Mos. et si fides silentio est, $\alpha\gamma$ 10; ego memini summos deteriorum plerique (D $\beta\varepsilon$ 39. 58. 65. 96. Dr. 1. 2. Cats. El. Harl. 1 2. Med. Ball. Cr. W. — responsitare codd. meliores cum nonnullis deteriorum (Par. Reg. et si fides silentio est, $\alpha\gamma$). Quod Goer. in sex codicum suorum idem esse dicit, aut falsus est, aut ipse fefellit. responsitari 10. rusitare Mon. Respondere deteriorum longe plerique (D $\beta\varepsilon$ 39. 58. 96. Dr. 2. Cr. W. Ball. El. Harl. 1. 2. Med. et de re soliti sint Dr. 1. — soliti sint codd. meliores (exc. E.) cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. soliti sunt E. Dr. 2. $\beta\varepsilon$ 10. 39. Par. c. — quamquam Turnebi et Canteri coni. excerpta nunc ex cod. D et ex Par. b. ap. Mos. In cod. arch. uidetur fuisse quam, quod in plerisque est codicibus (A B E 11. 65. $\alpha\varepsilon$ 39. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. omnibus Goer. et Dan.) quod est Gd. 2. δ. quod est C. (quam) quod populo necessarium est 10. — fuisse expertes codd. meliores, quibus plerosque suffragari suspicor deteriorum, etiam Dr. 1. 2. expertes fuisse 10. 39. — quoad populo A B 11. 55, quibuscum faciunt Dr. 1. 2. El. Ball. Harl. 1 2. Med. Cr. W. Par. a et b ap. Mos. et si fides silentio est, D $\alpha\varepsilon$ 58. 96. quoad populum C E Gd. 2. $\beta\gamma$ 10. 39. Mon. Par. Reg. Par. c ap. Mos. — id autem in cognitione tenue est Maduigii coniectura. Codd. meliores A B C Gd. 2. δ 11 65 incogniti de tenui est in usu necessarium (A B C in marg. incognitum est minusque). Deteriores uel incognitum est minusque in usu necessarium (D $\alpha\varepsilon$ 39. Dr. 1. 2. Vd. Cr. W. Par. a et b

necessarium. Quamobrem quo me uocas? aut quid hortaris? ut libellos conficiam de stillicidiorum ac de parietum iure? an ut stipulationum et iudiciorum formulas componam? Quae et scripta a multis sunt diligenter, et sunt humiliora, quam illa, quae a *uobis expectari puto.

15. V. Att. Atqui, si quaeres, ego quid exspectem, quoniam scriptum est a te de optimo rei publicae statu, consequens esse uidetur, ut scribas tu idem de legibus. Sic enim fecisse uideo Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maxime diligis. M. Uisne igitur, ut ille Crete cum Clinia et cum Lacedaemonio Megillo aestiuo, quemadmodum describit, die in cupressetis Gnosiorum et spatiis siluestribus, crebro insistens, interdum acquiescens, de institutis rerum publicarum ac de optimis legibus *disputat: sic nos inter has procerissimas populos in uiridi opacaque ripa

---

ap. Mos. omnes Dauisii codd.), uel incognitum est minus quam in usu necessarium (β γ Cass. Br.). incognitum est in uersu necessarium E. — quid hortaris codd. meliores cum aliquot deterioribus (Br. Vd. Par. Reg. et si fides silentio est, α γ 10. 96). aut quid me hortaris deteriorum plerique (β ε 39. 58. Cr. W. Par. a ap. Mos. Dr. 1. 2. et si fides Goerenzio est habenda, Uff. Gd. 1. Cass.; nam de Gud. 2. falsa tradit. — an ut codd. meliores (exc. Gd. 2. aut stip. omisso ut) cum multis deteriorum (Par. Reg. Ball. Harl. 2. Med. W. Dr. 1.) aut ut D α β γ Cr. El. Harl. 1. aut ne stip. Dr. 2. — scripta E Gd. 2. itemque γ 10. 39. Dr. 1. conscripta A B 11. 65. Cr. Mon. W. Dr. 2, itemque si fides silentio est, α β ε D 58. 96. In codd. C et δ, ex quibus nihil Bakius discrepantiae excerpsit, parum recte conscripta esse collegeris. — a multis sunt dil. codd. meliores cum multis deteriorum (W. Par. a. ap. Mos. itemque, si fides silentio est, α β γ ε 58. 96. sunt a multis Cr. Dr. 1. 2. 10. 39. sunt et a multis D. — a uobis coni. iam in editt. uett. (Asc. 1. 2. Ald. Crat. Heru. aliisque) expressa; nam in cod. arch. fuisse nobis consensu codicum fere omnium confirmatur. Uobis num sit in codd. Parr. a. b. c. ap. Mos., uti Moserus affirmat, uehementer dubito.

V. §. 15. Crete A B E δ Gd. 2. cum multis deteriorum, etiam Dr. 1. et Cr. Cretae C 11. 65. 39. 58. 96. Dr. 2. — disputat coni. pridem uulgata et nunc, si fides silentio est, in codd. β et γ reperta; nam in cod. arch. fuisse disputans insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. Ex Dauisii et Goerenzii, qui disputat scripserunt, silentio perperam illud in ipsorum codicibus fuisse

inambulantes, tum autem residentes quaeramus iisdem de rebus aliquid uberius, quam forensis usus desiderat? Att. Ego 16.
uero ista audire cupio. M. Quid ait Quintus? Q. Nulla de re magis. M. Et recte quidem. Nam sic habetote, *si ullo in genere disputandi, in hoc ista patefieri, quid sit homini a natura tributum, quantam uim rerum optimarum mens humana contineat, cuius muneris colendi efficiendique causa nati et in lucem editi simus, quae sit coniunctio hominum, quae naturalis societas inter ipsos. His enim explicatis fons legum et iuris inueniri potest. Att. Non ergo a praetoris 17.
edicto, ut plerique nunc, neque a XII tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putas. M. Non enim id quaerimus hoc sermone, Pomponi, quemadmodum caueamus in iure, aut quid de quaque consultatione respondeamus. Sit ista res magna, sicut est; quae quondam a multis claris uiris, nunc ab uno summa auctoritate et scientia sustinetur: sed *nobis ita complectenda in hac disputatione tota causa est uniuersi iuris ac legum, ut

---

collegeris. In Gd. 2. Dr. 1. 2. distincte scriptum est disputans. disputant 10. Mon.

§. 16. si ullo in genere disputandi, in hoc ista pat. Halmii coni. In principe meliorum libro sunt: nullo in genere pisputando honesta (honeste E) patefieri (parte fieri Gd. 2. δ) B C E δ Gd. 2. 11. Deteriores aduerbio magis addito uel: nullo in genere disputandi magis honeste (β γ 10. 39. Dr. 1. W. (in hoc tamen honestae) nonnulli Goer. codd.), uel: magis honesta patefieri (D α 96. Cr. Mon. Dr. 2. Vd. 65. itemque A ex corr.) — a natura tributum C Gd. 2. δ α, itemque praepositione omissa A B 11. 65. Cr. W. Mon. Dr. 2. et si fides silentio est, α β 58. 96. tributum a natura 10. 39. tributum natura γ Dr. 1.

§. 17. id uaerimus B Gd. 2 et procul dubio δ itemque γ Dr. 1. 2. Cr. W. Parr. a. b. ap. Mos. id quaeris E 10. 39. Par. c. ap. Mos. hoc quaerimus A C 11. 65. α β 58. 96, si fides silentio est. [id] quaerimus Par. — nobis pridem Paul. Manutius ex antiquo libro restituisse se dicit idemque a Goer. ex Br., a Mosero ex Par. b. excerptum est. Sed in cod. arch. procul dubio fuit noris ista, quod codd. meliores A B C E δ Gd. 2. tenent cum plerisque codd. deterioribus, etiam Dr. 1; nam errasse Bakium puto, qui noris ita excerpsit ex codd. 11. 65. 39. 58. 96. sed ista noris complecteris Dr. 2. ista uobis 10. — causa est uniuersi iuris codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2.

hoc ciuile quod dicimus in paruum quendam et angustum locum concludatur. Natura enim iuris explicanda nobis est, eaque ab hominis repetenda natura; considerandae leges, quibus ciuitates regi debeant; tum haec tractanda, quae composita sunt et descripta, iura et iussa populorum, in quibus ne nostri quidem populi latebunt quae uocantur iura ciuilia.

18. VI. Q. Alte uero et, ut oportet, a capite, frater, repetis quod quaerimus; et qui aliter ius ciuile tradunt, non tam iustitiae, quam litigandi tradunt uias. M. Non ita est, Quinte, ac potius ignoratio iuris litigiosa est, quam scientia. Sed hoc posterius. Nunc iuris principia uideamus.

Igitur doctissimis uiris proficisci placuit a lege; haud scio an recte, si modo, ut iidem definiunt, lex est ratio summa insita in natura, quae iubet ea, quae facienda sunt prohibetque contraria. Eadem ratio cum est in hominis mente con-
19. firmata et confecta, lex est. Itaque arbitrantur prudentiam esse legem, cuius ea uis sit, ut recte facere iubeat, uetet delinquere; eamque rem illi graeco putant nomine *a suum

---

uniuersi iuris est Cr. Mon. causa [est] uniuersi D Par. c. ap. Mos. — concludatur. natura coni. reperta iam in cod. aliquo a Manutio, quam item in Br. et Vd. Goerenzius repperisse se dicit. Nam in cod. arch. naturae. natura scriptum fuisse insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. naturae naturam γ. — explicanda nobis est codd. meliores cum plerisque deteriorum (Gd. 1. W. et si fides silentio est, α β γ D. 10. 39. 58. 96.) explicanda est nobis Br. Uff. Vd. Dr. 1. nobis explicanda est ε Cr. Dr. 2. est explicanda nobis Mon. explicanda nobis [est] Cass.

VI. §. 18. non ita est codd. meliores cum deteriorum plerisque (omnibus Bakii, si fides silentio est, itemque Cr. Dr. 2. Vd.). non est ita Dr. 1. W. Parr. a. b. c. ap. Mos. — ac potius Gd. 2. E. et procul dubio δ itemque ABC, in quos corrigendo demum at illatum esse Bakius significauit. Deteriores: at potius (α β ε Dr. 1. 2. Cr. W. Mon. Gd. 1. Vd. OxE. alii; nam nec ex Bakii silentio in codd. 10. 39. 58. 96. 11. 65. D ac fuisse recte collegeris, nec ex Dauisii silentio omnes eius codices eandem particulam tenere). — sed hoc codd. meliores cum deterioribus paene omnibus (Dr. 1. 2. Gd. 1. Cr. W. Mon. OxE. omnibus Bakii). sed haec aliquot Dauisii et Goerenzii codd., quorum in numero non est Gd. 2, id quod ex ipsius Goer. annotatione collegeris.

cuique tribuendo appellatam, ego nostro a legendo. Nam ut illi aequitatis, sic nos delectus uim in lege ponimus, ét proprium tamen utrumque legis est. Quod si ita recte dicitur, ut mihi quidem plerumque uideri solet, a lege ducendum est iuris exordium; ea est enim naturae uis, ea mens ratioque prudentis, ea iuris atque iniuriae regula. Sed quoniam in populari ratione omnis nostra uersatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit, et appellare eam legem, quae scripto sancit, quod uult, aut iubendo, *aut uetando, ut uulgus *appellat. Constituendi uero iuris ab illa summa lege capiamus exordium, quae saeculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino ciuitas constituta. Q. Commodius uero et ad rationem instituti ser- 20.
monis sapientius. M. Uisne ergo ipsius iuris ortum a fonte repetamus? quo inuento non erit dubium, quo sint haec referenda, quae quaerimus. Q. Ego uero ita esse faciendum censeo. Att. Me quoque *adscribito fratris sententiae.

---

§. 19. a suum cuique βγε 39, si fides silentio est. Sed a praepositionem iam a cod. arch. abfuisse recte hinc collegeris, quod et in melioribus codd. desideratur, et in deteriorum longe plerisque (10.58. 96. D α Cr. W. Dr. 1. 2.). — et appellare eam codd. meliores (modo quod in cod. E populare scriptum est pro appellare) iisque suffragantur Dr. 1. 2. Cr. W. omnesque Bakii, si fides silentio est, et haud dubie plures Goerenzii et Dauisii codices, qui de suis nihil prodiderunt. — scripto Dr. 1. 2. Cr. W. Mon. D et procul dubio deteriorum plerique; nam parum recte ex Bakii silentio in deterioribus eius praeter D omnibus scripta esse collegeris. scripta ABEδ Gd. 2. 11. 65. itemque C, sed superscripta littera o. — aut uetando. Haec uerba iam a cod. arch. abfuisse insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. Quare, si in codd. β et γ reperiantur, id quod ex Bakii silentio collegeris, coniecturae debentur. In Gud. 2. non sunt, id quod moneo, ne quis ex Goerenzii silentio id colligat. — ut uulgus appellat Lambini coniectura, quam in codd. 10 et 39 fuisse parum recte ex Bakii silentio collegeris. appellaret B. appellare et Gd. 2. E C δ. Deteriores aut appellarit (Dr. 1. 2. Cr. W. D α itemque A) aut appellauit (β 58. 96. itemque 11. 65). appellare aut γ Mon.

§. 20. esse faciendum codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 2. et Cr. [esse] faciendum W. D. faciendum esse Mon. Dr. 1. — adscribito coni. in uett. iam editt. (Ald. Crat.

M. Quoniam igitur eius rei publicae, quam optimam esse docuit in illis sex libris Scipio, tenendus est nobis et seruandus status, omnesque leges accommodandae ad illud ciuitatis genus, serendi etiam mores nec scriptis omnia sancienda: repetam stirpem iuris a natura, qua duce nobis omnis est disputatio explicanda. Att. Rectissime; et quidem ista duce errari nullo pacto potest.

21. VII. M. Dasne igitur hoc nobis, Pomponi, (nam Quinti noui sententiam) *deorum immortalium ui, ratione, potestate, mente, numine, siue quod est aliud uerbum, quo planius significem, quod uolo, naturam omnem regi? nam si hoc non probas, ab eo nobis causa ordienda est potissimum. Att. Do sane, si postulas; etenim propter hunc concentum auium strepitumque fluminum non uereor, condiscipulorum ne quis exaudiat. M. Atqui cauendum est; solent enim, id quod uirorum bonorum est, admodum irasci, nec uero ferent, si audierint te primum caput *uiri optimi prodidisse, in quo

---

aliis) reperta; in cod. enim arch. fuisse adscribi consensus arguit meliorum omnium cum deteriorum longe plerisque (βγε 10. 39. 58. 96. Cr. W. Dr. 1. 2. Vd. Cass. Uff. Dauisii codd. exc. uno Harl. 1. adscribe Harl. 1. D. adscribo α. adscribto Br. — nobis omnis est disp. codd. meliores, quibus accedunt Dr. 2. et si fides silentio est, omnes Bakii exc. D. omnis est nobis Cr. W. D. Idem esse a Goerenzio dicitur in Br. Gd. 1, 2. Dr. 2; sed in his duobus nominandis labitur. omnis disputatio est expl. Dr. 1. nobis est omnis Mon.

VII. §. 21. nam Quirrti — ui, ratione coni. margini edit 1584. appicta a Lambino. In cod. arch. fuisse suspicor, quae sunt in codd. melioribus ABEGd. 2. 11. 65. [de] deorum immortalium ut natura ratione, eademque sunt in codd. C et δ, modo quod ex deterioribus correctionem susceperunt de deorum immortalium, similiterque Vd. de deorum immortalium et natura habere dicitur. Deteriores: de deorum immortalium natura, ratione (D α 10. 39. 58. 96. Cr. W. Mon. Gd. 1. Dr. 1. 2. OxxE. U. omnes Dauisii codd.). Alio modo tentata est coniectura in codd. βγ Br. (de deorum immortalium ui et natura). — regi? nam ABE Gd. 2. δ C (hic in marg. diuinam). reginam Dr. 1. Par. Gd. 1. U. 11. 65. diuinam Cr. W. Mon. Dr. 2. D Reg. Harl. 1. 2. Med. El. αβγε. reginam ac dominam 10. — ab eo codd. meliores exc. C, (in quo est ab eo superscripta littera d. Deteriores: a deo (Dr. 1. 2. Cr. W. M. D βεγ, omnes Dau. et Goer. codd. exc. Gud. 2, quem Goer. ipse

scripsit, nihil curare deum, nec sui, nec alieni. Att. Perge, quaeso; nam id, quod tibi concessi, quorsus 22.
pertineat, exspecto. M. Non faciam longius; huc enim pertinet, animal hoc prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem uocamus hominem, praeclara quadam conditione generatum esse a supremo deo. Solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis et cogitationis, cum cetera sint omnia expertia. Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni caelo atque terra ratione diuinius? quae cum adoleuit atque perfecta est, nominatur rite sapientia. Est igitur, quoniam 23.
nihil est ratione melius eaque et in homine et in deo, prima homini cum deo rationis societas. Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio *est communis. Quae cum sit lex, lege quoque consociati homines cum diis putandi sumus. Inter quos porro est communio legis, inter eos communio iuris est. Quibus autem haec sunt inter eos communia, *ei ciuitatis eiusdem habendi sunt. Si uero iisdem imperiis et potestatibus parent, multo *etiam magis. Parent autem

---

excipiendum esse non dixerat. ideo α. — caput uiri optimi coni. iam in Aldi nepotis edit. reperta. In cod. arch fuit capituli, quod tenent C E Gd. 2. et procul dubio δ cum deteriorum longe plerisque (D Cr. Gd. 1. Vd. Oxx. E U ψ α β γ 39. 58. 96. caput li optimi A. capulli B 11. 65. Dr. 1. W. in marg. capituli). capuli optimi ε. capti optimi Dr. 2,

§. 22. quorsus codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 2. quorsum Dr. 1. D Vd. Harl. 1. Med. Ball. — a supremo deo codd. meliores praeter Gud. 2. cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. a summo Gd. 1. 2. Vd. Par. Reg. Ball. Med. 10. 39. ε.

§. 23. est communis. Sic scripsi de mea Bakiique coni. expressa illa quidem ex codicis arch. mendo et communis est, quod tenent codd. meliores omnes cum deteriorum plerisque (Cr. W. Dr. 1. 2. omnibus Bakii, si fides silentio est, exc. D, a quo est abesse dicitur). — consociati codd. meliores cum multis deteriorum, etiam Dr. 1. 2. conciliati Br. Vd. Gd. 1. Par. Reg. pal. 4. 10. 39. conciliari Med. consiliati M. — inter eos codd. omnes. — ei ciuitatis Bakii coni. In cod. arch. fuisse et ciuitatis codicum meliorum omnium cum plerisque deteriorum consensus arguit. et om. Dr. 2. Cr. Br. OxE. — multo etiam magis Dr. 1. et si fides silentio, γ; nam

huic caelesti descriptioni mentique diuinae et praepotenti deo, ut iam uniuersus *sit hic mundus una ciuitas communis deorum atque hominum existimanda. Et quod in ciuitatibus ratione quadam, de qua dicetur idoneo loco, agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum natura tanto est magnificentius tantoque praeclarius, ut homines deorum agnatione et gente teneantur.

24. VIII. Nam cum de natura *hominis quaeritur, disputari *solet, (et nimirum ita sunt, ut disputantur) perpetuis cursibus, *conuersionibusque caelestibus exstitisse quandam

---

in codd. Lago-Mars. fuisse etiam perperam h. l. ex Bakii silentio collegeris. In cod. arch. haud scio, an pro etiam fuerit iam, quod est in melioribus codd. omnibus deteriorumque plerisque (D β ε Cr. W. Dr. 2.). parent ei multo etiam magis Par. Reg. parent et multo etiam magis Mon. Falsa h. l. tradit, ut saepe, Goerenzius in Gd. 2. Dr. 2. etiam esse affirmans. — parent autem coniectura, quam in codd. α β 10. 58. 96. fuisse parum recte ex Bakii silentio collegeris. Sed uestigia particulae autem in deterioribus fere (Dr. 1. 2. Cr. W. Gd. 1.) et in Gd. 2. praetermissae seruata etiamnunc sunt in codd. ABCED (parent aut huic). parent ut huic γ. parent autem ut huic M. Par. Reg. 39. — praepotenti deo, ut iam CE Gd. 2. et procul dubio δ, itemque Br. et γ. praepo-
un e
tenti de ut iam B 65. 58. 96. deo etiam Vd. Gd. 1. Oxx. EU. prae-
un
potenti de etiam A. praepotenti unde etiam 11. Dr. 1. W. ψ. deo num etiam β ε Cr. Dr. 2. deo num et D. deo [ut] iam Par. Reg. — sit hic. Hunc uerborum ordinem constitui de coniectura mea. Sit in cod. arch. iam defuisse, insignis codd. meliorum cum deteriorum plerisque consensus arguit. Quocirca non minus perspicuum est sit coniectura illatum esse in Br. Dr. 1. γ post ciuitas et in ε post existimanda, quam est, quod in quibusdam codd. (Vd. OxE.) post ciuitas reperitur, coniecturam esse patet.

VIII. §. 24. hominis coni. iam in Steph. edit. expressa et a Dau. Madu. (Emendatt. p. 7.) aliisque probata. omni codd. ad unum paene omnes. natura omnium α. natura hominum 10. — quaeritur siue fuit in cod. aliquo (et ex Bakii silentio in cod. 10. colligas fuisse), siue non fuit, coniectura est in uett. iam editt. expressa. Cod. arch. quaeruntur disputari solent nimirum, quae tenent codd. meliores cum plerisque deteriorum Dr. 1. 2. D Cr. W. α β 39. 58. 96. γ (in hoc superscr. quaeritur). solent et nimirum β γ Par. Reg. disputari solet nimirum M. 65. — ita

maturitatem serendi generis humani, quod sparsum in terras atque satum diuino auctum sit animorum munere; *cumque alia, quibus cohaererent homines, e mortali genere sumserint, quae fragilia essent et caduca, animum esse ingeneratum a deo. Ex quo uere uel agnatio nobis cum coelestibus, uel genus, uel stirps appellari potest. Itaque ex tot generibus nullum est animal praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam *dei, ipsisque in hominibus nulla gens est neque tam mansueta, neque tam fera, quae non, etiam si ignoret,

---

sunt codd. meliores, quibus utrum deteriores aliquot suffragentur, necne, pro certo non ausim affirmare. Etenim ex Bakii silentio, qui ex codd. α β γ ε D scripturam a melioribus discrepantem non excerpsit, uereor, ne perperam colligas in istis omnibus ita fuisse. Reliqui certe deteriores (10. 39. 58. 96. Cr. W. M. Dr. 1. 2. Br. Vd. Oxx. EU. omnes Dau.) habent ista sunt. — conuersionibusque. Particulam que a cod. arch. abfuisse insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. In uerborum seriem istam primus recepit Schuetzius, cum Ern. Wagn. Goer. eam a se desiderari dixissent. — maturitatem ABCE Gd. 2. cum multis deteriorum (Par. Reg. M. Cr. in marg. itemque α β γ 10, si fides silentio est). materiem ε 39. 58. 96. Cr. W. Dr. 1. 2. 11. 65. — cumque alia quibus de Turnebi coni. reliqui. Quamque aliquibus ABCED, modo quod in ABD superscripta est correctio nam quod. Quam [que] aliquibus Gd. 2. quae [que] aliquibus δ. Deteriores: nam quod aliquibus (Dr. 1. 2. Cr. W. El. Harl. 1. 2. Med. ε 10. 39. 58. 65.) quamquam alia quibus Par. Reg. Ball. γ Oxx. EU. Cass. Vd. Gd. 1. Pal. 4. M. quamquam [alia] quibus α. namque aliquibus β. — cohaererent Dr. 2. Cr. W. Br. Vd. et si fides silentio est, A β γ ε D 39. 58. 96; at coherent BCE Gd. 2. δ 11. 65. cum multis deteriorum (10. M. Dr. 1. pal. 4. Par. Reg. Ball. Harl. 1. 2. El. Med.) docerent cherent α. — sumserint ABCE 11. 65. cum pluribus deteriorum. sumserunt Gd. 2. Dr. 1. 2. D β 39. 58. 96. — dei ipsisque in hominibus. Haec non nisi coniectura niti uidentur, expressa iam in Steph. editione et confirmata a Lactantio III, 10. 7, ad quam proxime ducunt ex melioribus E et Gd. 2. (aliquam de ipsis quin hominibus). In A et B ipsis manifesto erasum scriptumque esse dicitur: dei qui hominibus (A), dei quin hominibus (B). Deteriores, quorum quidem excerpta est discrepantia: aliquam de ipsis Quinte hominibus (γ M. Dr. 1.), aut aliquam dei de ipsis quidem hominibus (α itemque C, modo quod dei non habet), aut desunt denique in iis uerba: ipsisque in hominibus, ueluti in D Dr. 2.

25. qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat deum, qui, unde ortus sit, quasi recordetur *et cognoscat. Iam uero uirtus eadem in homine ac deo est, neque alio ullo ingenio praeterea. Est autem uirtus nihil aliud, *nisi perfecta et ad summum perducta natura. Est igitur homini cum deo similitudo. Quod cum ita sit, quae tandem esse potest propior certiorue cognatio? Itaque ad hominum commoditates et usus tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea, quae gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata uideantur, nec solum ea, quae frugibus atque bacis terrae fetu profunduntur, sed etiam pecudes, quod *perspicuum sit partim esse ad usum hominum,
26. partim ad fructum, partim ad uescendum procreatas. Artes uero innumerabiles repertae sunt docente natura, quam imitata ratio res ad uitam necessarias sollerter consecuta est.

IX. Ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornauit, sed et sensus, tamquam satellites attribuit ac nuntios, et rerum plurimarum *obscuras in-

---

Cr. W. β ε. — mansueta ABCGd. 2. 11. 65. mansuetam E. Deteriores (etiam Dr. 1. 2.): immansueta.

§. 25. is agnoscat AB 11. 65. cum deterioribus fere omnibus, etiam Dr. 2. ut agnoscat E. ut ignoscat C δ Gd. 2, itemque Dr. 1. — recordetur et cognoscat coniectura mea, quae nititur mendo recordetur cognoscat codicum meliorum B, in quo superscriptum est agnoscat, C et procul dubio E, quibus accedunt γ 39. Par. Reg., cuius mendi pars prior recordetur exstincta est in Gd. 2. et procul dubio in δ. recordetur agnoscat Dr. 1. 2. $\alpha\beta$ ε 10. Cr. W. M. Harl. 1. 2. Med. itemque A 11. 65. recordetur et agnoscat Ball. et si fides silentio est, D 58. 96. — alio ullo codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. ullo alio Cr. Dr. 2. β ε 10. — nisi perfecta Bakii coni. expressa ex mendo codd. meliorum aliud in se perfecta (ABCE δ Gd. 2, itemque M.). Deteriorum plerique: nihil aliud quam in se perfecta (Cr. W. Dr. 1. 2. D γ et procul dubio, si non omnes, at plurimi certe Dau. et Goer. codd.). nihil aliud in se est quam perfecta α. — esse potest codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. potest esse γ 10. 39. 96. — quod perspicuum sit codd. omnes exceptis paucis (D ε 10. Cr.), qui habent quidem perspicuum sit.

IX. §. 26. sed et sensus codd. omnes praeter 65, in quo et omissum est. — et rerum plurimarum cet. Sic scripsi de con-

telligentias inchoauit quasi fundamenta quaedam scientiae, figuramque corporis habilem et aptam ingenio humano dedit. Nam cum ceteras animantes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit ad coelique quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitauit; tum speciem ita formauit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam et 27.
oculi *inprimis arguti, quemadmodum animo affecti sumus, loquuntur, et is, qui appellatur uultus, qui nullo in animante esse praeter hominem potest, indicat mores; cuius uim Graeci norunt, nomen omnino non habent. Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem uocis, orationis uim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis; neque enim omnia sunt huius disputationis ac temporis, et hunc locum satis, ut mihi uidetur, in iis libris, quos legistis, expressit Scipio. Nunc, quoniam hominem, quod principium reliquarum rerum esse uoluit, generauit et ornauit deus, perspicuum sit illud, ne omnia disserantur, ipsam per

---

iectura mea adscita Aurati coniectura inchoauit. In cod. arch. haud scio, an haec fuerint: et rer. pl. obscuras (Gd. 2. obscuritas) nec satis intelligentias enodauit (C E δ Gd. 2. quibus accedunt Vd. et 65. α, modo quod hi et obscurarum habent, et intelligenda). Codd. deteriores, ex quibus h. l. correcti sunt A et B, consentiunt fere in eo, quod enudauit praebent pro enodauit, in ceteris ita inter se discedunt, ut alii praebeant: obscura (et obscura β) nec satis intelligenda (intelligendas AB) ABD Cr. W. ε 58. 96. El. Harl. 1. Med. Dr. 2., alii: rerum plurimarum obscurarum necessarias intelligentias Dr. 1. Gd. 1. Uff. rerum plurimarum obscuram necessarias intelligentias Par. Reg. Ball. Harl. 2. Fabr. plurimarum et obscurarum nec satis intelligentias γ. rerum plurimarum necessitas intelligentias M. — ad coelique Cr. Dr. 1. 2. α β W. in marg. ab eadem manu. ad coeli[que] AB E 11. 65. cum aliquot deterioribus (10. 39. 58. 96. D.) et coeli Gd. 2.

§. 27. inprimis arguti coni. mea. Codd. omnes nimis, nisi in quo scribendi errore peccatum est, ueluti in Gd. 2. (unus). — sumus codd. meliores cum deteriorum plerisque (D Dr. 1. 2. Cr. W. M. α 39. 58. 96. omnibus Dau. et Goer.) simus β γ 10, si fides silentio est. — mores codd. omnes. Scribendi errore praetermissum est mores in Gd. 2. — in iis libris Dr. 2. W., quibus, si fides silentio est, accedunt α β γ 10. 58. in his codd. meliores, itemque D Dr. 1. 2.

se naturam longius progredi; quae etiam nullo docente profecta ab iis, quorum ex prima et inchoata intelligentia genera cognouit, confirmat ipsa per se rationem et perficit.

28. X. Att. Dii immortales, quam tu longe iuris principia repetis! atque ita, ut ego non modo ad illa non properem, quae exspectabam a te de iure ciuili, sed facile patiar te hunc diem uel totum in isto sermone consumere. Sunt enim haec maiora, quae aliorum causa fortasse complecteris, quam ipsa illa, quorum haec causa praeparantur. M. Sunt haec quidem magna, quae nunc breuiter attinguntur; sed omnium, quae in hominum doctorum disputatione uersantur, nihil est profecto praestabilius, quam plane intelligi nos ad iustitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse ius. Id iam patebit, si hominum inter ipsos societatem coniunctio-
29. nemque perspexeris. Nihil est enim unum uni tam simile, tam par, quam omnes inter nosmet ipsos sumus. Quod si deprauatio consuetudinum, si opinionum uanitas non imbecillitatem animorum torqueret et flecteret, quocumque coepisset, sui nemo ipse tam similis esset, quam omnes sunt omnium. Itaque quaecumque est hominis definitio, una in
30. omnes ualet. Quod argumenti satis est nullam dissimilitudinem esse in genere; quae si esset, non una omnes definitio contineret. Etenim ratio, qua una praestamus beluis, per quam coniectura ualemus, argumentamur, refellimus, disserimus, conficimus aliquid, concludimus, certe est communis, doctrina differens, discendi quidem facultate par.

Cr. ε 39. iis om. 96. — ab iis Dr. 2. cum deteriorum plerisque. ab his codd. meliores itemque β Dr. 1.

X. §. 28. quam tu Gd. 2. C (in quo superscriptum est quantum) et procul dubio δ, idemque a Goer. excerptum est e Br. Codd. reliqui quantum. — hominum doctorum codd. omnes.

§. 29. uanitas ABCGd. 2. δ 11. 65. cum deterr. paene omnibus. uarietas E. 10. — sunt omnium codd. omnes exc. Br., ex quo Goer. excerpsit essent.

§. 30. argumenti codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. argumentum Dr. 2. El. Med. Harl. 1. Dβε 39. — conficimus aliquid, concludimus codd. meliores cum deterioribus paene omnibus. conficimus ac concludimus M. conficimus aliud

Nam et sensibus eadem omnia comprehenduntur, et ea, quae mouent sensus, itidem mouent omnium; quaeque in animis imprimuntur, de quibus ante dixi, inchoatae intelligentiae, similiter in omnibus imprimuntur; interpresque est mentis oratio uerbis discrepans, sententiis congruens. Nec est quis- 31.
quam gentis ullius, qui, ducem naturam nactus, ad uirtutem peruenire non possit.

XI. Nec solum in rectis, sed etiam in prauitatibus insignis est humani generis similitudo. Nam et uoluptate capiuntur omnes, quae etsi est illecebra turpitudinis, tamen habet quiddam simile naturali bono; leuitate *est enim et suauitate delectans; sic ab errore mentis tamquam salutare aliquid adsciscitur. Similique inscitia mors fugitur quasi dissolutio

concludimus Dr. 2. conficimus [aliquid] concludimus 39. — interpresque est mentis deteriorum plerique (Dr. 1. 2. Cr. W. D 58. 96. 10. γ — in his tamen duobus interpressaque est — itemque C ex corr.) Interpresque (interpresseque E. interpatresque Gd. 2. et procul dubio δ) omisso est codd. meliores. impressaque [est] 39. — uerbis discrepans B cum multis deteriorum (β γ Dr. 1. 2. Cr. W. discrepat Gd. 2. C et si fides silentio est, α D. In Lago-Mars. quoque codd. discrepat esse uereor, ne perperam ex Bakii silentio colligas. decrepat E. discrepant A. corr. discrepatis M. — ducem naturam codd. deteriores. naturam om. ABEδ Gd. 2. 11. ex corr. habet C.

XI. §. 31. in prauitatibus codd. meliores exc. 65. itemque Br. M. et si fides silentio est, α 10. probitatibus Vd. prauis actibus deteriorum plerique (D Dr. 1. 2. Cr. W. Gd. 1. Uff. Cass. Par. Reg. — et hi quidem duo in marg. — β γ ε 39. 58. 96. Med. El. Harl. 1. 2. Ball. itemque 65.) — naturali bono Gd. 2. CE itemque α 10. naturae a librone Par. Reg. 11. 39. nature a librono γ (corr. a libidine). nē alibrone M. natura libronae (corr. naturalis boni) B, unde perspicuum est, correctione in codd. A 11. 65. illatum esse naturalis boni, quod idem tenent D β ε. [simile] naturalis boni Dr. 1. 2. Cr. W. 58. 96. — leuitate est enim coni. expressa ex codicis arch. mendo: leuitatis enim et suauitatis es enim et suauitate C δ Gd. 2. Par. Reg. α γ Gd. 1. M. (modo quod in hoc est is enim pro es enim, et in Gd. 1. α γ est pro es) itemque E, modo quod part. enim omissa scriptum in eo est et suauitatis es et suauitate. Lenitatis est enim et suauitatis enim suauitate Br. et suauitatis et suauitate Vd. et suauitatis ut suauitate Cass. Deteriorum pleri-

naturae, uita expetitur, quia nos, in quo nati sumus, continet, dolor in maximis malis ducitur cum sua asperitate, tum
32. quod naturae interitus uidetur sequi. Propterque honestatis et gloriae similitudinem beati, qui honorati sunt, uidentur, miseri autem, qui inglorii. Molestiae, laetitiae, cupiditates, timores similiter omnium mentes peruagantur; nec, si opiniones aliae sunt apud alios, idcirco, qui canem et felem ut deos colunt, non eadem superstitione, qua ceterae gentes, conflictantur. Quae autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum et beneficii memorem diligit? quae superbos, quae maleficos, quae crudeles, quae ingratos non aspernatur, non odit? Quibus ex rebus cum omne genus hominum sociatum inter se esse intelligatur, illud extremum est, quod recte uiuendi ratio meliores efficit. Quae si approbatis, pergam ad reliqua; sin quid requiritis, id explicemus prius. Att. Nos uero nihil, ut pro utroque respondeam.

33. XII. M. Sequitur igitur ad participandum alium ab alio communicandumque inter omnes *ius nos natura esse factos. Atque hoc in omni hac disputatione sic intelligi uolo, *ius quod dicam, *natura esse, tantam autem esse corruptelam

---

que: leuitatis uel lenitatis est enim et suauitatis delectans β ε D Dr. 1. 2. Cr. W. 39. 58. 96. AB 11. 65. — cum sua BCE δ Gd. 2. 11. 65. cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. 2. tum AVd. M. 10.

§. 32. propterque E Gd. 2. Br. Cass., quibus, si fides silentio est, accedunt α β. propter quae 10. Vd. itemque C, sed superscripta correctione quam. Propterque ad honestatis Par. Reg. M. Gd. 1. OxxEψ. γ 10 propter quam ABD 11. 65. Cr. W. Dr. 1. 2. 39. 58. 96. ε.

XII. §. 33. alium ab alio Gd. 2. CE δ et si fides silentio esset, α β γ 10. aliud ab alio M. alium [ab] alio AB 11. 65. ε 58. 96. Cr. W. Dr. 1. 2. aliud alio 39. — inter omnes ius nos Dauisii coni. In cod. arch. haud scio, an haec fuerint: inter omnes (inter se omnes A mendo proprio) iustos natura esse factos ABCE δ Gd. 2. 11. 65. cum multis deteriorum (Cr. W. Dr. 1. 2. Cass. et si fides silentio est, D β 10. 58. 96.) inter ius hos natura esse factos Par. Reg. Br. Vd. Gd. 1. inter omnes ius natura hos esse factos γ. inter omnes iustos naturo hos esse factos α. inest hoc natura 39. — ius quod dicam coni. reperta nunc in cod. γ et

malae consuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi exstinguantur a natura dati exorianturque et confirmentur uitia contraria. Quod si, quo modo est natura, sic iudicio homines humani, ut ait poeta, nihil a se alienum putarent, coleretur ius aeque ab omnibus. Quibus enim ratio a natura data est, iisdem etiam recta ratio data est; ergo et lex, quae est recta ratio in iubendo et uetando; si lex, ius quoque. Et omnibus ratio; ius igitur datum est omnibus; recteque Socrates exsecrari eum solebat, qui primus utilitatem *a iure seiunxisset; id enim querebatur caput esse exitiorum omnium. Unde 34.
*est illa Pythagorea uox: †de amicitia locus. Ex quo perspicitur, cum hanc beneuolentiam tam late longeque diffusam uir sapiens in aliquem pari uirtute praeditum contulerit, tum illud effici, quod quibusdam incredibile uideatur, sit autem necessarium, ut *nihilo sese plus, quam alterum

---

ante iam commendata a Pearcio. Cod. archet. uolo [ius] quod dicam, quod codd. meliores tenent cum deterioribus paene omnibus, etiam Dr. 1. 2. quod quidem dicam α. quidquid dicam 10. — natura coni. inuenta nunc in cod. 10. et ante proposita a Lambino in marg. edit. 1584. Codd. paene omnes naturam. Uerum pal. 4. naturam cum correct. uerum γ. — ius codd. meliores exc. 65, quibus accedunt W. M. et si fides silentio est, 10 et γ. iustitia (D $\alpha\beta\varepsilon$ 39. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr.) — ab omnibus BC Gd. 2 δ et si fides silentio est, $\alpha\beta\gamma$ D 10. 39. 58. ab ominibus A. ab hominibus E 11. 65. 96. ε Cr. W. Dr. 1. 2. — a natura A Gd. 2. et procul dubio C et δ itemque, si fides silentio est, $\beta\gamma$. [a] natura BE 11. 65. 10. 39. 58 96. α Dr. 1. 2. Cr. naturae ε. In M. deest et natura et uerba iisdem etiam recta ratio data est, in W. uerba natura — ratio. — et omnibus. Et in cod. arch. fuisse insignis meliorum deteriorumque codd. consensus arguit. — a iure Dauisii coni. expressa ex mendo codicis archet. nature uel naturae, quod tenent codd. meliores cum deteriorum longe plerisque (D Dr. 1. Cr. W. Med. Harl. 1. 2. El. Ball. Par. Reg. γ ε 10. 39. 58. 96.) crari eum — utilitatem om. Par. Reg. 39. γ. M., sed in hoc pro nature est natare. A natura β Dr. 2. ab honestate α.

§. 34. unde est coni. inuenta in Dr. 1. et pal. 3 et ante iam a Manutio recepta. In cod. arch. unde enim fuisse insignis meliorum deteriorumque consensu confirmatur. Etiam excerpsit Goer. ex Br. et Vd. — de amicitia locus. Haec uerba iam in cod. arch. fuisse codicum omnium consensus testatur. — ut nihilo sese. Verae

diligat. Quid enim est, quod differat, cum cuncta sint paria? Quod si interesse quippiam tantulum modo potuerit, amicitiae iam nomen occiderit, cuius est ea uis, ut, simul atque sibi aliquid alter maluerit, nulla sit. Quae praemuniuntur omnia reliquo sermoni disputationique nostrae, quo facilius ius in natura esse positum intelligi possit. De quo cum perpauca dixero, tum ad ius ciuile ueniam, ex quo haec omnis est nata oratio.

35. XIII. Q. Tu uero iam perpauca scilicet! Ex iis enim, quae dixisti *adhuc, uidetur mihi quidem certe ex natura ortum esse ius. Att. An mihi aliter uideri possit, cum haec iam perfecta sint: primum quasi muneribus deorum nos esse instructos et ornatos, secundo autem loco unam esse hominum

---

huius scripturae iam in uett. editt. et si fides silentio est, in cod. β exaratae uestigium latet in mendo codd. meliorum ut in illo sese (AB 11. 65.), a quo non longe haec recedunt ut in illo sepe (CGd. 2. δ), ut in illos sepe (E). Deteriores: ut nihil sese (D α γ ε 10. 39. 58. 96. Cr. W. M. Dr. 1. 2. Dauisii et Goerenzii omnes, modo quod Par. Reg. Cass. cum codd. γ OxxE. U. habent uti nihil. — amicitiae iam nomen E Gd. 2. Cass. et procul dubio δ. inamititiae nomta occiderit AB. inamicitiae nom tamen occiderit 65. in amicitia nomen tamen occ. Par. Reg. Ball. inamicitiae nomen occ. 10. 11. in amicitia nostra occ. M. in amicitia nomen occiderit 96. in amicitiam nomen occ. γ. amicitiae nomen tum occ. D ε 58. Cr. W. El. Harl. 1. 2. Med. Vd. Cass. Dr. 1. 2. amicitiae nomen occ. α 39. 58. — aliquid alter maluerit C. 65. simulatque sibi ut aliquid alter maluerit Gd. 2. aliquid alteram maluerit E et B, sed hic superscripto i; unde aliquid alteri maluerit A. aliquid alterum mal. D β ε 11. 39. 96. Cr. W. Dr. 1. 2. simul atque sibi aliquid, quam alteri mal. γ 10. 58. — est nata codd. meliores, quibus accedunt W. et plerique, si fides silentio est, Bakii codd. nata est 10. Dr. 1. 2. M. Cr.

XIII. §. 35. ex iis A. Dr. 2. 58. Cr. W., quibus, si fides silentio est, plures accedunt codd. Bakiani et omnes Lago-Mars. ex his B C E Gd. 2. 11. Dr. 1. — adhuc coni. mea. Codd. omnes aut Attico (C E Gd. 2 γ Dr. 1.), aut Attice (AB 11. 65. cum plerisque deteriorum, in quibus sunt Dr. 1. 2. Cr. W.). — ortum esse codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. [ortum] esse Gd. 1. Cass. Par. Reg. OxE. — loco A B C Gd. 2. δ 11. 65. cum deterioribus paene omni-

inter ipsos uiuendi parem *communemque rationem, deinde omnes inter se naturali quadam indulgentia et beneuolentia, tum etiam societate iuris contineri? Quae cum uera esse recte, ut arbitror, concesserimus, qui iam licet nobis a natura leges et iura seiungere? M. Recte dicis: et res se 36.
sic habet. Uerum philosophorum more, non ueterum quidem illorum, sed eorum, qui quasi officinas instruxerunt sapientiae, quae fuse olim disputabantur ac libere, ea nunc articulatim distincteque dicuntur. Nec enim satisfieri censent huic loco, qui nunc est in manibus, nisi separatim hoc ipsum *natura esse ius disputarint. Att. Et scilicet tua libertas disserendi amissa est, aut tu is es, qui in disputando non tuum iudicium sequare, sed auctoritati aliorum pareas. M. Non semper, Tite. Sed iter huius sermonis quod sit, 37.
uides. Ad res publicas firmandas et ad *stabiliendos iure sanandosque populos omnis nostra pergit oratio. Quo-

---

bus. loco om. E. 10. — communemque coni. iam in uett. editt. uulgata, quam ex Bakii silentio perperam collegeris esse in B et α. Certe in cod. arch. defuit particula que, id quod insignis codicum meliorum cum deterioribus consensus declarat.

§. 36. res se sic ABCE δ Gd. 2. 11. 65. Dr. 1. 2. sic se habet deteriorum plerique (D $\alpha\,\gamma\,\varepsilon$ 10. 39. 96). — distincteque codd. deteriores, etiam Dr. 1. 2, quibus s. f. s. accedit E. distincte [que] C Gd. 2. D. desecta A. deticta (corr. distincta) B. directa 11. 65. — natura Lambini coni. in marg. edit. 1584. reperta nunc in cod. Dr. 1. Reliqui codd. omnes naturae.

§. 37. sed iter huius codd. meliores cum quibusdam deterioribus (Dr. 1. Br. W. $\alpha\,\gamma$ 10. sed interest huius D $\beta\,\varepsilon$ 58. 96. Dr. 2. Cr. Alterum utrum etiam Dau. codd. tenent. sed iter est huius 39. — quod sit uides C Gd. 2 et procul dubio δ. quod sit uidemus Br. quod situ id est ABE. quod si tu idem Dr. 1. 2. Par. Reg. El. Ball. 1. 2. (a pr. manu) Med. Cr. W. D γ. qui si tu idem ε. — et ad stabiliendos iure sanandosque pop. Maduigii coni. leuiter ita a me inflexa, ut pro et sanandos scriberem sanandosque. Codices uel: ad res publicas (suas Gd. 2.) firmandas et ad (ad om. 65) stabiliendas (et astabiliendas E) uires (iures C) sanandos populos ABCE δ Gd. 2. 11. 65., uel: ad rei publicae firmandas et ad (ad om. ε 39. Dr. 2.) stabiliendas uires sanandos pop. Dr. 1. 2. Cr. W. D ε 39. 96. In codd. CE $\alpha\beta\gamma\varepsilon$ 10. 39. 96. reperiri sanandosque perperam ex Bakii silentio colle-

circa uereor committere, ut non bene prouisa et diligenter explorata principia ponantur; nec tamen ut omnibus probentur, (nam id fieri non potest) sed ut iis, qui omnia recta atque honesta per se expetenda duxerunt, et aut nihil omnino in bonis numerandum, nisi quod per se ipsum laudabile esset, aut certe nullum habendum magnum bonum, nisi
38. quod uere laudari sua sponte posset; his omnibus, siue in Academia uetere cum Speusippo, Xenocrate, Polemone manserunt, siue Aristotelem et Theophrastum cum illis congruentes re, genere docendi paullum differentes secuti sunt, siue, ut Zenoni uisum est, rebus non commutatis immutauerunt uocabula, siue etiam Aristonis difficilem atque arduam, sed iam tamen fractam et conuictam sectam secuti sunt, ut uirtutibus exceptis atque uitiis cetera in summa aequalitate
39. ponerent, his omnibus haec, quae dixi, probantur. Sibi autem indulgentes et corpori deseruientes atque omnia, quae sequantur in uita quaeque fugiant, uoluptatibus et doloribus ponderantes, etiam si uera dicunt, (nihil enim opus est hoc loco litibus) in hortulis suis iubeamus dicere, atque etiam ab omni societate rei publicae, cuius partem nec norunt ullam, neque umquam nosse uoluerunt, paullisper facessant rogemus. Perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam, hanc ab Arcesila et Carneade recentem, exoremus

---

geris. — principia ponantur ABC Gd. 2. 11. 65. cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. principio ponatur E. in principio ponatur α Gd. 1. Cass. Par. Reg. Ball. OxxE. U. — duxerunt codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. duxerint 39. 96. duxerit M. dixerunt Cr. Br. Vd. Gd. 1. dixerint 10.

§. 38. congruentes re. Haec uerba et hunc uerborum ordinem tenent codd. meliores cum deteriorum plerisque. congruentis re Cr. W. Dr. 2. congruente re β. congruenti re γ. congruenti [re] Dr. 1. congruentes res 11. 58. 65. 96. Sed pro cum illis ABE praebent dum illis (in A. et B. superscr. illos). Dum illos D ε 10. 39. 58. 96. Cr. W. M. Dr. 1. 2. 11. 65. cum illi C Gd. 2. — immutauerunt codd. meliores cum multis deteriorum, etiam Dr. 1. commutauerunt El. Harl. 2. Med. Dr. 2. β ε 39. 58. 96. mutauerunt D. immutauerint M. — iam tamen codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. iam tum 10. tamen iam Dr. 2. D β ε.

ut sileat. Nam si inuaserit in haec, quae satis scite nobis instructa et composita uidentur, nimias edet ruinas. Quam quidem ego placare cupio, submouere non audeo. ****

XIV. Nam et in iis sine † illius suffimentis expiati sumus. 40.
At uero scelerum in homines atque impietatum nulla expiatio est. Itaque poenas luunt non tam iudiciis, quae quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt, *ubi sunt tamen, persaepe falsa sunt, *sed eos agitant insectanturque furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae fraudisque cruciatu. Quod si homines ab iniuria poena, non natura arcere deberet, quaenam sollicitudo uexaret impios sublato suppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax umquam fuit, quin aut abnueret a se commissum

---

§. 39. scite E et α, si fides silentio est. site Gd. 2. sitae C. cito AB 11. 65. 10. scito Dr. 1.2. D βγ Cr. W. 39. 96. scio 58. quaesito M. — nimias edet ruinas Cr. W. Dr. 1. 2, quibus s. f. s. accedunt D β itemque A 11. 65. et B (hunc correctum esse annotatum est). nimias edet ruinas (superscr. dabit) ε. [nimias] edet ruinas 39. nimias odet. rationes dabit ruinas C δ Gd. 2. α. [nimias] miscet et ruinas γ M. pal. 4. Par. Reg. [nimias] miscet ruinas 10. miseret ruinas Vd. [nimias] dabit ruinam E.

XIV. §. 40. nam et in iis sine illius codd. meliores, modo quod in E pro iis est hiis et in B mussine pro iis sine, itemque Cr. W. nam et ius sine γ Par. Reg. nam et inuisum illius M. nam et huius sine suffimentis α. nam etiam sine D β ε Dr. 1. 2. aliquot Dauisii codd. — ubi sunt tamen Turnebi coni. in edit. Par. In codicibus est uel: ubi sit tamen (A B C Gd. 2. Dr. 1. 2), uel: ubi fit tamen (E δ α β ε 11. 39. 65. 96. Cr. W. Gd. 1.) Atque alterum utrum Dauisii quoque codd. tenent. ut sint tamen Br. Vd. 10. ut sit tamen Cass. — sed eos agitant insectanturque Bakii coni. Codices exc. β, in quo coniectura tentata est sed ut eos, omnes: [sed] ut eos; deinde uero C δ Gd. 2. agitant insectanturque, ABE 96. agitent insectanturque;' deteriores: agitent insectenturque. — suppliciorum codd. meliores cum multis deteriorum, etiam Dr. 1. iudiciorum D β ε 58. 96. El. Harl. 1. 2. Cass. Dr. 2. Cr. W. — quin aut abnueret Dr. 1. 10. (modo quod in hoc aut om.) itemque s. f. s. D (qui aut abn.) 39. β γ, quod num Dauisii et Goerenzii quibusdam firmetur codicibus, non constat. quin (qui Dr. 2. Cr.) aut abnuerit AB 11. 65. 58. 96. Cr. W. Dr. 2. quin aut ob iniuriam CE

esse facinus, aut iusti sui doloris causam aliquam fingeret defensionemque facinoris *a naturae iure aliquo quaereret. Quae si appellare audent impii, quo tandem studio colentur a bonis?

Quod si poena, si metus supplicii, non ipsa turpitudo deterret ab iniuriosa facinorosaque uita, nemo est iniustus,
41. aut incauti potius habendi sunt improbi. Tum autem qui non ipso honesto mouemur, ut boni uiri simus, sed utilitate aliqua atque fructu, callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet, nisi testem et iudicem? quid in deserto quo loco nactus, quem multo auro spoliare possit, imbecillum atque solum? Noster quidem hic natura iustus uir ac bonus etiam colloquetur, iuuabit, in uiam deducet; is uero, qui nihil alterius causa faciet et metietur suis commodis omnia, uidetis, credo, quid sit acturus. Quod si negabit se illi uitam erepturum et aurum ablaturum, numquam ob eam causam negabit, quod id natura turpe iudicet, sed quod metuat, ne emanet, id est, ne malum habeat. O rem dignam, in qua non modo docti, sed etiam agrestes erubescant!

42. XV. Iam uero illud stultissimum existimare omnia iusta esse, quae *scita sint in populorum institutis aut legibus.

Gd. 2. Harl. 2. pro uaria lect. quin aut aberrasset a se M. quin aut abnegasset a se α. — a naturae iure Br. β. 39. Reliqui codd. omnes: a natura iure, ut hoc in cod. arch. fuisse ueri sit simillimum. — aut incauti codd. meliores cum deterioribus paene omnibus. at incauti 96. Dr. 2. Harl. 1.

§. 41. faciet et metietur M. β γ pal. 3. El. Harl. 1. 2. (hi duo ex corr.) eodemque ducit mendum codicum Gd. 2. C E δ α Dr. 1. Ball. faciet emetietur. Facit et metietur 11. 65. 96. Dr. 2. Harl. 1. Med. Cr. W. facit emetietur 58. facit et mentietur AD. facti (corr. faciet) et mentietur B. faciet metietur Par. Reg. Goerenzio, qui in septem suis codd. faciet et metietur esse dicit, fides non est habenda. — sed A B 11. 65. cum multis deteriorum (Cr. W. Dr. 1. 2, et s. f. s. α β γ D 58.). uerum Dr. 1. 10. 39. 96. sed om. C E Gd. 2.

XV. §. 42. illud stultissimum A B C E δ Gd. 2, quibus accedunt Dr. 1. et s. f. s. γ 10. 39. stultissimum illud 11. 65. 58. 96. α β ε Cr. W. D. stult. id Dr. 2. — scita sint coni. in plerisque

Etiamne, si quae leges sint tyrannorum? Si triginta illi Athenis leges imponere uoluissent, aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco eae leges iustae haberentur? Nihilo, credo, magis illa, quam interrex noster tulit, ut dictator, quem uellet ciuium †indicta causa impune posset occidere. Est enim unum ius, quo deuincta est hominum societas, et quod lex constituit *una. Quae lex est recta ratio imperandi atque prohibendi; quam qui ignorat, is est iniustus, siue est illa scripta uspiam, siue nusquam. Quod si iustitia est obtemperatio scriptis legibus institutisque populorum, et si, ut iidem dicunt, utilitate omnia metienda sunt, negliget leges easque perrumpet, si poterit, is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore. Ita fit, ut nulla sit omnino iustitia, si neque natura est *eaque, quae propter utilitatem constituitur, utilitate illa conuellitur.

---

editt. uett. (Asc. Ald. Crat. aliis) expressa, quam Goer. in tribus etiam codd. (Br. Vd. Gd. 1.) reperisse se dicit. In cod. arch. fuisse sita sint insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. — eae codd. meliores omnes (modo quod E habet ea leges iusta, Gd. 2. ea elegis iustae) itemque s. f. s. omnes Bakii codd. deteriores exceptis 10 et 39, in quibus eae deest, atque γ. (haec leges). Hae leges Cr. W. Dr. 1. 2. — ut dictator quem codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. ut dictator esset Par. Reg. M. α 10. 39 — indicta causa impune codd. quidam deteriores (Dr. 1. 2. et s. f. s. Cr. β D. aut indicta causa C δ E Gd. 2. α. an indictae B 65. 58. 96. ut indicata causa Br. Cass. ut uindicta causa 11. ut dicta causa γ 39. Par. Reg. Gd. 1. Vd. aut dicta caūsa 10. uindictae causa W. impune om. Gd. 2. 96. Suspicor uerba aut indicta causa a margine in ipsam uerborum seriem irrepsisse. — una; quae lex est coni. ex meliorum deteriorumque codicum uestigiis conflata, in uett. iam editt. reperta et nunc a Bakio excerpta ex cod. α, qui habet: quodque lex constituit unaque lex est. B C E δ Gd. 2. unaque (unaquae B) lex quae uel que est, quibuscum s. f. s. faciunt γ ε 10. 39. Una quae lex esset D β 58. 96. Cr. W. Dr. 2, unde translatum idem est in All. 65. unaquae lexque esset Dr. 1. — eaque quae Goerenzii coni. reperta nunc in codd. β γ 10. Cod. arch. eaque [quae] (Gd. 2. C E δ α ε 39. 58. 96. Cr. W. M. Dr. 1. 2. omnes Dauisii et Goer. exceptis Br. et Vd., in quibus ea quaeque esse dicitur.) ea quae All. 65. aea qua B. — utilitate illa codd. paene omnes. Ex solis codd. Ball. et pal. 3. pro illa excerptum est ipsa.

43. Atque si natura confirmatura ius non erit, uirtutes omnes *tollentur. Ubi enim liberalitas, ubi patriae caritas, ubi pietas, ubi aut bene merendi de altero, aut referendae gratiae uoluntas poterit exsistere? Nam haec nascuntur ex eo, quia natura propensi sumus ad diligendos homines, quod fundamentum iuris est. Neque solum in homines obsequia, sed etiam in deos caerimoniae religionesque tolluntur; quas non metu, sed ea coniunctione, quae est homini cum deo, conseruandas puto.

XVI. Quod si populorum iussis, si principum decretis, si sententiis iudicum iura constituerentur: ius esset latrocinari, ius adulterare, ius testamenta falsa supponere, si

---

§. 43. Atque AB (corr. atqui) CE δ Gd. 2. cum plerisque deteriorum (Cr. M. Br. Gd. 1. OxE. Dr. 1. 2. et s. f. s. α β γ ε D 10. 39. atqui 11. 58. 65. 96. W. — confirmatura ius B (corr. confirmatum ius) CE Gd. 2. 65, itemque β 10. Br. Gd. 1. Cass. U. Par. Reg. confirmatum ius A (corr. ex confirmatura) Cr. W. Vd. Uff. Dr. 1. 2. El. Harl. 1. 2. Med. 11, et s. f. s. D α γ 39. 58. 96. — uirtutes omnes Cr. Dr. 2. D α β γ 96, quibus plures puto accedere Dauisii et Goer. codices, qui nihil de suis prodiderunt. Desunt haec uerba in codd. melioribus nonnullisque deterioribus (Dr. 1. W. M, et s. f. s. 10. 39. 58. — tollentur coni. necessaria, quam in Vd. et Cass. inuenisse se dicit Goer. In cod. arch. fuit tollantur (ABCE Gd. 2. δ α β γ ε D Dr. 2. Cr. W. 96. omnes Dau. et plerique Goer.) tollatur Dr. 1. M. et s. f. s. 10. 39. 58. — ex eo, quia Med. Cass. 39. eodemque ducit mendum qui a natura in codd. Gd. 2. δ Br. qui natura A 11. 65. Par. Reg. 5 Goerenzii, si fides ipsi habenda est. qui (corr. quod) natura B. qui matura E. quod a natura C. quod natura Dr. 1. 2. Cr. W. M. et s. f. s. α β γ ε D 58. 96. quid natura 10. — tolluntur codd. omnes, modo quod in quibusdam scriptum est colluntur (10. 39.) uel coluntur (D β ε). — non metu, sed ea CE δ Gd. 2, quibus suffragantur Br. Vd. et s. f. s. β. Deteriores fere: quas [non] metu et ea coniunctione (Harl. 1. 2. Med. El. Ball. Dr. 1. 2. Cr. W. D ε 58. 96, unde idem translatum est in AB 11. 65. [non] metu [et] ea coniunctione 10. 39. [non] metu, sed α. quas non metui ea coniunctione Par. Reg. M. et fortasse γ, in quo certe non metui esse Bakius affirmat. — cum deo CE δ Gd. 2. et s. f. s. γ 39. cum deo etiam α. cum deo et 10. quod[cum] eo (corr. eis) A. quod[cum dein] eos B. Deteriorum plerique: cum eis (β ε 11. 58. 65. 96. D Dr. 1. 2. Cr. W.).

haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. Quod si 44. tanta potestas est stultorum sententiis atque iussis, ut eorum suffragiis rerum natura uertatur, cur non sanciunt, ut, quae mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis et salutaribus? aut cum ius ex iniuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? Atqui nos legem bonam a mala nulla alia nisi naturae norma diuidere possumus. Nec solum ius *et iniuria a natura diiudicatur, sed omnino omnia honesta et turpia. Nam et communis intelligentia nobis notas res efficit, easque in animis nostris inchoauit, ut honesta in uirtute ponantur, in uitiis turpia. Ea autem in opinione 45.

XVI. §. 44. Quod si C Gd. 2. Cass. α 10. 39. et procul dubio δ. quae si AB 11. 65. Cr. W. Dr. 1. 2. plures Goer. et s. f. s. D ε β γ 58. 96. E. — potestas ABE Gd. 2. 11. 65, quibus s. f. s. accedunt D α γ 10. 39. potentia C Cr. Dr. 1. 2. β ε 58. 96. — et codd. meliores cum dett. plerisque, etiam Dr. 1. 2. ac 10. 39. — aut cum ius codd. meliores praeter E (aut est cum ius) et 11. (aut cum cur), quibus accedit W. et s. f. s. α γ. aut cur cum M. (modo quod cum 39. pro ius habet illis) Cr. β 10. 39. 58. 96. Dr. 1. 2. aut cur non ius D. — naturae norma C Gd. 2. δ, quibus accedit Dr. 1. et s. f. s. γ 10. 39. natura norma E. Deteriorum plerique: naturali norma (D α β ε 58. 96. Cr. W. Dr. 2.), unde idem translatum est in AB. 11. 65. — ius et iniuria coni. pridem uulgata, quae s. f. s. reperta est in codd. α et β. ius et iura Gd. 2. CE δ cum aliquot deterioribus (Par. Reg. Vd. Br. Gd. Gd. 1. M. γ 10.), idemque erat in AB 39, in quibus uerbis et iura erasis est ius a natura, quod est fere in deterioribus (W. Cr. Dr. 1. 2. D ε 58. 96.) ius et uita Cass. OxE. — diiudicatur AB Gd. 2. δ 11. 65. 58. 96. D W. Cr. Dr. 1. 2. plerique Dauisii et procul dubio plures Goerenzii codices, qui, licet ipse in omnibus diiudicantur esse affirmet, lapsus est certe de Dr. 1. 2. Gd. 2. diiudicantur M. Par. Reg. et s. f. s. EC 10. 39. α β γ. — et turp. AB 11. 65. cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 2. ac turpia Dr. 1. 10. 39. — nobis notas res efficit codd. meliores omnes cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 2. notas nobis res γ Br. Dr. 1. nobis res notas β. Effecit pro efficit est tantum in paucis deterioribus (Dr. 2. Cr. Harl. 2. El.). — easque codd. omnes, modo quod C habet eaque. α eisque. — inchoauit codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. inchoat γ. 39. — ut honesta — ponantur codd. deteriores; meliores: [ut] honesta in uirtute ponuntur.

§. 45. Ea CE Gd. 2. γ 10. 39. Par. Reg. Gd. 1. Br. Cass. OxxE. U.

existimare, non in natura posita, dementis est. Nam nec arboris nec equi uirtus, quae dicitur (in quo abutimur nomine), in opinione sita est, sed in natura. Quod si ita est, honesta quoque et turpia natura diiudicanda sunt. Nam si opinione uniuersa uirtus, eadem eius etiam partes probarentur. Quis igitur prudentem et, ut ita dicam, catum, non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa iudicet? Est enim uirtus perfecta ratio; quod certe in natura est. Igitur omnis honestas eodem modo.

XVII. Nam ut uera et falsa, ut consequentia et contraria, sua sponte, non aliena iudicantur: sic constans et perpetua ratio uitae, quae uirtus est, itemque inconstantia,
46. quod est uitium, sua natura †probauit. nos ingenia iuuenum non item? An ingenia natura, uirtutes et uitia, quae existunt ab ingeniis, aliter iudicabuntur? An ea non

---

haec AB 11.65. cum multis deteriorum, etiam Dr. 1. 2. — in natura posita CE Gd. 2. δ, quibus accedunt Br. Vd. et s. f. s. 10.39. $\alpha\gamma$; ceteri fere deteriores: in natura ponere ($\beta\varepsilon$ 58.96. D Cr. W. Dr. 1. 2. Cass. ψ, itemque AB ex corr. 11. 65.). — quod si ita est coni. expressa iam in antiquis editt. (Asc. 1. 2. Ald. Crat. aliis) et nunc a Bakio una cum mendo reperta in codd. α et 39. (quod sit. quod si ita est. In cod. arch. fuisse quid sit est insignis meliorum deteriorumque codd. consensus arguit. quod sit est γ.

XVII. quae uirtus est codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 2. quae est uirtus 10. 39. 96. Dr. 1.

§. 46. probauit. nos ingenia codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1, ut ista iam in cod arch. fuisse certum sit. probabit Br. Cass. probatur α Dr. 2. probantur 10. Ad sententiam uera, ad ipsa uerba probabilis est Madtigii coniectura: iudicabitur. An arboris aut eculei ingenia sua natura probabimus, ingenia iuuenum non item? — an ingenia Madulgii coniectura, expressa ex uestigiis codicis archetypi, in quo haud scio, an haec fuerint: at (ad E) ingenia (ingenuo A) natura, uirtutes et uitia (uirtute sed uitia Gd. 2. δ E 39. uirtutes et sed uitia Cr. Dr. 2.), quae existunt (existent Cr.) ab ingeniis, aliter iudicabuntur ABCE δ 11. 65. El. Med. Harl. 1. Br. Vd. Uff. Dr. 2. Cr. et s. f. s. D $\beta\gamma\varepsilon$ 39. ab ingenita (ingenia 96.) naturae (natura Cass. Harl. 2. om. natura α) uirtute sed uitia (uirtutes et uitia 58). aliter indicamus (iudicabuntur Dr. 1. Harl. 2. Gd. 1. W. et s. f. s. 10. 58.) Dr. 1.

aliter, honesta et turpia non ad naturam referri necesse erit? Quod laudabile bonum est, in se habeat quod laudetur necesse est, ipsum enim bonum non est opinionibus, sed natura. Nam ni ita esset, beati quoque opinione essent; quo quid dici potest stultius? Quare cum et bonum et malum natura iudicetur, et ea sint principia naturae: certe honesta quoque et turpia simili ratione diiudicanda et ad naturam referenda sunt. Sed perturbat nos opinionum uarietas hominumque 47.
dissensio; et quia non idem contingit in sensibus, hos natura certos putamus, illa, quae aliis sic, aliis secus nec iisdem semper uno modo uidentur, ficta esse dicimus. Quod est longe aliter. Nam sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poëta, non scena deprauat, non multitudinis consensus abducit a uero: animis omnes tenduntur insidiae uel ab iis, quos modo enumeraui, qui teneros et rudes cum acceperunt, inficiunt et flectunt, ut uolunt, uel ab ea, quae penitus in omni sensu implicata insidet, imitatrix boni, uoluptas, malornm autem mater omninm; cuius blanditiis corrupti, quae natura bona sunt, quia dulcedine hac et scabie earent, non *cernunt satis.

Gd. 1. M. Cass. W. Par. Reg. Ball. Harl. 2. OxxE. U. α 10. 58. 96. — an ea non aliter, honesta CEδGd. 2. cum aliquot deterioribus (α Dr. 1. Par. Reg. Ball., modo quod in Dr. 1. et Ball. pro non aliter est naturaliter). an (at β) ea (mea Med.) non (non om. D) aliter quam honesta et turpia D Dr. 2. Cr. W. M. El. Med. Harl. 1. 2. et s. f. s. βγ̃ε 10. 39. 58. 96. non aliter (quam) honesta B. unde correctione idem esse patet in codd. A 11. 65. — laudabile bonum codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. laudabile et bonum D Cr. β 39. 58. 96. laudabile — habeat quod om. Dr. 2.

§. 47. dicimus codd. ad unum paene omnes. didicimus α. — a uero AB 11. 65. Br. Vd. Cr. W. Dr. 1. 2. et s. f. s. βεD 58. 96. at uero CEδGd. 2. M. αγ 10. 39. plures Goer. — uel ab iis AB 11 65. cum deteriorum longe plerisque, eodemque ducit mendum uel labiis, quod est in codd. CEδGd. 2. uel ab his εDr. 1. 2. Vd. Gd. 1. corrupti CE Gd. 2. δ cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. 2. — corrupti CEδGd. 2. cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. corrupta AB 11. 65. 96. Harl. Med. — carent, non cern. CEδ (caret δ) Gd. 2. (hic carere), quibus s. f. s. accedunt αγ 10. carent (non) cern. AB. non carent cern. Dr. 1. 2. Cr. W. D βε 11. 39. 58. 65. 96.

48. **XVIII. Sequitur, ut conclusa mihi iam haec sit omnis oratio, id quod ante oculos ex iis est, quae dicta sunt, et ius et omne honestum sua sponte esse expetendum. Etenim omnes uiri boni ipsam aequitatem et ius ipsum amant, nec est uiri boni errare et diligere, quod per se non sit diligendum. Per se igitur ius est expetendum et colendum. Quod si ius, etiam iustitia; †sit in ea reliquae quoque uirtutes per se colendae sunt. Quid? liberalitas gratuitane est, an mercenaria? Si sine praemio benigna est, gratuita; si cum mercede, conducta; nec est dubium, quin is, qui liberalis benignusue dicitur, officium, non fructum sequatur. Ergo item iustitia nihil expetit praemii, nihil pretii. Per se igitur expetitur. Eademque omnium uirtutum causa atque senten-**
49. **tia est. Atque etiam si emolumentis, non *suapte ui uir-**

— cernunt Dauisii coni. reperta nunc in cod. α. In cod. arch. fuisse cernuntur insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. cernimus 10.

XVIII. §, 48. oratio codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. ratio Cr. D α ε 65. Harl. 2. Dr. 2. — sit in ea. Mendum hoc, quod haud scio an fuerit in cod. arch., tenent C E δ, quibus accedunt γ 10. 39. Par. Reg. M. Vd. sit mea Gd. 2. sic in ea A B. Correctio tentata est in multis deteriorum: sic et reliquae quoque (D ε Dr. 2. Cr. W. El. Harl. 1. sic reliquae quoque 58. sit relique quoque α. sit quoque relique Dr. 1. Codd. 11. 65. 96. utrum teneant sic reliquae quoque, an sic et reliquae quoque, certo sciri non potest, quoniam utramque istis scripturam Bakius tribuit. Pro Wyttenbachii coniectura si haec, reliquae quoque, tentata illa quidem in cod. β, quia longius a codicum uestigiis recedit, ego commendo: sic item reliquae quoque. Uide comment. — benigna est D $\alpha\beta\gamma$ pal. 4. 39. 58. 96. Cr. benignus est A B C E δ Gd. 2. ε 10. W. pal. 3. Par. Reg. Ball. 4 Goer. codd., quorum in numero est Dr. 1. In Dr. 2. omissa sunt uerba si sine praemio benignus est, gratuita. — benignusue codd. meliores omnes cum deterioribus paene omnibus. Goerenzius, qui in Br. et Gd. utroque dicit benignusque esse, errauit certe de Gd. 2. — ergo item deteriores paene omnes, etiam Dr. 1. 2. Idem A B 11. 65. eadem C E δ Gd. 2. M. et s. f. s γ. ergo tunc 39. — expetit deteriorum longe plerique, etiam Dr. 1. 2. exprimit A B C E Gd. 2. 11. 65. cum aliquot deterioribus (α 58. M. pal. 4. Par. Reg. Ball.)

§. 49. suapte ui coni. mea. In cod. arch. exaratam fuisse

tus expetitur, una erit uirtus, quae malitia rectissime dicetur. Ut enim quisque maxime ad suum commodum refert, quaecumque agit, ita minime est uir bonus: ut, qui uirtutem praemio metiuntur, nullam uirtutem, nisi malitiam putent. Ubi enim benificus, si nemo alterius causa benigne facit? ubi gratus, si non eum ipsi cernunt grati, cui referunt gratiam? ubi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se amatur toto pectore, ut dicitur? qui etiam deserendus et abiiciendus est desperatis emolumentis et fructibus. Quo quid potest dici immanius? Quod si amicitia per se colenda est, societas quoque hominum et aequalitas et iustitia per se *est expetenda. Quod ni ita est, omnino iustitia nulla est; id enim iniustissi- 50.
mum ipsum est iustitiae mercedem quaerere.

XIX. Quid uero de modestia, quid de temperantia, quid de continentia, quid de uerecundia, pudore pudicitiaque dicemus? Imfamiaene metu non esse petulantes, an legum et iudiciorum? Innocentes ergo et uerecundi sunt, ut bene audiant, et ut rumorem bonum colligant, erubescunt? pudet etiam loqui de pudicitia? Ac me istorum philosophorum

---

suapte uirtus codicum meliorum omnium cum deterioribus paene omnibus consensus arguit. Quare quod est in codd. β 96. Cass. Gd. 1. suapte natura, coniectura est haud sane probabilis. — expetitur deteriorum longe plerique, etiam Dr. 1. 2. expeditur Gd. 2, unde perspicitur, quomodo natum sit mendum meliorum (A B C E 11. 65.) expenditur, quod est etiam in Cass. — dicetur codd. meliores cum deteriorum longe plerisque. dicitur D ε Cr. Dr. 2. 10. 11. 58. 65. 96. — eum ipsi cernunt grati ABCE δ Gd. 2. (modo quod E habet cernuntur). eum cui referunt gratiam (gratia 11. 65.) ipsi cernunt grati 11. 65. β ε D Dr. 2. Cr. W. eum ipsum, cui nunc referunt gratiam, ipsi cernunt grati α. eum ipsum cernunt grati, cui Dr. 1. γ M. Dau. nihil de suis codd. prodidit, Goerenzius autem quae h. l. ex suis excerpsit, errorum tam plena sunt, ut repetere ea taedeat. — est expetenda Lambini coni. probata a Madu. Opusc. I. p. 184. et a Bakio. In cod. arch. fuisse [est] expetenda consensus declarat codicum meliorum cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 2. expetenda est 96. expetenda sunt 10. 39. γ M. Par. Reg. Med. 5 Goerenzii, in quibus est Dr. 1.

XIX. §. 50. pudet etiam loqui de pudicitia ABC δ (modo quod in C et δ uerba de pudicitia omissa sunt), quibus accedunt Dr. 2. Cr. W. Harl. 1. 2. El. et a. f. s. D β ε itemque 10. 39.

pudet, qui †nullum uidicium uitare, nisi uitio
51. ipso multatum, putant. Quid enim? possumus eos, qui a stupro arcentur infamiae metu, pudicos dicere, cum ipsa infamia propter rei turpitudinem consequatur? Nam quid aut laudari rite, aut uituperari potest, si ab eius natura recesseris, quod aut laudandum, aut uituperandum putes? An corporis prauitates, si erunt perinsignes, habebunt aliquid offensionis: animi deformitas non habebit? cuius turpitudo ex ipsis uitiis facillime perspici potest. Quid enim

---

M. pal. 4. Dr. 1. Par. Reg., modo quod hi iam pro etiam praebent. Pudici etiam Eγ 11. 65. 58. 96. pudici etiam punica loqui Vd. pudici et impudia loqui Br. erubescunt impudici ea loqui [de pudicitia] α. erubescunt impunica loqui [de pud.] Gd. 2. — ac me istorum C et Gd. 2, quibus prope accedunt E (ac mestorum) AB 11. 65. (ac mystorum). ac nimis istorum D $\beta\gamma$ 10. 39. 58. 96. Cr. W. Dr. 1, 2. plures Goerenzii. ac nimium istorum Vd. ac minus istorum M. ac nimis superscr. me ε. — qui nullum iudicium cet. Locus iam in cod. arch. deprauatus nec a quoquam adhuc coniectura persanatus. Commendo ego coniecturam hancce: qui nullum impudicum, nisi uitio ipso multatum pntant. In cod. arch. haud scio, an fuerint haec: qui nullum iudicium uitare, nisi uitio ipso, quae codd. Cδ Gd. 2. 65. tenent cum deteriorum plerisque (39. 58. 96. $\beta\gamma$ Cr. W. omnibus Dau. codicibus et pluribus certe Goerenzii, in quibus sunt Dr. 1. 2.) qui ullum iudicium uitare nisi uitio ipso (ipso om. ε) E ε. que ullum (illum B) iud. uitare nisi uitio ipso AB 11. qui nullum e uitium uitare cet. 10. qui nullum uitium uitare, nisi uitio ipso Cass. — multatum Cr. Dr. 2. $\beta\varepsilon$. uitio ipsarum multarum D. mutatum AB 11. 65. Gd. 2. M. W. α (modo quod hic tenet mutato) 39. 58. 96. Dr. 1. nutatnm E; unde uidetur natum esse, quod habent Cδ 10. γ: notatum. Dauisii et Goerenzii codd. inter mutatum et multatum fluctuant.

§. 51. qui a stupro CE Gd. 2. α 10. 39. Dr. 1. [a] stupro A B 11. 65. cum deteriorum plerisque, in quibus est etiam Dr. 2. — rei turpitudinem deteriores paene omnes, etiam Dr. 1. 2. rei fortitudinem ABE 11. rei formidinem Cδ Gd. 2. 65. formidinem rei α. — si ab eius natura deteriorum plerique, etiam Dr. 1. 2. ab eo naturo uel natura codd. meliores cum nonnullis deterioribus (10. 39. $\alpha\gamma$ Gd. 1. Cass.) recesserit ABCEδ Gd. 2. 11. 65. 10. 39. — perspici Dr. 2. Harl. 2. Vd. Cr. W. OxE. et s. f. s. $\beta\gamma\varepsilon$ 58. 96. percipi codd. meliores cum quibusdam deterioribus (Dr. 1. α 10.

foedius auaritia, quid immanius libidine, quid contemtius timiditate, quid abiectius tarditate et stultitia dici potest? Quid ergo? eos, qui singulis uitiis excellunt, aut etiam pluribus, propter damna, aut detrimenta, aut cruciatus aliquos miseros esse dicimus, an propter uim turpitudinemque uitiorum? Quod item ad contrariam laudem in uirtute dici potest. Nam 52.
si propter alias res uirtus expetitur, melius esse aliquid, quam uirtutem necesse est. Pecuniamne igitur? an honores? an formam? an ualetudinem? quae et, cum adsunt, perparua sunt, et quam diu adfutura sint, certum sciri nullo modo potest; an, id quod turpissimum dictu est, uoluptatem? At in ea quidem spernenda et repudianda uirtus uel maxime cernitur.

Uidetisne, quanta series rerum sententiarumque sit atque ut ex alio alia nectantur? Quin labebar longius, nisi me retinuissem.

XX. Q. Quo tandem? Libenter enim, frater, cum ista oratione tecum *prolaberer. M. Ad finem bonorum, quo referuntur et cuius *adipiscendi causa sunt facienda omnia: controuersam rem et plenam dissensionis inter doctis-

---

39. M.) — immanius codd. meliores cum deterioribus paene omnibus. inanius 10. infamius El. — in uirtute ABC δ Gd. 2. 11. 65. cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. in uirtutem EM. Br. Gd. 1. Cass.

§. 52. nam si propter deteriorum plerique (Dr. W. Dr. 1. 2. ε et s. f. s. β D 39. 58. 96.) itemque A 11. 65. B (et in hoc quidem corr. ex rem si). postremo si Gd. 2. CE $\alpha\gamma$ 10. — adfutura sint Cr. Dr. 1. et s. f. s. $\alpha\beta\gamma$ 10. 39. sunt ABCE δ Gd. 2. 11. 65. W. D Dr. 2. 58. 96.

XX. cum ista oratione AB 11. 65. cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. quod istam orationem CE δ Gd. 2. ad istam orationem α M. ad orationem istam 10. — prolaberer coni. in uett. iam editt. expressa et a Bakio nunc excerpta ex cod. γ. prolaber AB (in hoc superscr. prolabor) E 11. 65. 10. Dr. 1. duo praeterea Goer. prolabet Gd. 2. prolabor CD $\beta\varepsilon$ 39. 58. 96. Cr. W. Dr. 1. — cuius adipiscendi causa Stephani, ut uidetur, coni. expressa ex mendo codicum C δ Gd. 2. (quo minus ascindi causa) idemque est in cod. B, ita tamen, ut uerbis quo minus ascindi expunctis superscriptum sit cuius. Et quē insa scindi causas E. et cum ius ascindi M. quouis apiscendi causa $\beta\gamma$. cuius asciscendi causa 10. 39. cuius causa A 11. 65. $\alpha\varepsilon$ 58. 96. D

53. simos, sed aliquando tamen iudicandam. Att. Qui istuc fieri potest L. Gellio mortuo? M. Quid tandem id ad rem? Att. *Quoniam Athenis audire ex Phaedro meo memini Gellium, familiarem tuum, cum pro consule ex praetura in Graeciam *uenisset, Athenis philosophos, qui tum erant, in locum unum conuocasse ipsisque magno opere auctorem fuisse, ut aliquando controuersiarum aliquem facerent modum; quod si essent eo animo, ut nollent aetatem in litibus conterere, posse rem conuenire; et simul operam suam illis esse pollicitum, si posset inter eos *aliquid conuenire. M. Iocu-

---

* Cr. W. Dr. 1. 2. Vd. ψ. — tamen C Gd. 2. eisque accedere uidentur haud pauci deteriorum, in quibus sunt certe Dr. 1. 2. Cr. W. D. Eodem ducunt codd. E (tam) et B ($\text{t}\overset{\text{i}}{\text{a}}\text{m}$), unde iam translatum est in A 11. 65. Num in Bakii codd. deterioribus $\alpha\beta\gamma\varepsilon$ 10. 39. 58. 96. iam esse recte ex eius silentio colligatur, uehementer dubito. In cod. arch. tamen fuit.

§. 53. L. Gellio deteriorum plures, in quibus sunt Dr. 1. 2. Cr. W. L. Gelli AB 11. 65. uel Gelli M. uel Gelio α 39. ut Liuio Gelli γ. Agellio CEδ Gd. 2. — quid tandem AB 11. 65. cum deteriorum multis, etiam Dr. 2. qui tandem CE Gd. 2. α 10. 39. Par. Reg. 5 Goerenzii, in quibus est Dr. 1. — quoniam coni. a Stephano iam expressa et a Bakio nuper reperta in codd. $\beta\varepsilon$ 39. In cod. arch. haud scio an fuerit quam, quod est in codd. melioribus (exc. δ) et in quibusdam deterioribus (Par. Reg. Uff. Cass. Gd. 1. 10.) quia me Harl. 2. Med. Ball. Cr. W. M. Br. Vd. Dr. 1. 2. D 58. 96. δ. quia [me] $\alpha\gamma$ El. Harl. 1. — pro consule codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. proconsul Dr. 2. D $\beta\varepsilon$ Cr. 39. — in Graeciam uenisset, Athenis coni. in uett. iam editt. expressa et a Bakio nuper excerpta ex cod. D, modo quod is uerbis transpositis uenisset in Graeciam praebet. uenisse et Ath. E. uenisseque Ath. Gd. 2. δ. tres Goerenzii codd. uenisset et Cr. W. Dr. 1. 2. $\alpha\varepsilon$ 58. 96. 11. 65. uenisset $\overset{\text{et}}{\underset{\cdots}{\text{que}}}$ Ath. A. uenissetque et Ath. B. uenissetque Ath. Cγ. uenisset atque 39. — conuocasse BCEδ Gd. 2. cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 2. uocasse 39. M. conuocasset A 11. 65. 96. α Dr. 1. — magno opere ACE Gd. 2. M. magnopere deteriorum longe plerique, etiam Dr. 1. 2. — rem conuenire BC δ Gd. 2. 11. 65. et si fides Goerenzio est, Br. Vd. rem conconuenire A. remque conuenire E. rem cum eo conuenire deteriores paene omnes (Dr. 1. 2. D $\beta\gamma\varepsilon$ 39. 58. 96. Cr. W. Par. Reg. Harl. 1. 2. Med. Ball.) possem rem et cum eo conuenire α.

lare istuc quidem, Pomponi, et a multis saepe derisum; sed ego plane nellem me arbitrum inter antiquam Academiam et Zenonem datum. Att. Quo tandem istuc modo? M. Quia de re una solum dissident, de ceteris mirifice congruunt. Att. *Ain' tandem? unane est solum dissensio? M. Quae 54.
quidem ad rem pertineat, una. Quippe cum antiqui omnes, quod secundum naturam esset, quo iuuaremur in uita, bonum esse decreuerint; hic *nihil, nisi quod honestum esset, putarit bonum. Att. Paruam uero controuersiam dicis, ac non eam, quae dirimat omnia! M. Probe quidem *sentires, si re, ac non uerbis dissiderent.

XXI. Att. Ergo assentiris Antiocho, familiari meo;

---

posse — et simul om. 10. — aliquid coni. pridem expressa et ex deterioribus quibusdam codd. (10. 39.) nuper a Bakio excerpta; nam in cod. arch. fuisse aliquod insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. ad aliquid M. — ain' tandem? unane est solum coni. in Steph. edit. expressa, quae nititur codicibus melioribus C δ Gd. 2. ain tandemne unane est solum dissensio (discensio Gd. 2.). an tandemne una est solum diss. E. an tandemne (superscr. tantumne) unane es solum diss. B. [an] tantumne una cet. A. an tandem unane esset sol. d. α. an nitererne una ne esset (est 10.) sol. Par. Reg. 10. [ain] tantumne una de re est solum diss. Dr. 1. 2. Cr. W. D β ε 11. 58. 65. 96. Uerba de re etiam a Gd. 1. Cass. Br. Vd. Oxx. EU. abesse Goer. monuit, ne hoc quidem loco in scripturae discrepantia excerpenda satis diligenter uersatus.

§. 54. hic nihil, nisi. Nihil hoc potius loco cum Lambino restituere satius duxi, quam cum plerisque interpretibus ante putauit orationi inserere. In cod. arch. id iam defuisse meliorum deteriorumque codd. consensus arguit. Si igitur est in Br. et ψ (nam in Dr. 2, in quo item Goer. se id reperisse dicit, non est), coniecturae debetur. — paruam codd. plerique omnes, eodemque ducunt AB Par. Reg. Gd. 1. Oxx. duo (parum), M. (par.) perparuam dicitur esse in Br. et ψ. perparum pal. 4. — ac non eam Dr. 1. 2. Cr. W. et s. f. s. β ε 39. 58. 96. sat non eam AB 11. 65. at non eam D α. at non eam γ. an non eam M. at nos eam C δ 10. at noscam Gd. 2. fac noscam E. — sentires coni. necessaria, quae est in Dr. 1. et quodam modo commendatur mendo codicis E sentis et si re. sentis si re C δ Gd. 2. cum deterioribus. senti[rent] B; unde sentirent translatum est in codd. A 11. 65.

(magistro enim non audeo dicere) quocum uixi, et qui me ex nostris paene conuellit hortulis deduxitque in Academiam perpauculis passibus. M. Vir iste fuit ille *quidem prudens et acutus et in suo genere perfectus mihique, ut scis, familiaris; cui tamen ego assentiar in omnibus, necne, mox uidero; hoc dico controuersiam totam istam posse sedari.
55. Att. Qui istuc tandem uides? M. Quia, si, ut Chius Aristo dixit solum bonum esse, quod honestum esset, malumque, quod turpe, ceteras res omnes plane parês, ac ne minimum quidem, utrum adessent, an abessent, interesse, ualde a Xenocrate et Aristotele et ab illa Platonis familia discreparet, essetque inter eos de re maxima et de omni uiuendi ratione dissensio. Nunc uero *cum decus, quod antiqui summum bonum esse dixerant, hic solum bonum dicat; itemque de-

---

XXI. illo quidem coni. iam in uett. editt. (Asc. 1. 2. Ald. Crat. aliis) expressa, quam in Br. et Cass. reperisse se ait Goerenzius Quidem a cod. arch. abfuisse insignis meliorum deteriorumque codicum consensus ostendit; nam perperam ex Bakii silentio quidem esse in codd. ambross. collegeris. — qui istuc Dr. 2. Cr. Cass. Vd. Harl. 1. et s. f. s. β 58. 96. quin istuc (istud E) ABCE Gd. 2. 11. 65. cum multis deteriorum (αγ 10. 39. W. plurimis Dau. et Goer. codd.) quid istuc Dr. 1.

§. 55. dixit solum bonum esse, quod honestum esset (esse AB 11) — interesse ABE 11. 65. cum deteriorum multis, etiam Cr. W. Dr. 1. dixit solum bonum [esse quod honestum] esset — ac ne minimum quidem utrum adessent, an abessent (an ab [essent] Gd. 2) interesse Gd. 2. C δ. dixit solum bonum esset, quod honestum. — (utrum adesset, an abesset om. α) interesse Dr. 2. α. solum bonum esset — interesset 39. M. pal. 4. Br. Vd. Quod olim uerbis solum bonum esse adiungi solebat diceret, in nullo, quod equidem sciam, codice repertum est. — cum decus, quod coni. in uett. iam editt. uulgata, quam nescio num recte ex Bakii silentio colligas esse in α et 10. In cod. arch. fuisse puto, quod habent ABE Gd. 2. 11. 65. ε 39. 58. W. M. Dr. 1. et procul dubio alii plures: quod decus quod (que Gd. 2). Unde altero quod omisso nata sunt haec: quod decus antiqui (Dr. 2. Gd. 1. D Cr. 96.) cum decus antiqui Cass. cum quod decus antiqui (adtiqui β) β Vd. Br. Codicis arch. scripturam adiuncta correctione, ut saepe, praebet γ (cum quod decus quod antiqui). — dixerant ABCE Gd. 2. 11. 65. quibus

decus, quod illi summum malum, hic solum; diuitias, ualetudinem, pulcritudinem commodas res appellet, non bonas; paupertatem, debilitatem, dolorem incommodas, non malas: sentit idem, quod Xenocrates, quod Aristoteles, loquitur alio modo. Ex hac autem, non rerum, sed uerborum discordia controuersia est nata de finibus; in qua quoniam usucapionem XII tabulae *intra quinque pedes esse *noluerunt, depasci ueterem possessionem Academiae ab hoc acuto homine non sinemus; nec Mamilia lege *singuli, sed ex his tres arbitri fines regemus. Q. Quamnam 56.
igitur sententiam *dicemus? M. Requiri placere terminos, quos Socrates pepigerit, iisque parere. Q. Praeclare, frater, iam nunc a te uerba usurpantur ciuilis iuris et legum; quo de genere exspecto disputationem tuam. Nam ista quidem magna diiudicatio est, ut ex te ipso saepe cognoui. Sed certe ita res se *habet, ut ex natura uiuere

---

accedunt M. 10. et s. f. s. $\beta\gamma$ 39. dixerunt δ cum plerisque deteriorum (D $\alpha\varepsilon$ 58. 96. Cr. W. Dr. 1. 2.). — dedecus illi A B C E Gd. 2. 11. 65. cum deterioribus paene omnibus, ut quod pronomen olim uulgatum et a Bakio excerptum ex codd. δ et γ (dedecus quod illi) coniecturae deberi certum sit. — est nata codd. meliores omnes cum nonnullis deterioribus (W. et s. f. s. $\beta\varepsilon$ 58. 96.) nata est D. α Dr. 1. 2. Cr. pacta est γ 39. parta est M. peracta est hic de finibus 10. — intra coni. in Steph. iam edit. expressa, quam esse etiam in codd. $\alpha\beta\gamma$ perperam ex Bakii silentio collegeris. Reliquorum codicum consensus in cod. arch. inter fuisse declarat. — noluerunt Alciati coni. recepta a Steph. et sequentibus. Codd. meliores uoluerint, deteriores uoluerunt. — singuli, sed ex his tres coni. a Manutio et aliis expressa. In cod. arch. fuit singulis sed ex his res, quod codd. meliores (A B β ex is) tenent cum plerisque deteriorum (58. 96. $\beta\varepsilon$ D Dr. 1. 2. Cr. W. et multis profecto codd. Dauisii et Goerenzii, qui integram discrepantiam ex suis non excerpserunt). singuli sed ex his res 10. 39. singulis non ex his res γ. singulis legibus, sed ex his res α.

§. 56. dicemus coni. a Goer. excerpta ex Br.; nam in cod. arch. scriptum fuisse dicimus, insigni codicum meliorum cum deterioribus consensu confirmatur. — pepigerit C E δ Gd. 2. 10. α. pegerit A B cum plerisque deteriorum (Cr. W. Dr. 2. Br. Par. Reg. Harl. 1. 2. Ball. et s. f. s. $\beta\gamma\varepsilon$ D. peierit 39. pergit Dr. 1. peregit Cass. peregerit 11. 65. 58. 96. — ita res se codd. meliores

summum bonum sit, id est modica et *apta uirtute perfrui; aut naturam sequi et eius quasi lege uiuere, id est, nihil, quantum in ipso sit, praetermittere, quo minus ea, quae natura postulet, consequatur, quod inter haec uelit uirtute tamquam lege uiuere. Quapropter hoc diiudicari nescio an umquam, sed hoc sermone certe non potest, si quidem id, quod suscepimus, perfecturi sumus.

57. XXII. Att. At ego huc declinabam, nec inuitus. Q. Licebit alias; nunc id agamus, quod coepimus, *cum praesertim ad id nihil pertineat haec de summo malo bonoque dissensio. M. Prudentissime, Quinte, dicis. Nam quae a me adhuc dicta sunt * * * *

Q. Nec Lycurgi leges, neque Solonis, neque Charondae, neque Zaleuci, nec nostras XII tabulas, nec plebiscita desidero; sed te existimo cum populis, tum etiam singulis ho-
58. dierno sermone leges uiuendi et disciplinam daturum. M. Est huius uero disputationis, Quinte, proprium id, quod exspectas, atque utinam esset etiam facultatis meae! Sed profecto ita se res habet, ut, quoniam uitiorum emendatricem

---

cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. res ita se 10. 39. — habet coni. ab Ern. inde uulgata. Codd. omnes habent. — apta uirtute coni. pridem uulgata. Codd. uel aperta A B C E δ Gd. 2. 11. 65. 10. 39. Cr. W. M. Dr. 1, uel aperte ε 58. 96. D Dr. 2. Ex Bakii silentio parum recte collegeris in codd. ambross. αβγ esse apta. — inter haec codd. deteriores. inter hoc A C E Cr. iter hoc δ Gd. 2. — unquam in cod. arch. fuisse codicum paene omnium consensus testatur. Nunquam Bakius excerpsit ex A, Dau. ex Med., Goer. ex Br. et Dr. 1. 2; uerum de horum utroque errat.

XXII. § 57. cum praesertim coni. pridem uulgata, quam nescio num ex Moseri Bakiique silentio recte colligas esse in Cr. D βγ. quod praesertim A B 11. cum plerisque deteriorum (39. 58. 96. ε W. M. Dr. 1. 2.) non quod praesertim C E δ Gd. 2. α. non quid praesertim 10. praesertim quod nihil 65. — leges uiuendi codd. omnes exc. 39. (legem). — daturum. Est huius codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 2. daturum esse (esset γ) huius γ 10. Par. Reg. Ball. 4 Goerenzii, in quibus est Dr. 1. et duo Oxx.

§. 58. ita se res codd. meliores cum multis deteriorum. ita res se D β ε Dr. 2. sic se res Dr. 1. — rerum sit sap. Sit om. codd. meliores. In deteriorum principe libro num fuerit, non certum

legem esse oportet commendatricemque uirtutum, ab ea uiuendi doctrina ducatur. Ita fit, ut mater omnium bonarum rerum sit sapientia, a cuius amore graeco uerbo philosophia nomen inuenit, qua nihil a diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil praestabilibus hominum uitae datum est. Haec enim una nos cum ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmet ipsos nosceremus; cuius praecepti tanta uis et tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam, sed delphico deo tribueretur. Nam qui se ipse norit, 59.
primum aliquid se habere sentiet diuinum ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet et sentiet; et cum se ipse perspexerit totumque tentarit, intelliget, quemadmodum a natura subornatus in uitam uenerit quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam, quoniam principio rerum omnium quasi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illustratis sapientia duce bonum uirum et ob eam ipsam causam cernat se beatum fore.

---

est, nec tamen fuisse ueri est simile propter incertam eius sedem. sit sap. W. et s. f. s. αβγ. sapientia sit Dr. 1. 2. Dε. ita fit (sit M. 10.), [ut] mater omnium bonarum rerum (artium 39.) [sit] sap. 10. 39. Par. Reg. M. Gd. 1. Cass. — a cuius CE Gd. 2. δ, quibus accedit Dr. 2. et s. f. s. βγ [a] cuius ABDεα Cr. W. M. Dr. 1. et 5 praeterea Goer. codd. — tanta uis et tanta sententia est (est om. 96.) AB 11. 65. cum deteriorum longe plerisque (Par. Reg. Dr. 1. 2. αβγ 39. 58. 96. Cass. Dr. 1. 2.) tanta uis est et tanta sent. D. [tanta uis et] tanta sent. est CE Gd. 2. δ. tanta uis [et] tanta sent. est 10.

§. 59. qui se ipse BCδ Gd. 2. 11. 65. cum multis deteriorum (Cr. W. Dr. 1. αD 58. 96.) qui se ipso A. quid se ipse E. qui se ipsum Dr. 2. et s. f. s. βγ 10. 39. — se habere sentiet cum deterioribus haud paucis (etiam Dr. 1.) codd. meliores omnes. sentiet se habere Dr. 2. Cr. W. βε 58. 96. — principio codd. meliores cum deteriorum longe plerisque. principio superscr. a γ. principia M. Vd. in principio 10. principiorum [rerum] omnium D. — illustratis Vd. Br. Cass., si fides Goerenzio est. illustratus codd. meliores cum plerisque deteriorum, ut hoc iam in cod. arch. fuisse ueri simile sit.

60. **XXIIII.** Nam cum animus cognitis perceptisque uirtutibus a corporis obsequio indulgentiaque disecsserit uoluptatemque sicut labem aliquam dedecoris oppresserit omnemque mortis dolorisque timorem effugerit societatemque caritatis *coierit cum suis *omnesque natura coniunctos suos duxerit cultumque deorum et puram religionem susceperit et exacuerit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem ad bona eligenda et reiicienda contraria (quae uirtus ex prouidendo est appellata prudentia): quid eo dici aut cogitari
61. poterit beatius? Idemque cum coelum terras, maria, rerumque omnium naturam perspexerit, eaque unde generata quo recurrant quando quo modo obitura, quid in his mortale et caducum, quid diuinum aeternumque sit, uiderit, ipsumque

---

XXIII. §. 60. cum animus Dr. 1. 2. Cr. W. Dβ, quibus haud dubie alii aliorum accedunt. quo animus CE Gd. 2. αγ 10. 39. 58. quod animus AB 11. 65. 96. — caritatis ABCEδGd. 2. 11. 65. Vd. M. In Par. et Reg. caritatis est pro uaria lectione. caris Br. carnis codd. reliqui. — coierit Turnebi, ut uidetur, coniectura, expressa ex mende codicum meliorum CδGd. 2. coniecerit. Coëgerit AB 11. 65. Dr. 1. W. Deteriores fere: eiecerit (DαβγεM. Cr. Dr. 2. 10. 39. 58. 96. Dau. codd. itemque E). — cum suis omnesque cet. coni. inde a Stephano recepta ab omnibus, quam cum Goer. esse ait in Vd. Gd. 1. Cass., recte dubitatur, num uerum sit. In cod. arch. haud scio an fuerint, quae tenent codd. AB CEδGd 2. 11. 65. W: cum suis omnibusque natura coniunctos suos duxerit; unde non longe discedunt Dr. 2. Cr. 58. 96. D ε: tum suis omnibusque n. c. s. d. — cum his omnibus quod natura suos coniunctos duxerit 39. tum suis omnibus naturaque coniunctos d. β cum omnibus suis quasi natura suos α. quo cum omnibus quod natura suos coni. d. γ. quo cum suis omnibus quod natura suos coni. d M. quo cum omnibus suisque nat. con. 10. cum suis omnibus quod nos natura suos coni. d. Dr. 1. — exacuerit codd. meliores cum quibusdam deterioribus (D 58. 96. Dr. 2. Br. Cr. W.). exarcuerit Cass. excernit M. exercuerit Dr. 1. Oxx. E. ψ. aliquot Goer. et s. f. s. αβγ 10. 39. — eligenda codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. deligenda Vd. Cr. diligenda D Br. Dr. 2. — cogitari codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. excogitari Cass. OxE. $\overset{ex}{\text{cogitari}}$ γ.

§. 61. in his AEδGd. 2. 11. 65. cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. in is C. in iis B. 39. 96. in hic D. —

ea moderantem et regentem paene prenderit, seseque *non unius circumdatum moenibus loci, sed ciuem totius mundi, quasi unius urbis, agnouerit: in hac ille magnificentia rerum atque in hoc conspectu et cognitione naturae, dii immortales, quam se ipse noscet! quod Apollo praecepit Pythius, quam contemnet, quam despiciet, quam pro nihilo putabit ea, quae uulgo dicuntur amplissima! Atque haec omnia quasi sepimento aliquo uallabit disserendi ratione, ueri et 62.
falsi iudicandi scientia et arte quadam intelligendi, quid quamque rem sequatur et quid sit cuique contrarium. Cumque se ad ciuilem societatem natum senserit, non solum illa subtili disputatione sibi utendum putabit, sed etiam fusa latius perpetua oratione, qua regat populos, qua stabiliat leges, qua castiget improbos, qua tueatur

---

prenderit codd. meliores cum quibusdam deterioribus (W. Dr. 1. 39. 58. et aliis haud dubie aliorum, ueluti Goerenzii, qui in sex suis id reperisse se affirmat. prehenderit D ε Dr. 2. Cr. prehenderitque βγ. deprehenderit α. reprehenderit 96. — unius α (in marg. unis) Dr. 1. 39. Par. Reg., idemque esse dicit Goer. in Br. Vd. Gd. 1. unis Dr. 2. W. βγε D 58. nimis 96. M. minus 10. hominis CE Gd. 2. omnis AB 11. 65. Praeterea insignis codicum paene omnium consensus codicem archet. foedo quodam interpretamento commaculatum fuisse declarat in paucis tantum codd. deterioribus (M. Par. Reg. Br. Vd. Gd. 1.) exstincto. Verbis enim moenibus et loci interiecta haec sunt: popularem (populare AB) alicuius (alicuius om. 11. 65.) definiti (definiti om. Cr. W. D β Dr. 1. 2, Uff. Cass. — definitio locis et ciuem AB 11. 65.) ABCE Gd. 2. 11. 55. αε Cr. W. D β Dr. 1. 2. Uff. Cass. alii. non (non om. 58.) populorum alicuius [definiti] 58. 96. — quam se ipse noscet A 11. 65. et s. f. s. β. quam si ipse noscet CE. quam si ipse nos sed Gd. 2. quasi ipse se nosset Cr. W. Dr. 1. 2. α 10. 39. 58. 96. quam si ipse nosset D. quasi ipse se nos quod γ. quasi ipse nos M. — dicuntur B C E δ Gd. 2, quibus accedunt deteriores fere omnes, etiam Dr. 1. 2; nam ex Bakii silentio nescio num recte colligas in codd. βγ 39. esse ducuntur, quam ipsam codicis arch. correctionem ex cod. A excerpsit.

§. 62. ueri et falsi iudicandi scientia CE δ Gd 2, quibus accedunt Br. et Vd. ueri et falsi iudicia (corr. iudicium) de scientia A. iudicium de scientia B 11. 65. falsi iudicio scientia (β ε Cr. W. Dr. 2. falsi iudicio et scientia Dr. 1. falsi iudicio dici et scientia Par. M. iudicandi disci et scientia γ Cass. Gd. 1. iudicia disciplina et scientia Reg.

honos, qua laudet claros uiros, qua praecepta salutis et lau-
dis apte ad persuadendum edat suis ciuibus, qua hortari ad
decus, reuocare a flagitio, consolari possit afflictos, facta-
que et consulta fortium et sapientium cum improborum igno-
minia sempiternis monumentis prodere. Quae cum tot res tan-
taeque sint, quae inesse in homine perspiciantur ab iis, qui
se ipsi uelint nosse, earum parens est educatrixque sapientia.
Att. Laudata quidem a te grauiter et uere *est. Sed quor-
63. sus hoc pertinet? M. Primum ad ea, Pomponi, de quibus
acturi iam sumus, quae tanta esse uolumus; non enim erunt,
nisi ea fuerint, unde illa manant, amplissima. Deinde facio
et libenter et, ut spero, recte, quod eam, cuius studio
teneor quaeque me eum, quicumque sum, effecit, non pos-
sum silentio praeterire. Att. *Recte uero facis et me-
rito fuitque id, ut dicis, in hoc sermone faciundum.

---

iudicandi disciplina et scientia α 10. — laudis ABII.65. cum deterioribus paene omnibus, etiam Dr. 1. 2. laudes CEGd. 2. Cr. γ. — tantaeque sint, quae inesse in homine codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 2, modo quod in deterioribus quibusdam est uerbis transpositis in homine inesse ($\alpha\gamma$ 10. 39. Cass. ψ.) tot restant haecquae (heque Dr. 1.) sint Ball. γ Dr. 1. 10. haeque sunt eae, quae Vd. OxE. — uere est coni. mea. Codd. omnes est omittunt. — hoc pertinet codd. meliores cum multis deteriorum Dr. 1. et s. f. s. $\alpha\beta\gamma\varepsilon$ 39. 58. 96. quo rursus hoc pertinet Par. Reg. 10. quorsus haec pertinent Cr. W. Dr. 2. D.

§. 63. erunt codd. deteriores, etiam Dr. 1. 2. meliores sunt. — quaeque me eum Dr. 2. et s. f. s. ABDβ. Idem etiam in Br. et Gd. 2. esse Goer. tradit; sed de hoc quidem labitur. quaeque mecum CEGd. 2. $\alpha\gamma$ Gd. 1. Par. Ball. M. pal. 3. OxxE ψ. quaeque metum 10. quaeque me [eum] ε Cr. W. quicunque mecum qui cursum Dr. 1. — effecit Cr. W. $\beta\gamma\varepsilon$ 58. s. f. s. efficit ABCII. 65. α 10. 39. M. Dr. 1. 2. effici E. efficixit δ Gd. 2. — Recte uero facis et merito coni. mea. re uera facis ABII. 65. Cr. W. D $\beta\varepsilon$ 58. 96. Dr. 2. re uero Dr. 1. ne uero E. uero facis Gd. 2. Cγ 10. α (in hoc corr. re uera). uere facis M. pal. 4. 39. — et ipse. Haec uerba in paucis tantum codd. deterioribus (Ball. Vd. cod. Ursini) omissa sunt. In Br. sunt a manu secunda.

M. TULLII CICERONIS

DE LEGIBUS

LIBER SECUNDUS.

I. **Att.** Sed uisne, quoniam et satis iam ambulatum est et tibi aliud dicendi initium sumendum est, locum mutemus, et in insula, quae est in Fibreno, (nam *id opinor illi alteri flumini nomen esse) sermoni reliquo demus operam sedentes? **M.** Sane quidem; nam illo loco libentissime soleo uti, siue quid mecum ipse cogito, siue aut quid scribo aut lego. 1.
Att. Equidem, qui nunc potissimum huc uenerim, 2.

I. §. 1. quoniam et satis iam ambulatum est et codd. meliores omnes cum multis deteriorum (Cr. W. D. Dr. 1. 2. 58. 96.) est satis iam ambulatum est et γ. quoniam est satis iam ambulatum et nescio num recte ex Bakii silentio colligas esse in codd. $\alpha\beta\varepsilon$ 10. 39. — in Fibreno codd. meliores praeter Gd. 2. omnes cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. In Fibrino Gd. 2. Oxx. E ψ. Goerenzius Fibrino esse dicens in Br. Vd. Gd. 2. Dr. 2. Uff., labitur certe de Dr. 2. — id opinor Manutii coniectura, quam ex Bakii silentio esse collegeris in codd. β et 10. Etenim id iam in cod. arch. defuisse insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. — nomen esse codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. In paucis admodum codd. nomen est (Gd. 1. Ox E. Par. Reg. 39.) illi alterum (alterum est etiam in 10 et 39.) [flumini] nomen erat alteri flumini est γ. — siue aut quid scribo aut lego BCE δ Gd. 2. cum quibusdam deterioribus (γ Br. Vd. Cass. Gd. 1. Par. Reg.) siue aliquid scribo aut lego All. 65. Dr. 1. 2. El Harl. 1. 2. pal. 3. Ball. Cr. et s. f. a. 10. 58. 96. D. siue aliud quid pal. 4. M. 39. siue quid scribo α. siue aliquid aut scribo β.

satiari non queo, magnificasque uillas et pauimenta marmorea et laqueata tecta contemno; ductus uero aquarum, quos isti nilos et euripos uocant, quis non cum haec uideat, irriserit? Itaque ut tu paullo ante de lege et de iure disserens ad naturam referebas omnia: sic in his ipsis rebus, quae ad requietem animi delectationemque quaeruntur, natura dominatur. Quare antea mirabar, (nihil enim his in locis nisi saxa et montes cogitabam, itaque ut facerem, et orationibus inducebar tuis et uersibus) sed mirabar, ut dixi, te tam ualde hoc loco delectari; nunc contra miror te,
3. cum Roma absis, usquam potius esse. **M.** Ego uero, cum licet plures dies abesse, praesertim hoc tempore anni, et amoenitatem et salubritatem hanc sequor; raro autem licet. Sed nimirum me alia quoque causa delectat, quae te non attingit ita. **Att.** Quae tandem ista causa est? **M.** Quia, si uerum dicimus, haec est mea et huius fratris mei germana patria; hinc enim orti stirpe antiquissima sumus, hic sacra, hic genus, hic maiorum multa uestigia. Quid plura? hanc uides uillam, ut nunc quidem est, latius aedificatam patris

---

§. 2. et laqueata tecta AB 11. 65, quibus suffragantur El. Harl. 1. 2. Med. Dr. 2. et s. f. s. D β 58. 96. et illa queata C. et illaque ad tecta (tectas Gd. 2.) E δ Gd. 2. et illaqueata tecta $\alpha\gamma$ 10. Dr. 1. Par. Reg. Ball. et illaque alta 39. — de iure Praepositionem de tuentur codd. meliores omnes (sed in Gd. 2. et δ est de his pro de iure) cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. [de] iure D ε 39. W. Gd. 1. ad requietem ABC 11. cum multis codd. deterr. (Cr. W. Dr. 1. 2. et s. f. s. D β 58. 96.); eodemque mendum ducit codicum E et Gd. 2. (ad rem quietem) et 65. (ad res quietem). ad requiem Dr. 1. $\alpha\varepsilon$ 10. ad quietem γ 39. — itaque ut codd. meliores omnes cum plerisque, ut uidetur, deteriorum, etiam Dr. 1. idque ut Dr. 2. 58. 96. Cr.

§. 3. et amoenitatem et salubritatem hanc C δ Gd. 2. cum plerisque deteriorum (D α 10. 39. 58. 96. M. Cr. W. Dr. 1. 2. et amoenitatem hanc et (et om. E) salubritatem hanc AB E. et amoenitatem hanc et salubritatem in codd. esse $\beta\gamma\varepsilon$ et in Br. Vd. Uff. Cass. nescio num recte ex Bakii silentio et Goerenzii annotatione collegeris. — hinc enim E Gd. 2. δ, quibus accedunt α 96. Br. Vd. itemque Dr. 1. et Cass., in quibus tamen hinc quater est repetitum. hic enim AB 11. 65. cum plerisque, ut uidetur, deteriorum (D, in quo om. enim, Cr. W. Dr. 2. et s. f. s. $\beta\gamma\varepsilon$ 10. 39. 58. — latius E Gd. 2.

nostri studio, qui, cum esset infirma ualetudine, hic fere aetatem egit in litteris. Sed hoc ipso in loco cum auus uiueret et antiquo more parua esset uilla, ut uilla Curiana in Sabinis, me scito esse natum. Quare *inest nescio quid et latet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet: siquidem etiam ille sapientissimus uir, Ithacam ut uideret, immortalitatem scribitur repudiasse.

II. Att. Ego uero tibi istam iustam causam puto, cur 4.
huc libentius uenias atque hunc locum diligas. Quin ipse, uere dicam, sum illi uillae amicior modo factus atque huic omni solo, in quo tu ortus et procreatus es. Mouemur enim, nescio quo pacto, locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus aut admiramur, adsunt uestigia. Me quidem ipsae illae nostrae Athenae non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus delectant, quam recordatione summorum uirorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus, studioseque eorum etiam sepulcra contemplor. Quare istum, ubi tu es natus, plus amabo posthac
locum. M. Gaudeo igitur me incunabula paene mea tibi 5.
ostendisse. Att. Equidem me cognosse admodum gaudeo. Sed illud tamen quale est, quod paullo ante dixisti, hunc locum (idem ego te accipio dicere Arpinum) germanam patriam esse uestram? Numquid *uos duas habetis patrias?

---

et procul dubio δ, itemque 10. 39. M. pal. 3. Med. Goerenzius, qui in Br. Vd. Dr. 2. Uff. latius esse dicit, lapsus est certe de Dr. 2. lautius AB 11. 65. cum deteriorum plerisque, etiam Cr. W. Dr. 1. 2. — inest coni. pridem uulgata, quam nescio num recte ex Bakii silentio colligas esse in codd. β et 39. In cod. arch. fuit id est, quod ABEδ 11. 65. tenent cum deteriorum plerisque (Dr. 1. 2. Cr. W. D ε 10. 58. 96.) Unde non longe discedunt CGd. 2. αγ (idem).

II. §. 4. tibi istam iustam codd. meliores omnes cum deterioribus paene omnibus, etiam Dr. 1. 2. iustam tibi istam D: istam tibi iustam Br. Cass. cum tibi [istam] iustam β. — uere dicam codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. uerum dicam Cr. D β Dr. 2. 39. uerum (e) dicam ε. ipse ut dicam 10.

§. 5. equidem codd. meliores omnes cum deterioribus paene omnibus, etiam Dr. 1. 2. et quidem M. et s. f. s. ε. 39. — idem ego te acc. codd. omnes praeter M. et 39, in quibus omissum est idem. — numquid uos duas coni. iam a Vict. Man. Lamb. re-

an est una illa patria communis? nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma, sed Tusculum. M. Ego mehercule et illi et omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturae, alteram ciuitatis; ut ille Cato, cum *esset Tusculi natus, in populi Romani ciuitatem susceptus est. Ita cum ortu Tusculanus esset, ciuitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris. Ut uestri Attici, priusquam Theseus eos demigrare ex agris et in astu, quod appellatur, omnes se conferre iussit, et *sui erant iidem et

---

cepta et denuo reuocata a Bakio. Quae nititur uestigiis codicum Gd. 2. et δ (mihi qui duos duas habetis patrias). mihi qui duas E. numquid duas AB 11. 65. D β 58. 96. Br. Cr. nunquid duas Dr. 2. W. [num] quid duas C α. [num] quid duasne Dr. 1. γ 10. 39. Par. Reg. pal. 4. M. numquid duasne Ball. pal. 3. — an est codd. paene omnes. anne D et aliquot Goerenzii codices, quos ipse non nominauit. — una illa codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. illa una β M. — unam naturae, alteram ciuitatis deteriorum longe plerique, etiam Dr. 1. 2; unde in cod. B. uidetur translatum esse. Unam naturam [alteram] ciuitatis ACE δ Gd. 2. 11. 65. unam natura [alteram] ciuitatis M. 39. Par. Reg. una natura alteram ciuitatis W. — cum esset coni. pridem in editt. uett. expressa. In cod. arch. fuisse est, insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. — Ita cum codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. itaque M. — ortu Tusculanus Gd. 2. C δ itemque Dr. 1. et s. f. s. 10. 39. α β γ ε. ortu Tusculanum esse E. ortus Tusculano AB 11. 65. ortu Tusculus Cr. W. ortu thusculus 58. 96. ortu tusculū Dr. 2. tusculus ortu D. — ciuitate Romanus, habuit alteram loci deteriorum longe plerique, etiam Dr. 1. 2. ciuitatem Romam habuit alteram ABCE δ Gd. 2. 11. 65. α 10. In Gd. 2. omissa sunt uerba alteram loci patriam. — eos demigrare coni. iam in Manutii edit. expressa, quam in cod. B. fuisse ex Bakii silentio collegeris. In cod. arch. fuit eosdem migrare (AC Gd. 2. 11. 65. 39. 58. 96. D α β γ ε Cr. W. M. Dr. 1. 2. hostem migrare E. eo migraret et agris 10. — et sui erant iidem et Attici Maduigii Bakiique coniectura. In cod. arch. fuit et symfrantidem et atticis BCE δ Oxx. E ψ. Vd. (hic attici). Unde reliqui non longe discedunt: et simfrantidem et atticis AW. Br. (hic attici); et symphrantidem et atticum corr. atticis Dr. 2. elym infrantidem et atticis Gd. 2. et symphrantidem ex atticis βγ itemque Lago-Mars. codices et Dauisii, modo quod ab hoc symphrantidem excerptum est. et symphranditus ex atticis Dr. 1. et si p̃hitidem ex atti-

Attici: sic nos et eam patriam dicimus, ubi nati, et illam, qua excepti sumus. Sed necesse est caritate eam praestare, qua rei publicae nomen uniuersae ciuitatis est: pro qua mori et cui nos totos dedere et in qua nostra omnia ponere et quasi consecrare debemus. Dulcis autem non multo secus est ea, quae genuit, quam illa, quae excepit. Itaque ego hanc meam esse patriam prorsus numquam negabo, dum illa sit maior, haec in ea contineatur.

III. Att. Recte igitur Magnus ille noster me audiente 6.
posuit in iudicio, cum pro *Ampio tecum simul diceret, rem publicam nostram iustissimas huic municipio gratias agere posse, quod ex eo duo sui conseruatores exstitissent, ut iam *uidear adduci hanc quoque, quae te procrearit, esse patriam tuam.

---

cis α. et symphaantidem et atticis Harl. 1. et simphaantidem D. et simphracitidem et atticis ε. — dicimus C Gd. 2. et procul dubio δ, itemque 10. M. W. Dr. 1. didicimus α. ducimus AB 11. 65. Cr. Dr. 2. et s. f. s. 39. 58. 96. βγε D. — caritate eam praestare AB 11. 65. cum deterioribus paene omnibus, etiam Dr. 1. 2. caritatem [eam] praestare CEδ Gd. 2. — qua rei publicae nomen uniuersae ciuitatis est codd. omnes, modo quod in quibusdam (Ball. Par. Reg. Harl. 2. Dr. 1. C. 39. 65. uno ex palatt.) quam est pro qua. Alius ex palatt. habet: quae rei publicae nomen uniuersae ciuitatis adepta est. — dum — contineatur. Haec uerba, quae abesse dicuntur a Br. Cass. Ox. U., reliquorum codicum consensus in cod. arch. fuisse arguit. dum illa sit maior ABCEδ Gd. 2. cum pluribus deteriorum (Dr. 1. et s. f. s. αγε 10. 39. M.) sit illa maior Cr. W. Dr. 2. D 11. 58. 65. 96. Pro haec in ea C 11. 65. habent et in ea, Gd. 2. et mea, B sed in ea, E [et] in ea. Additamentum deinde in cod. arch. hoc fuit: habet ciuitates duas, sed unam illam ciuitatem putat (Dr. 1. 2. D 10. 58. 96. Reg. Par. El. Ball. Harl. 1. βγε): ciuitates duas sed [unam] illas 39. habet ciuitates duas et unam illam 11. habet ciuitates et unam illam ciuitatem putat ABCEδ Gd. 2. 65.

III. §. 6. pro Ampio coni. a Bakio commendata. Codd. omnes aut pro Ambio, aut pro Ambiu (Cδ Gd. 2.), ut recte dubitetur, num Manut. in Maffei libro Balbo, Steph. in suo Auidio inuenerit. Ut inuenerint tamen, coniecturae sunt, quae nimis a codicum uestigiis recedant. — ut iam uidear coni. pridem uulgata, quae est, nisi errorem admisi, in Dr 1. In cod arch. fuisse uideam, insignis codicum meliorum deteriorumque consensus arguit. Utinam pro ut iam tenent codd. meliores cum codd. αγ 10. ut [iam] M. —

Sed uentum in insulam est. Hac uero nihil est amoenius. *E t e n i m hoc quasi rostro finditur Fibrenus et diuisus aequaliter in duas partes latera haec alluit rapideque dilapsus cito in unum confluit et tantum complectitur, quod satis sit modicae palaestrae, loci. Quo effecto, tamquam id habuerit operis ac muneris, ut hanc nobis *e f f i c e r e t sedem ad disputandum, statim praecipitat in Lirem et, quasi in familiam patriciam uenerit, amittit nomen obscurius Liremque multo gelidiorem facit. Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, cum ad multa accesserim, ut uix pede tentare id possim,
7. quod in Phaedro Platonis facit Socrates. M. Est uero ita; sed tamen huic amoenitati, *q u e m ex Quinto saepe audio, *T h y a m i s Epirotes tuus ille nihil, opinor, concesserit. Q. Est ita, ut dicis; caue enim putes Attici nostri *A m a l t h i o platanisque illis quicquam esse praeclarius. Sed, si uidetur, considamus hic in umbra atque ad eam partem sermonis, ex qua egressi sumus, reuertamur. M. Praeclare exigis, Quinte: at ego effugisse arbitrabar: et tibi horum nihil deberi potest. Q. Ordire igitur; nam hunc tibi totum dicamus diem.

*M. A I o u e Musarum primordia, —

---

p r o c r e a r i t A B C Gd. 2. δ 11. 65. cum multis deteriorum (Cr. W. Dr. 1. 2. Vd. Br. et s. f. s. D α ε 58.) p r o c r e a r a t [rit] γ 10. p r o c r e a r a t Gd. 1. Cass. p r o c r e a u i t E β 39. 96. — t u a m om. Gd. 2. Br. Vd., t e n e n t r e l i q u i. — h a c u e r o n i h i l e s t A B C Gd. 2. δ 11. 65. cum deterioribus paene omnibus. h o c u e r o n i h i l e s t E. e s t om. α 10. — e t e n i m coni. a Lambino iam commendata et reperta nunc in cod. γ. In cod. arch. fuit u t e n i m, id quod exc. γ. codd. omnes tenent. — e f f i c e r e t. Quod fuit in cod. arch. e f f e c e r i t (tenent cum melioribus omnibus plerique deteriorum Dr. 1. 2. ε 10. 39. 58. 96. Cr. Cass. Oxx. E U. e f f i c e r i t γ W. e f f e c e r e t M.), id recte iam in deterioribus quibusdam (Br. Vd. et s. f. s. D α β) correctum est. — f a m i l i a m p a t r i c i a m codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. p a t r i c i a m f a m i l i a m Br. Cr. Dr. 2. β ε.

§. 7. q u e m Dauisii coni. In cod. arch. fuit q u a m, quod C E δ Gd. 2. tenent cum deterioribus paene omnibus. q u e A B (ex corr.) 11. 39. — T h y a m i s Turnebi coni. Codd. omnes T h e b a n u s (Vd. T h e a n u s). — A m a l t h i o Turnebi coni. Codices: e m a t h y o A. e m a t h i o C Dr. 1. α β γ W. M. 4 Goer. plerique Dauisii. e m a t t h i o Br. e m a t i o Dr. 2. ε Cr. e m a t h r o B. e m a t i c o D. e m a t i c i Gd. 2.

sicut in *Aratio carmine orsi sumus. Q. Quorsum istuc? M. Quia nunc item ab eodem et a ceteris diis immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia. Q. Optime uero, frater; et fieri sic decet.

IV. M. Videamus igitur rursus, priusquam aggrediamur ad leges singulas, uim naturamque legis, ne, cum referenda sint ad eam nobis omnia, labamur interdum errore sermonis ignoremusque uim sermonis eius, quo iura nobis definienda sint. Q. Sane quidem, hercle, et est ista recta docendi uia. M. Hanc igitur uideo sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam, quod uniuersum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut uetantis dei. Ex qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte est 8.

---

emathypo E 10. 39. uel simile quid. — M. A Ioue Musarum Turnebi coni. In cod. arch. fuit aut maiore musarum (AD αβγε 10. 11. 65. 39. 58. 96. C. W. 5 Goerenzii, in quibus sunt Dr. 1. 2. omnes Dauisii) aut maiorem musarum (BCEδGd. 2.). maiorem missarum M. — primordia B, sed superscripta littera o. primordio A ex corr. Gd. 2. cum deterioribus paene omnibus, etiam Dr. 1. 2. primordie D. Num recte ex Bakii silentio colligatur, in codd. C Eδ 11. 65. fuisse primordia, iure dubitaueris. — in Aratio Turnebi, ut uidetur, coniectura in edit. Par. 1538. ex mendo expressa codicum meliorum in narratio A. (corr. Arati) BCEδGd. 2. Quam quod Goerenzius reperisse se dixit in quatuor codd. suis, commenticia prodidit. Deteriorum plerique: in Arati carmine (Dβε Dr. 1. 2. Cr. W. 58. 11. 65.) narrationis carm. γ 10. 39. Par. Reg. — item codd. meliores, modo quod in E Gd. 2. 11. est idem. In deteriorum plerisque (Goer. et Dau. de suis tacent) reperiri uidetur itidem (Dr. 1. 2. Cr. W. Dβ.) in diem 65. quia nunc dicitur ab α. quia ut dicitur 10. item om. M. 39. — a ceteris codd. meliores, quibus nonnulli accedunt deteriorum, etiam Dr. 1. [a] ceteris D 96. Cr. W. Dr. 2. plures Goer.

VI. §. 8. ignoremusque — sermonis. Absunt haec uerba peculiari mendo a codd. CGd. 2. 11; reliqui ista tenent pertinaciter. qua pro quo solus E. — definienda sint codd. meliores (Gd. 2. diffinienda) cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 2. definienda sunt αβε 11. Dr. 1. — et est. Part. et desideratur in paucis tantum codd. deterioribus (M. Par. Reg. 10. 39.)

laudata. Est enim ratio mensque sapientis ad iubendum et
9. ad deterrendum idonea. Q. Aliquoties iam iste locus a te tactus est. Sed antequam ad populares leges uenias, uim istius coelestis legis explana, si placet, ne aestus nos consuetudinis absorbeat et ad sermonis morem usitati trahat. M. *A paruis enim, Quinte, didicimus, *SI IN IUS UOCAT, ITO et eiusmodi leges alias nominare. Sed uero intelligi sic oportet, et hoc et alia iussa ac uetita populorum uim habere ad recte facta uocandi et a peccatis auocandi; quae uis non modo senior est, quam aetas populorum *et ci*uitatum, sed aequalis illius coelum atque terras tuentis et
10. regentis dei. Neque enim esse mens diuina sine ratione potest, nec ratio diuina non hanc uim in rectis prauisque sanciendis habere; nec, quia nusquam erat scriptum, ut contra omnes hostium copias in ponte unus assisteret a tergoque pontem interscindi iuberet, idcirco minus Coclitem illum rem gessisse tantam fortitudinis lege atque imperio putabimus;

---

§. 9. A paruis enim coni. pridem uulgata et expressa ex mendo codicum meliorum C δ Gd. 2. itemque cod. α: apparuisse enim, quibus prope accedunt E (apparuisse uim), M. (apparuisse mihi), γ (apparuisse mi), 10. (peruisse mi). Apertius enim Dr. 1. 2. W. D ε 39. 58. 96. itemque ex corr. (nam a pr. manu est appartuisse enim) A et B, unde idem translatum est in codd. 11. 65. aptius Cr. β. — uocat, ito et eiusmodi coni. mea expressa ex mendo codicis archetypi: uocat atque at eiusmodi (ABE Br. Gd. 1. Cass.) uel uocat atque (acque D) ad eiusmodi (C δ Gd. 2. D β 58. 96. Cr. W. Dr. 1. pal. 3. plures Goer. et Dau. codd.) Vocat atque et eiusm. 11. 65. atque ad huiusmodi ε. atque [ad] eiusmodi pal. 4. Dr. 2. M. et s. f. s. $\alpha\gamma$ 39. atque [ad] huiusmodi 10. — leges alias ABCE Gd. 2. 11. 65. cum deterioribus paene omnibus, etiam Dr. 1. 2. alias leges δ et si fides Goerenzio habenda est, Vd. Cass. Gd. 1; nam de Gd. 2, in quo idem esse dicit, errat. — et hoc codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. et haec Br. M. ut hec alia 10. et hoc om. ε. — uim habere codd. omnes exc. Br. (uim non habere).

§. 10. neque enim esse BC δ E Gd. 2. cum multis deteriorum, etiam Dr. 1. mens diuina esse AD Cr. W. Dr. 2. 11. 58. 65. 96. esse mens diuina esse β. — habere codd. deteriores, etiam Dr. 1. 2. itemque δ. habe Gd. 2. habet; si fides silentio est habenda, ABC

nec, si regnante *L. Tarquinio nulla erat Romae scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sex. Tarquinius uim Lucretiae, Tricipitini filiae, attulit. Erat enim ratio profecta a rerum natura, et ad recte faciendum impellens, et a delicto auocans; quae non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum, cum orta est; orta autem est simul cum mente diuina. Quamobrem lex uera atque princeps, apta ad iubendum et ad uetandum, ratio est recta summi Iouis.

V. Q. Assentior, frater, ut, quod est rectum, uerum 11.
*quoque sit, neque cum litteris, quibus scita scribuntur, aut oriatur, aut occidat. M. Ergo, ut illa diuina mens summa lex est, item, cum in homine est perfecta, est in mente sapientis. Quae sunt autem uarie et ad tempus descriptae populis, fauore magis, quam re legum nomen te-

---

E 11. 65. — L. Tarquinio Turnebi coni. expressa ex mendo codicum C E δ Gd. 2. Cass. ul tarquinio. In reliquis codicibus nota ul sublata est. — tum denique codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 12. tum demum γ 10. 39. M. — orta autem est ABC δ Gd. 2. 11. 65, quibus accedunt W. 58. 96. orta autem simul est Cr. D β ε Dr. 2. orta est autem Dr. 1. M. Gd. 1. et s. f. s. 10. 39. α γ. A Br. et Vd. est Goerenzius abesse dicit.

V. §. 11. uerum quoque coni. pridem in editt. uett. uulgata. In cod. arch. uerumque fuisse insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. Goerenzii, qui ex tribus tantum suorum codicum uerumque excerpsit, etiam h. l. diligentiam desidero. utrumque Dr. 2. uere rectumque β. — scita scribuntur AB 11. 65. cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. quibus sit ascribuntur E. quibus sit adscribuntur Gd. 2. δ. Unde ortum est in cod. C scita describuntur. — item codd. meliores cum deterioribus paene omnibus, etiam Dr. 1. 2. ita 39. et fortasse pauci Goer. codd. itaque 10. — cum in homine est perfecta, est in mente plerique codicum deteriorum (D α 10. 39. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. M. Par. El. itemque ceteri fere Dauisii codd. et 65.) est perfecto et in mente β γ. Codd. meliores: item cum (E Gd. 2. item quod. δ itemque) in hom. est perfecta (perfectum E Gd. 2.) in mente sapientis ABCE δ Gd. 2. 11. — descriptae ABC. descripte δ Gd. 2. Quare, etiamsi in cod. E descripta esse ex Bakii silentio recte collegeris, ea correctio est putanda scripturae meliorum codicum communis. Cumque plerique etiam codicum deteri-

nent. Omnem enim legem, quae quidem recte lex appellari possit, esse laudabilem quibusdam talibus argumentis docent. Constat profecto ad salutem ciuium ciuitatumque incolumitatem uitamque hominum quietam et beatam inuentas esse leges, eosque, qui primum eiusmodi scita sanxerint, populis ostendisse, ea se scripturos atque laturos, quibus illi *adscitis susceptisque honeste beateque uiuerent; quaeque ita composita sanctaque essent, eas leges uidelicet *nominarunt. Ex quo intelligi par est eos, qui perniciosa et iniusta populis iussa descripserint, cum contra fecerint, quam polliciti professique sint, quiduis potius tulisse, quam leges: ut perspicuum esse possit in ipso nomine legis interpretando inesse
12. uim et sententiam iusti et *ueri legendi. Quaero igitur a

---

orum, quorum quidem diligenter excerpta scriptura est, aut descriptae (α W. M. pal. 4. Oxx. EU.) teneant, aut scriptae (D Dr. 1. 2. ψ — scriptate Cr.): descriptae existimo in cod. arch. fuisse. Ex Bakii enim perperam h. l. collegeris silentio, in codd. 11. 65. 39. 96. βγε descripta esse, praesertim cum ex codd. 11. 65. 39. 96. pro uarie excerpserit uariae, quod idem est in ABC Dr. 2. pal. 4. — populis, fauore ACEδ Gd. 2. 11. 65. Deteriores fere: populi fauore Dβγε Dr. 1. 2. W. Cr. M. B. (sed hic ex corr.) fauore populi α 10. — uitamque hominum codd. meliores cum plerisque deteriorum. omnium Dβε 39. Dr. 2. — inuentas esse CE Gd. 2. itemque Br. Vd. initas γ 10. M. Par. Reg. Gd. 1. Cass. Ox. E. conditas esse AB (ex corr.) 11. 65. Dαβε 39. 58. 96. Cr. W. Dr. 1. 2. El. Ball. Med. Harl. 1. 2. — sanxerint ABC Gd. 2. δ cum multis deteriorum, etiam Dr. 1. 2. sanxerit E. sanxerunt CDαβε 10. 58. 96. — illi adscitis Lambini coni. recepta ab Ern. et sequentibus. illis adscriptis ABCE 11. M. quibullis adscriptis 65. illis adscriptus susceptusque Gd. 2. illis ascriptis Dr. 1. Ball. palatt. illi ascriptis Dαε Cr. Dr. 2. illa ascriptis βγ. illi adscriptis W. Nec quicquam aliud Dauisii et Goerenzii codd. tenere uidentur. Etenim cum in Gd. 2, in quo ascitus esse dicit, distincte scriptum sit adscriptus, iure dubitatur de scripturae ueritate ex Vd. et Br. excerptae, quorum ille ascitus, hic adscitis habere dicitur. — nominarunt coni. a Uictorio, Lambino, sequentibus expressa. Codd. omnes praeter 10. et 65. (nominaret) habent nominarent. — et ueri legendi coniectura, quam Goer. in Vd. et Br. esse dicit. In cod. arch. quid scriptum fuerit, difficile dictu est. Sed religiosius profecto et h. l. codicis archet. scriptura propagata est in codd. quibusdam melioribus: uim legendi (E Gd. 2.), curilendi

te, Quinte, sicut illi solent: Quo si ciuitas careat, ob eam ipsam causam, quod eo careat, pro nihilo habenda sit, id estne numerandum in bonis? Q. Ac maximis quidem. M. Lege autem carens ciuitas estne ob ipsum habenda nullo loco? Q. Dici aliter non potest. M. Necesse est igitur legem haberi in rebus optimis. Q. Prorsus assentior. M. 13.
Quid, quod multa perniciose, multa pestifere sciscuntur in populis, quae non magis legis nomen attingunt, quam si *latrones aliquas *consessu suo sanxerint? Nam neque

---

(B). Quibus prope accedunt pal. 4. Par. Reg. Gd. 1. Cass. (iurulenti), γ (uirulenti). Iuris legendi δ. iuris colendi A (ex corr.) D β pal. 3. El. Harl. 1. 2. Med. Ball. Uff. W. ψ. Dr. 1. 2. et haud dubie 11. 65. 58. 96, ex quibus Bakius eolendi excerpsit. iustitiae et iuris colendi ε. iuris colenda. Cr.

§. 12. quo si ciuitas deteriorum codicum longe plerique, etiam Cr. W. Dr. 2. quod si ciuitas ABE Gd. 2. 11. 10. M. quid sit quo si ciuitas car. Dr. 1. quod si ciuitas lege careat C. quod si ciuitas lege careat α. — id estne BCEδ. itemque s. f. s. $\alpha\gamma$ 10. i. ne Gd. 2. idemne A (ex corr.) W. Dr. 1. 58. 96. idomne 11. 65. idemque Cr. Dr. 2. D$\beta\varepsilon$ 39. — ciuitas estne ob codd. meliores exc. 11. omnes, quibus si ex Bakii silentio accedere collegeris D$\alpha\beta\gamma\varepsilon$ 10, haud scio an erraueris. ciuitasne ob 11. 58. 96. Dr. 1. 2. Cass. Cr. W. omnes Dau. codd. anne ob M. Br. Vd. Gd. 1. 39. — ob ipsum in cod. arch. fuisse meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. Atque si id (ob id ipsum) ex Bakii silentio recte collegeris esse in codd. β et γ, coniecturae certe debetur. — haberi codd. meliores exc. B (habere) omnes cum deterioribus omnibus.

§. 13. perniciose — pestifere C (sed in hoc perniciosae) E Gd. 2. cum aliquot codd. deterioribus (Dr. 1. et γ, qui deinceps habent asciscuntur pro sciscuntur). Perniciose ex cod. β, pestifere ex cod. α Bakius excerpsit, quasi in illo pestifera, in hoc perniciosa inuenerit. [multa perniciose] multa pestifere asciscuntur M. multa perniciosa, multa pestifera A B 11. 65. Dr. 2. Cr. W. et s. f. s. D ε 10. 39. 58. 96. — latrones certissima Lipsii (Ant. lectt. II, 2. p. 115.) coniectura. Codd. omnes latores — aliquas AE Gd. 2. 11. 65. et procul dubio δ cum nonnullis deterioribus (Cr. W. ε 58. 96. Dr. 1.) aliquos Dr. 2. aliqua M. et s. f. s. BCD$\alpha\beta\gamma$ 10. 39. Goerenzius in melioribus suis codd. omnibus aliqua esse dicens commenticia tradit. Dauisii codd. inter utramque scripturam fluctuare uideantur. — consessu

medicorum praecepta dici uere *possunt, si quae inscii imperitique pro salutaribus mortifera conscripserunt, neque in populo lex, cuicuimodi fuerit illa, etiam si perniciosum aliquid populus acceperit. Ergo est lex iustorum iniustorumque distinctio, ad illam antiquissimam et rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quae supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos.

VI. Q. Praeclare intelligo; nec uero iam aliam esse ullam legem puto non modo habendam, sed ne appellandam
14. quidem. M. Igitur *tu Titias et Apuleias leges nullas putas? Q. Ego uero ne Liuias quidem. M. Et recte; quae praesertim uno uersiculo senatus puncto temporis sublatae sint: lex autem illa, cuius uim explicaui, neque tolli, neque abrogari potest. Q. Eas tu igitur leges rogabis uidelicet, quae numquam abrogentur. M. Certe, si modo ac-

---

Lipsii coni. concessu codd. paene omnes. cum cessu E. c̄oēssu 10. Consessu num sit in Cass., id quod Goer. tradidit, ideo dubium est, quia idem tradidit de Dr.1, in quo distincte scriptum est concessu. — possunt coni. necessaria in Sturmii edit. 1. et in marg. editt. Lamb. et Gothofr. reperta. In cod. arch. fuit possent, id quod codd. meliores tenent cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. possint Br. Vd. OxE. 58. — conscripserunt codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 2. conscripserint 10. Dr. 1. — cuicuimodi AB 11. 65, quibus prope accedunt C Gd. 2. δ (cui modi), Br. Cass. (cui quimodi), E (cui quimodo), Vd. (cuiusmodi). Deteriores fere: cui quid mali Dαβε 10. 58. 96. Cr. W. Dr. 1. 2. omnes Dauisii, plerique Goerenzii codd. cum quid mali 39. cui quidem mali γ. — illa codd. meliores cum aliquot deterioribus (γε). Deteriorum longe plerique: ulla (Cr. W. Dr. 1. 2. D αβ 10. 39. 58. 96.

VI. §. 14. tu Titias Manutii et A. Augustini coniectura expressa ex cod. arch. uestigiis tutias (ABCEδGd. 2. 11. 65. D Br. 58 plures Dau. codd.) tucias Dr. 1. 2. W. Cr. Vd. Cass. 96. tuscias Gd. 1. 10. 39. ticias α. Mendo seruato et coniectura tentata β tu tutias, γ tu tustias. — Liuias coni. pridem uulgata, quam in codd. Br. Vd. Dr. 2. se reperisse Goer. tradidit. At in Dr. 2. certe non est. ne leiuias quidem ABCE 11. uel eiuias quidem Gd. 2. ne leuias quidem βγ 58. 96. M. Dr. 1. nec leuias quidem Dr. 2. Cr. W. D. nec lenias quidem α. ne lenias quidem 39. le-

ceptae a duobus uobis erunt. Sed, ut uir doctissimus fecit
Plato atque idem grauissimus philosophorum omnium, qui
princeps de re publica conscripsit idemque separatim de legi-
bus eius, id mihi credo esse faciundum, ut, priusquam ip-
sam legem recitem, de eius legis laude dicam; quod idem
etiam Zaleucum et Charondam fecisse uideo, cum quidem
illi non studii et delectationis, sed rei publicae causa leges
ciuitatibus suis scripserunt. Quos imitatus Plato uidelicet
hoc quoque legis putauit esse, persuadere aliquid, non omnia
ui ac minis cogere. Q. Quid, quod Zaleucum istum negat 15.
ullum fuisse Timaeus? M. At Theophrastus auctor haud
deterior mea quidem sententia — meliorem multi nominant
— commemorant uero ipsius ciues, nostri clientes, Locri.
Sed siue fuit, siue non fuit, nihil ad rem; loquimur, quod
traditum est.

VII. Sit igitur hoc iam a principio persuasum ciuibus

---

gisciae 65. — a duobis uobis codd. meliores, quibus accedunt Dr. 1. 2. et accedere uidentur omnes Bakii codd. deteriores exc. 10, qui habet a duobus nobis. Dauisius, Goerenzius, Moserus, qui a uobis duobus scripserunt, nihil discrepantiae ex codd. suis excerpsunt. — philosophorum omnium, qui Par. Reg. Ball. et s. f. s. $\alpha\gamma$ 10. 39. 58. philosophorum [omnium] qui C Gd. 2. et procul dubio δ. philosophorum (om. Dr. 2. D ε El.) omniumque AB 11. 65. 96. $\beta\varepsilon$ Dr. 1. 2. D philosophorum (om. Cr.) omnium[que] Cr. W. — etiam ABE$\alpha\beta\gamma\varepsilon$D, s. f. s., itemque 10. 11. 58. 65. 96. Dr. 1. est Zaleucum C (sed in hoc corr. etiam) Gd. 2. et procul dubio δ. et Zaleucum Dr. 2. et fortasse aliquot Dau. Goer. Moseri codices, qui suscepta particula et nihil de suis prodiderunt. — cum quidem AB 11. 65. cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. Cr W. (Dr. 2. Cr. quom). Proxime accedunt Gd. 2. M. (quom quidam), B (quom quid^e^am), Eγ (cum quidam). Ex Br. Goerenzius excerpsit quamquam, ex Cass. quam; quod idem esse dicens in Gd. 2. errauit. — scripserunt codd. meliores cum deteriorum multis (Dr. 2. Cr. W. nonnullis Goer. ab ipso non nominatis, et s. f. s. $\beta\gamma\varepsilon$ 58. 96. Harl. 2. Par. El. conscripserunt Dα 10. 39. Reg. Ball. Med. Harl. 1. Dr. 1.

§. 15. At Theophrastus codd. paene omnes. atheophrastus Gd. 2. et theophrastus α 10.

VII. iam a principio codd. meliores praeter E, qui a omittit, omnes; non enim uerum est, quod tradit Goerenzius in Gd. 2. iam

dominos esse omnium rerum ac moderatores deos eaque, quae gerantur, eorum geri *ui, ditione ac numine eosdemque optime de genere hominum mereri et, qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri piorumque et impiorum habere rationem.
16. His enim rebus imbutae mentes haud sane abhorrebunt ab utili aut a uera sententia. Quid est enim uerius, quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem, ut in se rationem et mentem putet inesse, in coelo mundoque non putet? aut ut ea, quae uix summa ingenii ratione *comprehendat, nulla ratione moueri putet? Quem uero astrorum ordines, quem dierum noctiumque uicissitudines, quem mensium temperatio, quemque ea, quae gignuntur nobis ad fruendum, non gratum esse cogunt, hunc hominem omnino

---

omitti. Accedunt codd. deteriores, nisi quod in quibusdam (Dr. 1. Par. Gd. 1 M.) a omissum est; a Br. et Vd. praepositione seruata dicitur iam abesse. — ui, ditione ac numine Turnebi coni. expressa ex codicum meliorum uestigiis iudicione ac numine (BE), iudicione ac nomine (A) [u supra o]. iuditione ac nomen (CGd. 2. δ). Deteriorum plerique: iudicio ac numine (D α 58. 96. Cr. W. Dr. 1. 2. 11. 65.) [ui] ditione ac numine (pal. 4. βγ.) ui dictione ac (atque 39.) numine M. 10. 39.

§. 16. aut a uera A B 11. 65, quibus prope accedunt Gd. δ (ab uti illa aut auersa), C (ab utili illa aut auersa), E (abiit illa uersa). Deteriorum plerique: et a uera (D β 58. 96. Dr. 2. Cr. W. M. plures Dau. et Goer. codices, qui quod idem Gud. 2. tribuit, errat profecto). ab utili ac uera Dr. 1. Par. Med. Gd. 1. Cass. palatt. 10. 39. ab utili illa ac uera α. ab utili et uera s. f. s. γ. — aut ut ea codd. paene omnes. aut ut ea γ. an ut ea M. 39 [an supra aut]. — comprehendat, nulla ratione coni. pridem uulgata et prorsus necessaria. Desunt haec uerba in codd. et melioribus et deterioribus, ut certum sit a cod. arch. ea iam abfuisse et si in quo reperiantur codice, coniecturae deberi. Ex Bakii silentio num recte ista in cod. 10. esse colligas, dubito. Goerenzius a quinque suis recentioribus codd. ista abesse dicens, quasi uero sint in Gd. 2. et Dr. 2., aut fefellit, aut falsus est. — quemque ea, quae A B C δ 11. 65. Gd 2. (modo quod in hoc est eaque) cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. quem [que ea] quae E α 39. quemque gignuntur γ 10. — cogunt codd. meliores cum multis deteriorum (Dr. 1. W. et s. f. s. α γ 10. 58. 96.) cogant M. β Cr. (hic in marg.

numerari qui decet? Cumque omnia, quae rationem habent, *praestent iis, quae sint rationis expertia, *nefasque sit dicere, ullam rem praestare naturae omnium rerum: rationem inesse in ea confitendum est. Utiles esse autem has opiniones quis neget, cum intelligat, quam multa firmentur iure iurando, quantae *saluti sint foederum religiones, quam multos diuini supplicii metus a scelere reuocarit, quamque sancta sit societas ciuium inter ipsos diis immortalibus interpositis tum iudicibus, tum testibus? Habes legis pro- 17.

---

uel cognoscant). cognoscant D Dr. 2. ε 39. — numerari qui decet Dr. 2. El. numerare qui decet Cr. W. βε 96. numerare quae decet γ. numerari [qui] decet α. admirari [qui] decet 10. numerarique decet M. Med. munerarique decet 39. numerari ne que decet A. numerari neque decet Gd. 2. 11. 65. numerari nequa decet B C E δ. numerare neque decet (dicet 58.) Dr. 1. 58. Numerari Goer. excerpsit ex Br. Vd. Ox E. U. sequentis uoculae ratione non habita. — praestent iis coni. pridem uulgata. In cod. arch. procul dubio iam fuit praesentiisquae sint (A B C E Gd. 2. D 10), a quo nihil discrepat praesentiisque sint (11. 39. 58. βγ Cr. W. Dr. 1.) uel praesentisque sint (Dr. 2. M. α 96.) praesertimque sint 65. Nec in Dauisii, nec in Goerenzii codicibus, licet de suis sileant, scripturae discrepantiam esse existimo huius dissimilem. — expertia nefasque sit coni. pridem uulgata. In cod. arch. haud scio, an haec fuerint: experti ne easque (quae BC) sit B C E δ Gd. 2. M. 10. experti ne easque sint 96. experti ne easque quae sint γ. experti nec eas quae sint D β ε Cr. 39. experti neque (nec Dr. 1. 2.) easque sit Dr. 1. 2. W. α. experti nequeas dicere A 11. 65. Dau. et Goer. ne hoc quidem loco discrepantiae quicquam excerpserunt. — utiles esse autem codd. meliores cum multis deteriorum, etiam Dr. 1. ut illis esse aut opiniones M. utiles autem esse D Cr. W. Vd. Cass. Dr 2. ε 39. — has opiniones codd. meliores, quibus accedunt Dr. 1. 2. Cr. W. Csss. D ε et s. f. s. αβ 10. 58. 96. opiniones has γ 39. [has] opiniones Vd. M. OxE. — saluti Lambini coni. reperta nunc in cod. 10. In cod. arch. fuit salutis, id quod insigni meliorum deteriorumque codicum consensu confirmatur. — foederum religiones C E Gd. 2, quibus accedunt Dr. 1. M. et s. f. s. αγ 10. foedera religionis A B 11. 65. cum plerisque deteriorum (β ε 39. 58. 96. Cr. W. Dr. 2.) phedera religionis D. — tum iudicibus. Pauci tandum codd. deteriorum (αγ 10. Cr.) cum iudicibus. — tum testibus coniectura, quam

oemium; sic enim hoc appellat Plato. Q. Habeo uero, frater; et in hoc admodum delector, quod in aliis rebus aliisque sententiis uersaris atque ille. Nihil enim tam dissimile, quam uel ea, quae ante dixisti, uel hoc ipsum legis exordium. Unum illud mihi uideris imitari, orationis genus. M. Uelle fortasse. Quis enim id potest aut umquam poterit imitari? Nam sententias interpretari perfacile est; quod quidem ego facerem, nisi plane esse uellem meus. Quid enim negotii est, eadem prope uerbis iisdem conuersa dicere? Q. Prorsus assentior. Uerum, ut modo tute dixisti, te esse malo tuum. Sed iam exprome, si placet, istas leges de religi-
18. one. M. Expromam equidem, ut potero; et quoniam et locus et sermo familiaris est, legum leges uoce proponam. Q. Quidnam *id est? M. Sunt certa legum uerba, Quinte, neque ita prisca, ut in ueteribus *XII sacratisque legibus,

---

nescio num ex Bakii silentio recte colligas esse in codd. αβε. Reliqui certe codd. (A B C E δ Gd. 2. 11. 65. D. Cr. W. Dr. 1. 2. γ 10. 39. 58. 96.) tum omittunt, ut in cod. arch. id iam defuisse certum sit. [tum iudicibustum] testibus M.

§. 17. Habes Cr. Dr. 2. et s. f. s. βε 58. 96. D. habet W. his habes A C E δ Dr. 1. M. 39. α γ. hiis habes Gd. 2. hiis igitur habes 10. — hoc codd. deteriores, etiam Dr. 1. 2; meliores: haec (ABC) uel hec (E Gd. 2. 11. 65. itemque 10.) — dissimile, quam codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. dissimile est quam γ 10. 39. — uelle fortasse codd. meliores itemque Dr. 1. et s. f. s. 10. ε. uellem codd. reliqui — sed iam Dr. 1. Cr. W. et s. f. s. αβγ 10. sed etiam meliores cum multis deteriorum (Dr. 2. D. 39. 58. 96. ε.)

§. 18. legum leges uoce AB (uocem) C E Gd. 2. 11. 65. legum legis uocem D Cr. W. M. Dr. 1. 2. 10. 39. 58. 96. αβγεδ. — quidnam id est necessaria ueteris mendi correctio in uett. iam editt. expressa. quidnam inesset C E Gd. 2. δ. 39. quidnam inessent γ. quidnam inesset sed D Dr. 2. Cr. αβε. quidnam in eis sit sed Dr. 1. W. B (in B corr. ex inesset). quidnam in eis sunt A (sit sed). quid natura inesset 10. quid interesset eis sit sed 58. — ueteribus XII Lambini et Cuiacii coniectura reperta nunc una cum mendo in cod β. (ueteribus duodecim his) et in cod. γ (ueteribus duodecim hiis). In cod. arch. fuit aut ueteribus ex his (B C Gd. 2. 11. 65. M. Dr. 1.) aut ueteribus ex hiis (E α 10.). ueteribus ex is A. ueteribus his Dr. 1. Cr.

et tamen, quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora, quam hic sermo est. Eum morem igitur cum breuitate, si potuero, consequar. Leges autem a me edentur non perfectae, nam esset infinitum, sed ipsae summae rerum atque sententiae. Q. Ita uero necesse est. Quare audiamus. 19.

VIII. M. *Ad diuos adeunto caste. pietatem adhibento. opes amouento. qui secus faxit, deus ipse uindex esto.*

*Separatim nemo habessit deos neue nouos *neue aduenas, nisi publice adscitos. priuatim colunto, quos rite a patribus *cultos acceperint.*

**In urbibus delubra habento. lucos in agris habento et larum sedes.*

*Ritus familiae *patrumque seruanto.*

*Diuos et eos, qui coelestes semper habiti, colunto et ollos, quos *endo coelo merita *locauerint, Herculem,*

W. 39. ε. ueteris his 58. ueteribus iis 96. ueteribus his et sacratis D. — si potuero A C E Gd. 2. δ M. et s. f. s. βγ 39. potero B 11. 65. 10. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. D α. petero ε.

§. 19. audiamus. In quibusdam codd. deterioribus (α 10. 39. Ball. M. Dr. 1. OxE.) uerbo audiamus adhaeserunt haec: uerba legis, in Cass. uerba legum; quae absunt a codd. melioribus multisque deteriorum, etiam Dr. 2.

VIII. neue aduenas Rathii et Handii coniectura denuo commendata a Maduigio in progr. p. 6 sedne adu. A B 11. 65. cum multis deteriorum, etiam Cr. W. Dr. 1. 2. sed [ne] adu. Gd. 2. δ. set [ne] adu. C. siue aduenas M. Par. Reg. Ball. Cass. Gd. 1. Oxx. EU. ψ. 10. 39. — quos rite a patribus A B 11. 65, quae uera est correctio mendi, quod est in codd. E (colunt a quo stricta ea patribus), δ (colunt oquos trita ea patribus), C (colunto quos trita ea patribus), Gd. 2. (colunt equos trita ea patribus). Deteriores omnes: constructa a patribus. — cultos acceperint Maduigii coni. Codex haec uerba nullus habet. — In urbibus sic de coni. mea. In cod. arch. uel haec uerba defuisse, codicum paene omnium consensus arguit. delubra in urbibus γ, quo loco post Turnebum uerba in urbibus omnes restituerunt. — patrumque coni. in uett. iam editt. expressa et reperta nunc a Bakio in cod. D. Codex archet. patriamque, quod est in codd. paene omnibus. patriumque β. — quos endo coelo

*Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum. ast olla, propter quae datur homini adscensus in coelum, Mentem, Uirtutem, Pietatem, Fidem, earumque laudum delubra sunto, *neue ulla uitiorum.*

Sacra solemnia obeunto.

Feriis iurgia mouento, easque in famulis operibus patratis habento. Itaque ut ita cadat, in annuis anfractibus descriptum esto. certasque fruges certasque bacas sacerdotes publice libanto: hoc certis sacrificiis
20. *ac diebus. itemque alios *ad dies ubertatem lactis foeturaeque seruanto. Idque ne committi possit, ad eam*

Turnebi coniectura excerpta nunc a Bakio ex cod. A, qui habet endo coelo superscripta correctione in coelum. quos sc̃do celo E Br. qui sc̃do celo Gd. 2. δ. quos cum deo celo C. quos nansiscendo (nasciscendo M. nanciscundo 10.) celo Gd. 1. Vd. M. 10. quos ascendo celo γ. quos cum deo in coelum α. quos in celum uel caelum B 11. 65. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. β. plerique Dau. et Goer. codd. — locauerint. Sic scripsi uel de Dauisii coni. locauerunt, uel ex meliorum codicum coniunctiuum tenentium uestigiis. uocauerint ABCE Gd. 2. δ 11. 65. 58. Dr. 1. 2. Cr. βγ cum plerisque Dauisii et Goerenzii codicibus. uocauerunt W. M. D 39. 96. αε. uocarunt 10. — ast olla codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. Nec apud Lactantium Diu. Inst. I, 20. ulla scripturae discrepantia est. at olla D. aut illa γ. aut ulla 39. — neue ulla Gulielmi coniectura reperta nunc a Bakio in cod. δ. et meliorum quorundam codicum uestigiis confirmata: Gd. 2. (sunt onencula), C (sunt one uncula), E (sunt homicula), 10. (honercula), Par. Reg. (neucula). Codd. reliqui: nec ulla. Neque fides habenda est Goerenzio, qui in omnibus suis codd. neue ulla esse tradit. In nullo hercle istud inuenit. — mouento ABE 11. 65. cum plerisque deteriorum, etiam Cr. Dr. 2. mauento Gd. 2. inauento C. amouento Dr. 1. W. 10. 58. 96. amouendo 39. — cadat ABCE Gd. 2. 11. 65. cum deterioribus paene omnibus. cadant δ Reg. — certasque deteriorum plerique, etiam Dr. 1. 2. Cr. W. ceterasque ABC δ Gd. 2. 11. 65. αε. — libanto codd. deteriores. liberanto A B C E 11. 65. itemque γ. liberando Gd. 2. liberato 96.

§. 20. ad dies Turnebi coni. Codd. omnes addes. — foeturaeque Par. Reg. Harl. 2. W. Dr. 1. et s. f. s. α 10. 96. futuraeque ABCE δ Gd. 2. 11. 65. foetusque Dr. 2. Cr. faetusque D 39. β. faetumque γ. feriisque ε. — idque codd. ad unum paene

*rem *ratione cursus annuos sacerdotes finiunto. quaeque quoique diuo decorae grataeque sint hostiae, prouidento.*

*Diuisque *ollis sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto. Uirginesque Uestales in Urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum.*

*Quoque haec priuatim et publice modo rituque fiant, discunto ignari a publicis sacerdotibus. Eorum autem genera sunto *tria: unum, quod praesit caerimoniis et sacris; alterum, quod interpretetur fatidicorum et uatum effata incognita, quorum senatus populusque adsciuerit. Interpretes autem Iouis optimi maximi, publici augures, signis et auspiciis †postea uidento, disciplinam tenento. Sacerdotesque uineta uirgetaque et salutem populi augu-* 21.
ranto. Quique agent rem duelli quique popularem, auspi-

---

omnes. id quod E.—ratione Turnebi coni. Codd. omnes: rationem cursus annuos. — quoique ABCδ itemque s. f. s. D 39. αβγ. quoque Gd.2. quique E. cuique deteriorum plerique (Dr.1.2. Cr.W. M.10.11.58.65.96. ε.) — ollis Turnebi coniectura, pro qua post Uict. Lamb. Ern. uulgatum ab omnibus est aliis alii. Codd. omnes: aliis [alii] sacerdotes. — Uirginesque ABCδGd.2, itemque Dr. 1. Par. Reg. Ball. et si fides Goerenzio habenda est, Br. Vd. Uff. (nam de Dr. 2. errat), itemque s. f. s. αβγε 10.39. uirgines[que] 11.65.58.96. D Dr. 2. Cr. W. uirgines et uestalis E. — quoque haec priuatim BCEδGd.2. cum deterioribus aliquot (Par. Reg. El. Med. Harl. 1. Dr. 1.) quoque priuatim hec ac 10. quoque et priuatim haec ac α. quoquo et priuatim AD Cr.W. Dr. 2. 39. 58. 96. βε quodque 11.65. — sunto tria Goerenzii coniectura, quae nititur mendo codicis Gd 2. (sunt triunum expuncto u) et E (sunt otrinum). Cuius mendi simile fuit in cod. C, in quo correctum est genera sunt tria. Genera sunto duo AB 11. Dr. 2. Cr. W. Cass. et s. f. s. D 39. βγε. sunt duo 58. 65. 96. duo sunto genera α. duo sunt genera 10. duo genera sunto δ Dr. 1. — quorum senatus codd. ad unum paene omnes. quum senatus β. — postea. Mendum hoc codd. omnes tenent, pro quo aut ostenta, quod Halmius coniecit, aut portenta Ciceroni restitui necesse est.

§. 21. popularem coniectura, quam nescio num ex Bakii silentio recte collegeris esse in codd. αβγ. Codd. uel propopularem (BCGd.), uel propopulare (A 11. 65. 58. Dr. 2. praepopu-

*cium praemonento olliquе obtemperanto, diuorumque iras prouidento iisque apparento coelique fulgura regionibus ratis temperanto Urbemque et agros templa liberata et *effata habento. Quaeque augur iniusta nefasta, uitiosa dira defixerit, irrita infectaque sunto, quique non paruerit, *capital esto.*

IX. *Foederum, pacis belli, induciarum *oratores feciales iudicesue sunto. bella *disceptanto.*

*Prodigia, portenta ad etruscos *aruspices, si senatus *iusserit, deferunto: Etruriaque principes disciplinam doceto. Quibus diuis creuerint, procuranto, idemque fulgura atque obstita pianto.*

Nocturna mulierum sacrificia ne sunto praeter olla,

---

lare 96.), uel populare Dr. I. D 10. 39. — apparento codd. meliores cum aliquot deterioribus (Par. Reg. et s. f. s. $\alpha\,\gamma$. itemque M. aparento), 39. (apparendo), 10. (apparando). Deteriorum plerique parento (D $\beta\,\varepsilon$ 11. 65. 58. 96. Cr. W. Dr. I. 2. plerique Dau.) — agros templa Goerenzii coni. prorsus necessaria. Codd. plerique: agros et templa; deteriorum pauci (58. 96. Dr. 2. Cr. W.) et templa et agros. — et effata coni. in uett. iam editt. expressa. Codd. meliores BCE δ Gd. 2. efflat habenti; deteriores cum codd. AB 11. 65. efflata habento. — capital esto Manutii coniectura; non enim fides Goerenzio habenda est capital esto in Br. et Vd. esse dicenti. carital esto B. Gd. 2. carita lesto C. carit olesto E. caristolesto AB 11. 65. capitale esto δ cum deterioribus.

IX. oratores - iudicesue de Schefferi coniectura, quam in Br. tentatam esse Goer. dicit, Goer. Sch. Mos. Or. Codd. paene omnes: oratorum feciales (speciales D 58. 96. Dr. I. W. M. γ. speltales 10. 39. spirituales Cr.) non (om. non 39. 96.) sunto. Correctionem suscepit δ iudices duo sunto. — disceptanto coniectura pridem uulgata, quam ex Bakii silentio collegeris esse in cod. B. In cod. arch fuisse disceptatio codicum paene omnium consensu confirmatur. disceptationes α 10. 96. — ad etruscos aruspices coni. a Stephano, Danisio, Goerenzio, reliquis expressa et excerpta ex codd. δ Br. Cass. El. Harl. I. Reliqui codd. omnes: ad etruscos et aruspices. — iussit codd. ad unum paene omnes. Ex Bakii silentio num recte colligas in codd. $\beta\,\gamma$ 10. fuisse iusserit, dubito. — Etruriaque CE δ Gd. 2; quod num recte ex Bakii silentio esse colligas in codd. $\beta\,\gamma$ 10, nescio; reliqui codd. Etruriaeque. — doceto ABE 11. docet C. doceat Gd. 2. Deteriores,

*quae pro populo rite fient: neue *q u o i initianto, nisi, ut assolet, Cereri graeco sacro.*

Sacrum commissum, quod neque expiari poterit, impie 22. *commissum *e s t o: quod expiari poterit, publici sacerdotes expianto.*

Ludis publicis, quod sine curriculo et sine certatione corporum fiat, popularem laetitiam in cantu et fidibus et tibiis moderanto eamque cum diuum honore iungunto.

Ex patriis ritibus optima colunto.

Praeter Idaeae matris famulos eosque iustis diebus ne quis stipem cogito.

Sacrum sacroue commendatum qui cleperit rapsitque, parricida esto.

Periurii poena diuina exitium, humana dedecus.

Incestum pontifices supremo supplicio sanciunto.

Impius ne audeto placare donis iram deorum.

Caute uota reddunto. Poena violati iuris esto. Quocirca ne quis agrum consecrato. Auri, argenti, eboris sacrandi modus esto.

Sacra priuata perpetua manento.

*Deorum manium iura sancta sunto. *S o s leto datos diuos habento: sumtum in ollos luctumque minuunto.*

---

quibus accedit 65: d o c e n t o. — f i e n t Gd. 2. 11. 65. cum multis deteriorum (Dr. 2. Br. Vd. Gd. 1. Cass. Cr. W. D 10. 58. 96. f i a n t Dr. 1. et s. f. s. 39. αβγε. Parum recte ex Bakii silentio f i a n t esse collegeris in codd. A B C E δ. — n e u e q u o i coniectura mea expressa ex codicis archet. mendo n e u e q u a e, quod tenent A B C E Gd. 2. n e n e q u e in i n i t i a n t o αll. n e q u e q u e m βδ. n e u e [q u a e] D. Cr. W. Dr. 1. 2. 39. 58. 65. 96. n e q u e [q u a e] 10.

§. 22. c o m m i s s u m e s t o coni. necessaria iam a Man. et Lamb. expressa et a plerisque probata. Codd. omnes c o m m i s s u m e s t. — c l e p e r i t r a p s i t q u e A B Gd. 2. 11. 65. W. d e p e r i t r a p s i t q u e E Par. Reg. Dr. 1. 39. d ē s e r i t r a p s i t q u e C. c e p e r i t r a p s i t q u e 10. c l e p e r i t r a p s e r i t q u e Dr. 2. d e p e r i t q u e r a p s i t q u e γ. c l e p s e r i t r a p s i t q u e D. d e p s e r i t r a p s e r i t q u e β. d e m p s e r i t r a s i t q u e Cr. (in marg. r a p s e r i t). d e m p s e r i t r a p s i t q u e 58. e m p s i t r a p s e r i t q u e ε. Probabiliter Madu. de fin. p. 748. c l e p s i t conieeit. — n e q u i s a g r u m c o n s e c r a t o Dr. 2. Cr. et s. f. s. D 39. 58. 96. αβ. n e q u i s a c r u m c o n s e c r a t i

23. X. Att. Conclusa quidem est *a te magna lex sane quam *breui; sed, ut mihi quidem uidetur, non multum discrepat ista constitutio religionum a legibus Numae nostrisque moribus. M. An censes, cum in illis de re publica libris persuadere uideatur Africanus, omnium rerum publicarum nostram ueterem illam fuisse optimam, non necesse esse optimae rei publicae leges dare consentaneas? Att. Immo prorsus ita censeo. M. Ergo adeo exspectate leges, quae genus illud optimum rei publicae contineant; et si quae forte a me hodie rogabuntur, quae non sint in nostra re publica nec fuerint, tamen erunt fere in more maiorum,
24. qui tum ut lex ualebat. Att. Suade igitur, si placet, istam ipsam legem, ut ego, **utei tu rogas*, possim dicere. M. Ain' tandem, Attice, non es dicturus aliter? Att. Pror-

---

ABCEδGd.2.11.65.W.10.γ. nequis sacer consecrati Dr.1. ne quis sacrum consecrari M. — sos coni. uiri docti in Miscell. obseruatt. III, 1. p. 67. et Goerenzii. Codd. meliores, quibus accedunt D. M. 10. 39. duo Goer.: nos. Deteriorum plerique, etiam Dr. 1. 2: hos. — leto datos coni. pridem uulgata, quam nescio num recte ex Bakii silentio colligas esse in codd. γ et 10. In cod. arch. dato fuisse insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. danto α.

X. §. 23. a te magna Turnebi, ut uidetur, coni. a Steph. Lamb. Dau. expressa. Codd. meliores aut alter magna (Gd. 2. B E δ) aut apte magna (A. 11. 65. itemque W. Dr. 1.) Deteriorum plerique: altera tam magna ($\alpha\ \beta\ \gamma\ \varepsilon$ D 39. 58. 96. Par. Reg. Harl. 1. Med. El. Cr.) altera tñ magna M. altera [tam] magna Harl. 2. a pr. manu. Falsa Goer. tradit, in codd. Br. Vd. Uff. a te tam magna esse dicens. — breui; sed Uictorii coni. expressa ex mendo codicis arch. breuis et, quod tenent B C E Gd. 2. 11. cum deteriorum longe plerisque ($\alpha\ \beta\ \gamma\ \varepsilon$ 10. 39. 58. 96. Cr. W M. Dr. 2. pluribus Goer.) breui et Dr. 1. et s. f. s. A 65; quod post Man. et Dau. omnes receperunt. — erunt ABCEGd. 2. δ 11. 65. 96. W. erit M. 10. Deteriorum longe plerique, etiam Dr. 1, 2: erant.

§. 24. utei tu rogas Dauisii coni. expressa ex mendo codicis archet. ut et tu rogas, quod codd. meliores tenent omnes cum deterioribus paene omnibus, etiam Dr. 1. 2. utei rogas ε, idemque in Cass. esse dicitur a Goer. In Br. et Gd. 2. ab eodem esse dicitur ut et rogas; at de Gd. 2. certe labitur, in quo distincte scriptum est ut et tu rogas. — ain' tandem ABCδGd. 2. 11. 65. cum pluribus deteriorum. an tandem ECr. W. Dr. 1. 2. $\beta\ \varepsilon$. iam tandem γ.

sus maiorem quidem rem nullam sciscam aliter; in minoribus, si uoles, remittam hoc tibi. Q. Atque *mea quoque eadem sententia est. M. At ne longum fiat, uidete. Att. Utinam quidem! quid enim agere malumus?

M. Caste iubet lex adire ad deos: animo uidelicet; in quo sunt omnia. Nec tollit castimoniam corporis; sed hoc oportet intelligi, cum multum animus *corpori praestet obseruetur que, ut casto corpore adeatur, multo esse in animis id seruandum magis. Nam illud uel adspersione aquae uel dierum numero tollitur: animi labes nec diuturnitate *euanescere nec *amnibus ullis elui potest.
*Quod autem pietatem adhiberi, opes amoueri iubet, 25.
significat probitatem gratam esse deo, sumtum esse remouendum. Quid enim? paupertatem cum diuitiis etiam inter

---

— mea quoque eadem coni. mea. Codd. meliores cum deterioribus paene omnibus, etiam Dr. 1. 2: atque mea quidem. pal. 4: atque haec mihi ea quidem. Cass. pal. 3: atque quidem mea. — corpori coni. pridem uulgata et a Bakio excerpta ex codd. δ et 96. In cod. enim arch. fuisse corpore, insigni reliquorum codicum consensu confirmatur. — casto corpore adeatur deteriorum plerique (D Cr. W. Dr. 1. 2. A 11. 65. plerique Dau. et Goer. codd.) casta corpora adhibeatur B E Gd. 2. δ. casta corpora adhibeantur M. Par. Reg. Ball. Br. Vd. itemque s. f. s. Cγ 10. — illud codd. paene omnes. Coniectura tentata est in codd. β et γ (nam illud ineestum) itemque in M. et δ (nam incestum om. illud). — euanescere Vd. Harl. 2. 10. In cod. arch. fuisse uanescere reliquorum codicum consensus arguit. uanescere om. Cass. OxE. — amnibus coniectura nescio cuius a Turnebo commemorata et post Lamb. probata ab omnibus. Codd. aut amanibus (A B C E Gd. 2. δ, itemque αγ pal. 4.) aut manibus (D Dr. 1. 2. Cr. W. 11. 39. 58. 65. 96. βε). Inter utramque scripturam etiam Dau. et Goer. codd. fluctuant. ne aut manibus 10.

§. 25. Quod autem coni. pridem uulgata, quae tentata iam est in cod. γ (quo[d] autem). Codd. meliores: quo tamen; deteriores uel quo tamen uel correctione assumta quod tamen (Dr. 1. 2. Cr. W.) quo tum M. — probitatem codd. meliores (prouitatem Gd. 2.) cum deterioribus, si minus omnibus, at plurimis certe (Dr. 1. 2. Cr. W. D 39. 58. 96. β Dau. et Goer. codd.). Ex Bakii silentio num recte pietatem esse colligas in codd. 10. αγε, ego dubito. — quid enim? paupertatem cum codd. meliores cum multis de-

homines esse aequalem uelimus, cur eam sumtu ad sacra addito deorum aditu arceamus? praesertim cum ipsi deo nihil minus gratum futurum sit, quam non omnibus patere ad se placandum et colendum uiam. Quod autem non iudex, sed deus ipse uindex constituitur, praesentis poenae metu religio confirmari uidetur. Suosque deos aut nouos aut alienigenas coli confusionem habet religionum et ignotas caerimonias
26. sacerdotibus. Nam *a patribus acceptos deos ita placet coli, si huic legi paruerint ipsi.

*Oportere delubra esse in urbibus censeo; nec sequor magos Persarum, quibus auctoribus Xerxes inflammasse templa Graeciae dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset et domus.

XI. Melius Graeci atque nostri; qui ut augerent pietatem in deos, easdem illos quas nos urbes incolere uoluerunt. Affert enim haec opinio religionem utilem ciuitatibus: siquidem et illud

---

teriorum (α 39. 58. 96. M. 4 Goer.) qui enim paupertatem cum diu. 10. quid enim cum diuitiis paupertatem Dr. 1. quid enim cum paupertatem diu. Dr. 1. 2. Cr. W. Coniectura tentata est in cod. β (quid est enim cum paup.) et in γ (quid est enim paupertatem cum). — non iudex codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 2. Cr. W. non homo iudex de coni. Dr. 1. Ball. duo Goer. non homo mendex 10. non (non om. γ) habet iudex $\alpha\gamma$ M. — sacerdotibus coni. pridem uulgata. caerimonias nos sacerdotibus AB CE Gd. 2. δ. nos (superscr. non) sacerdotibus A, unde idem translatum est in 11. et 65. Deteriores uel nosse sacerdotibus (γ 39. 96. M. Dr. 1. plures Dau. et Goer. itemque W. in marg.), uel esse sacerdotibus (Dr. 2. D. Cr. W. El. Harl. 1. β ϵ. nosce (superscr. esse) sacerdotibus α. nosse uel esse om. Br. Cass.

§. 26. nam a patribus. In codd. omnibus a praepositio omissa est; nam ementitum est, quod dicit Goerenzius in quinque suis melioribus esse nam a patribus; certe in Gd. 2. et Dr. 2., quem et ipsum in melioribus habet, a non est. non patribus 39. 65. — paruerint ACE Gd. 2. 11. 65, quibus accedunt Cr. M. et s. f. s. $\alpha\gamma$ 10. 39. parauerint B. paruerunt Dr. 1. D. W. 58. 96. β. δ. parauerunt Dr. 2. — oportere coni. mea expressa ex mendo patrẽ, quod est in C et Gd. 2. patrum ABE cum deterioribus omnibus. parum 11. 65.

bene dictum est a Pythagora, doctissimo uiro, tum maxime et pietatem et religionem uersari in animis, cum rebus diuinis operam daremus, et quod Thales, qui sapientissimus in septem fuit, homines existimare oportere *omnia deorum esse plena; fore enim omnes castiores, ueluti *cum in fanis essent maxime religiosis. Est enim quaedam *opinione species deorum in oculis, non solum in mentibus. Eamdemque ra- 27.
tionem luci habent in agris. Neque ea, quae a maioribus prodita est cum dominis tum famulis, posita in fundi uillaeque conspectu religio *Larum repudianda est.

Iam ritus familiae patrumque *seruare id est, quoniam antiquitas proxime accedit ad deos, a diis quasi traditam religionem tueri.

Quod autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem et ceteros, coli lex iubet, indicat omnium quidem animos immortales esse, sed fortium bonorumque diuinos.

XI. omnia deorum esse plena. Sic scripsi de coniectura, quam iam Orellius miratur nondum esse tentatam. Cod. arch. omnia cernere d. e. pl. (C δ Gd. 2. cum deterioribus paene omnibus, etiam Dr. 2.) omnia cerne Dr. 1. omnia cernere t ABE 11. 65. si fides sitentio est. omnia quae cernere β. — ueluti cum in fanis essent Moseri coniectura, cum superiores de Lambini coni. scripsissent: ueluti qui in fanis essent. Cod. arch.: ueluti quo infans esset, quod tenent ABE Gd. 2. 11. 65. cum deterioribus paene omnibus, etiam Dr. 1. 2. (Dr. 2. esse). ueluti cum infans esset C. Si uerum est, quod in cod. δ Bakius esse dicit, ueluti qui in fanis essent maxime religiosis, ea coniectura tamen est. — religiosis. In meliorum fuit principe libro religiosos (C E Gd. 2. et procul dubio δ — religiosos B); deteriores cum codd. 11. 65. religiosus. — quaedam opinione sp. coni. in uett. quibusdam editt. (Asc. 1. 2. Uenet.) reperta et probata a Mos. Or. Bakio. quaedam opiniones (opinionis AB 11. 65.) species ABE Gd. 2. 11. 56. quadam opinione species codd. deteriores, ex quibus correcti h. l. sunt C et δ.

§. 27. neque ea codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 2. neque enim α γ 10. 39. Dr. 1. neque eam ε. — Larum Turnebi coni. In meliore principe fuit libro parum (A B E Gd. 2.), in principe deteriorum patrum (D α 10. 39. 58. 96. 11. 65. M. W. Dr. 1. omnes Goer.) partim C. patruum Cr. β γ patrium Dr. 2. — seruare δ aut coniectura aut casu. In cod. arch. fuisse seruari

28. Bene uero, quod Mens, Pietas, Uirtus, Fides consecratur *humana: quarum omnium Romae dedicata publice templa sunt, ut, illa qui habeant, (habent autem omnes boni) deos ipsos in animis suis collocatos putent. Nam illud uitiosum Athenis, quod Cylonio scelere expiato Epimenide Crete suadente fecerunt Contumeliae fanum et Impudentiae; uirtutes enim, *non uitia consecrare decet; araque *uetusta in Palatio Febris et altera Esquiliis Malae Fortunae detestataque omnia eiusmodi repudianda sunt. Quod si fingenda nomina, Vicaepotae *est potius atque Statae cognominaque Statoris et Inuicti Iouis rerumque expetendarum nomina, Sa-

---

reliquorum codicum consensu confirmatur. — sed fortium AB 11.65. cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1.2. esset [sed] fortium E Gd.2. esse [sed] fortium C δ 10.39. Par. Reg. M. 4 Goer.

§. 28. humana coni. mea proposita in progr. 1841. p. 16, in quam eandem incidit mea non cognita disputatione Krausius in progr. 1842. p. 9. Codd. omnes: manu. — uirtutes enim coni. in uett. iam editt. expressa, quam in codd. C 58. esse perperam ex Bakii silentio colligas. In cod. arch. certe fuit uirtutes enim et uitia (A B E Gd. 2. 11. 65. Par. Reg. El. Harl. 1. 2. Med. Ball. Cr. W. Dr. 1. 2. D $\alpha\beta\gamma$ 10. 39. 96.) — consecrare A B C E δ Gd. 2. 11, quibus s. f. s. accedunt $\alpha\gamma$ 10; deteriorum plerique (D 39. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. Br. Vd. Uff. itemque 65.): consecrari. consecrata β. — araque uetusta Maduigii coni. reperta nunc in cod. 58. araque (araquae A B 11. 65.) uetus stat in A B 11. 65. D Cr. W. Dr. 1, 2. $\alpha\beta\gamma\varepsilon$. plerique Dau. et Goer. codd.) araque uet ut in δ itemque C, sed superscripta correctione uetus stat. araque uet in Gd. 2. araque fetu fan palatio E. araque (quae 10. 39.) uetustissima est 10. 39. M. pal. 4. Ball. Br. Vd. Oxx. U ψ. araque uetustina est Par. Reg. Cass. Gd. 1. — detestataque omnia cod. S. Uict. itemque si fides habenda Goerenzio est, Br. et Vd. detestataque huiusmodi pal. 4. detestatque omnia A C E δ Gd. 2. detestaturque omnia B. 11. detestaque omnia 10. Cass. detestataeque omnia Par. Reg. M. γ. detestataeque quae uel que omnia D Cr. W. Dr. 1. 2. 58. 65. 96. $\beta\varepsilon$. detestanteque quaeomnia α. — Uicae potae est potius coni. mea expressa ex codicis arch. mendo Uicae potae (uice poëte uel poëtae E D Dr. 1. 3. $\alpha\beta$) et (epotius B E Par. Reg.) potius, quod A B C E Gd. 2. tenent cum plerisque deteriorum (Par. Reg. El. Harl. Med. Cr. W. Dr. 1. 2. D $\alpha\beta$). [et] potius M. γ. Quae uerba post potius in codd. omnibus sunt uincendi atque potiundi, ea merito inde a Goerenzio sunt repudiata. —

lutis, Honoris, Opis, Uictoriae. Quoniamque exspectatione rerum bonarum erigitur animus, recte etiam Spes a Calatino consecrata est. Fortunaque sit uel Huiusce diei, (nam ualet in omnes dies) uel Respiciens ad opem ferendam, uel Fors, in quo incerti casus significantur magis, uel Primigenia a gignendo; comes tūm * * *

XII. Feriarum festorumque dierum ratio in liberis re- 29.
quietem habet litium et iurgiorum, in seruis operum et laborum. Quas compositio anni conferre debet ad perfectionem operum rusticorum. *Adque tempus ut sacrificiorum liba-

---

Statae. In cod. arch. fuisse uidetur statasandi, quod ABC 11. 65. tenent cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. tharasandi E. tatasandi Gd. 2. statassandi αβ. stantas addi γ — Quoniamque Turnebi coniectura, quae nititur mendo codicum meliorum E Gd. 2. (quoniam quē), AB 11. 65. (quoniam quum). Quoniam quidem deteriores, etiam Dr. 1. 2, unde translatum est in cod. C. quando quidem Br. Vd. OxE. quam in quidem γ. — etiam spes a Cal. codd. meliores cum plerisque deteriorum. etiam a Calatino spes Dβε. et a Cal. spes Dr. 2. Cr. — uel huiusce diei (dici E Gd. 2.) B C δ E Gd. 2. pal. 3. Par. Reg. Ball. et s. f. s. γ ε 39. Deteriorum plerique, etiam Dr. 1. 2. uel huius, modo quod in quibusdam (58. 96. Cr. W. Dr. 2.) uel omissum est. — uel fors, in quo ABCδ Gd. 2. 11. 65. uel for in quo E. Cum melioribus facere dicuntur Br. Vd. 2. Dr. 2. At de hoc certe Goer. errauit. Deteriores, etiam Dr. 2.: uel forum, in quo. In Dr. 1. uerba uel forum — primigenia omissa sunt. — comes tum feriarum sine ulla lacunae significatione ABCEδ Gd. 2., quibus accedunt γ M. cum estu feriarum 11. 65. (corr. cum est ut feriarum, quod est in Br.). cum est uel feriarum Cr. W. D. 2. D β ε. cum est feriarum Dr. 1. α. cum est tum feriarum Vd.

XII. §. 29. habet litium BCE Gd. 2. cum multis deteriorum, etiam Dr. 1. litium habet Dr. 2. A 11. 65. et s. f. s. D 58. 96. — compositio Cδ Gd. 2. 65. cum deterioribus paene omnibus. compositior AB 11. compositor pal. 4. — ad perfectionem Cδ Gd. 2, quibus accedere dicuntur Ball. Br. Vd. Cass. ψ; deteriorum plerique: et perfectionem (Cr. W. Dr. 1. 2. D 39. 58. 96. βε itemque AB 11. 65. et ad perfectionem EM. αγ. — adque tempus coni. mea. Similiter Halmius in Schneid. Phil. I. p. 177. coniecit utque ad tempus, et ego in Iahnii Ann. 1845. p. 532. conieceram atque ad tempus. Codd. omnes: quod tempus. — singuli coni. a Steph. et reliquis expressa. Codd. omnes: singulis. — confitendarum in cod. arch. fuisse omnium paene codicum con-

menta seruentur fetusque pecorum, quae dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio intercalandi est; quod institutum perite a Numa posteriorum pontificum negligentia dissolutum est. Iam illud ex institutis pontificum et aruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis.

Plures autem deorum omnium, *singuli singulorum sacerdotes et respondendi iuris et †confitendarum religionum facultatem afferunt. Cumque Uesta quasi focum urbis, ut graeco nomine est appellata, quod nos prope idem graecum, *non interpretatum nomen tenemus, *complexa sit, ei colendae uirgines praesint, ut aduigiletur facilius ad custodiam ignis et sentiant mulieres *naturam feminarum omnem castitatem pati.

30. Quod sequitur uero, non solum ad religionem pertinet, sed etiam ad ciuitatis statum, ut sine eis, qui sacris publice praesunt, religioni priuatae satisfacere non possint; continet enim rem publicam consilio et auctoritate optimatium semper

---

sensu confirmatur. conficiendarum 10. 39. pal. 4. — non interpretatum coni. in cod. 10. reperta, quam merito nuper Halmius probauit in Sehneid. Phil. I. p. 177. In cod. arch. non defuisse insignis codd. meliorum cum deteriorum longe plerisque consensus arguit. nec interpretatum β et γ. — complexa sit de Turnebi coni. reliqui. Codd. meliores itemque Br. conspexa, deteriores conspecta. Quod Goer. in Vd. et Cass. complexa esse dicit, haud dubie falsum est. — naturam Lipsii coni. Innaturam ABCEGd. 2. itemque Br. et Vd.; deteriores: in natura (D Cr. W. M. Dr. 1. 2. 10. 39. 58. 96. $\alpha\beta\varepsilon\delta$). — omnem castitatem ABCEδGd. 2. 11. 65. et s. f. s. D 10. $\alpha\gamma$; deteriorum plerique: omnium deum castitatem β. 39. 58. 96. M. Dr. 1. 2. omnium de ui castitatem Cr.

§. 30. sine eis AC 11, quibus suffragatur Gd. 2. (si meis). sine iis δ W. 39. 58. 96. sine his Cr. M. Dr. 1. 2. Br. Vd. Cass. Gd. 1. et s. f. s. BED$\beta\gamma\varepsilon$. ut sine his om. α. — praesunt Gd. 2. δ cum deteriorum plerisque ($\beta\gamma\varepsilon$ 10. 39. 96. Cr. Dr. 2.) praesint Dr. 1. W. Gd. 1. Cass. AB 11. 65. Num idem esse in codd. C et E ex Bakii silentio recte collegeris, ego dubito. — continet enim deteriorum plerique, etiam Dr. 1. 2. contenentem C δ. continent [enim] ABE 11. 65. 39. 96. γ. contineret enim α. continetur 10. — rempublicam codd. meliores cum deteriorum longe plerisque,

populum indigere. Descriptioque sacerdotum nullum iustae religionis genus praetermittit. Nam sunt ad placandos deos alii constituti, qui sacris praesint solemnibus, ad interpretandum alii praedicta uatum, neque multorum, ne esset in-
finitum, neque ut ea ipsa, quae suscepta publice essent, 31.
quisquam extra collegium nosset. Maximum autem et praestantissimum in re publica ius est augurum cum auctoritate coniunctum. Neque uero hoc, quia sum ipse augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse. Quid enim maius est, si de iure quaerimus, quam posse a summis imperiis et summis potestatibus comitiatus et concilia uel instituta dimittere, uel habita rescindere? quid grauius, quam rem susceptam dirimi, si unus augur alio *die dixerit? quid magnificentius, quam posse decernere, ut magistratu se abdicent consules? quid religiosius, quam cum populo, cum plebe agendi ius aut dare, aut non dare? quid? legem, si non iure rogata est, tollere? ut *Titiam decreto

---

etiam Dr. 1. 2. reipublicae ε. respublica 10. — ad interpretandum Dr. 2. Cr. W. ε itemque s. f. s. D 10. 39. 58. 96. β. ad interpretanda α γ M. Dr. 1. ad interpretandam alii praedicandam alii praedicta uatium E δ Gd. 2. ad interpretanda (corr. um) alii praedicandam alii praedicta uatium ABC.

§. 31. cum auctoritate coniunctum BCE cum aliquot deterioribus (Dr. 2. Cr. W. et s. f. s. D 39. 58. 96. ε.) quom auctoritate coni. A δ Gd. 2. 11. 65. cum est auctoritate α Dr. 1. cum est auctoritati coni. M. γ 10. et cum auctoritate coni. β. — existimare nos Dr. 2. Cr. W. D 58. 96. existimari nos M. Br. Vd. Gd. 1. Cass. Dr. 1. existimari non est ABCE δ Gd. 2. 11. 65. — comitiatus. Deteriorum haud pauci interpretamento inquinati sunt hoc: comitiatus tollere (collere Dr. 2.) concilia uel Dr. 1. 2. D Cr. W. β ε. comitiatus tollere et concilia uel α. — alio die Turnebi coni. a plerisque probata. alio [die] ABC 11. 65. alium E. augulario Gd. 2. Deteriorum longe plerique: aliter D M. W. Dr. 1. 2. 10. 39. 58. 96. α β γ ε Par. Med. Harl. 1. itemque Goer. codd. praeter Br. (auguratio) et Cass. (augurato), alter Cr. — quid legem, si non iure rogata est deteriores omnes; quid legis (leges Gd. 2.) non iure rogata est ABCE Gd 2. rogatas pro rogata est 65. rogatas esse 11. Uide commentarios. — Titiam Turnebi coni. Codices: etiam. — Liuias Turnebi,

collegii, ut Liuias consilio Philippi, *consulis et auguris: nihil domi, nihil *militiae per magistratus gestum sine eorum auctoritate posse cuiquam probari?

32. XIII. Att. Age, iam ista uideo fateorque esse magna; sed est in collegio uestro inter Marcellum et Appium, optimos augures, magna dissensio, (nam eorum ego in libros incidi) cum alteri placeat auspicia ista ad utilitatem esse rei publicae composita, alteri disciplina uestra quasi diuinare uideatur prorsus posse. Hac tu de re quaero quid sentias. M. Egone? diuinationem, quam Graeci μαντικὴν appellant, esse sentio, et huius hanc ipsam partem, quae est in auibus ceterisque signis disciplinae nostrae. *Si enim deos esse concedimus eorumque mente mundum regi et *eosdem hominum consulere generi et posse nobis signa rerum futurarum ostendere, non uideo, cur esse diuinationem ne-

---

ut uidetur, coni. leuias BCE Gd.2.10.58.96.W.Dr.1. leuies A11.65. α. leuiens Dr.2.D Cr.β. lenias M.39. Goerenzii quoque codd. uel leuias uel lenias praebent. — consulis et auguris coni. in Steph. iam et Manut. editt. expressa. In cod. arch. fuit consules et augures, id quod codices, ut uidetur, omnes habent. — militiae Br.Cass.Gd.1, si fides Goerenzio habenda est, quae nescio an habenda non sit. Codd. meliores omnes cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2: familiae, ut hoc iam in cod. arch. fuisse uideatur. Foris ex uno excerptum est cod. Ursini.

XIII. §. 32. diuinare A𝔡Br.Vd.β; reliqui codd. aut diuinari (BCE Gd. 2. Dr. 1. 2. Cr. W. D 58. 96. omnes fere Dau. et Goer.) aut diuinatio praebent (M.Par.10.39. αγ). — sentio ABCE Gd.2. 11.65. cum plerisque deteriorum, etiam Dr.2. censeo 𝔡Dr.1. — disciplinae. Cod. arch. quod disciplinae, id quod BC𝔡Gd.2. tenent cum plerisque deteriorum (βεD Dr. 2. 96. Par. Med. Harl. 1.2. El. Cr. W.) Pro quod quidam codd. substituunt quo (A11 65. 10. 39. 58. γ M. 3 Goer.) aut quos (Dr. 1.) aut quid (E) aut quo (α). — si enim deos Maduigii coniectura, quam et ipse proposui Maduigii non cognita disputatione in progr. p. 16. In cod. arch. pro si enim deos fuisse summos, insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. summus E. deos esse β. — et eosdem Dauisii coni. probata Mosero, Orellio, Bakio. In cod. arch. fuisse eorundem, insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. Itaque nihil, nisi coniectura est, quod adhuc, uulgatum excerptum est a Bakio ex codd. β et γ: eorundem benignitatem.

gem. Sunt autem ea, quae posui; ex quibus id, quod uolumus, efficitur et cogitur. Iam uero permultorum exemplorum et nostra est plena res publica et omnia regna omnesque populi cunctaeque gentes, augurum praedictis multa incredibiliter uera cecidisse. Neque enim Polyidi, neque Melampodis, neque Mopsi, neque Amphiarai, neque Calchantis, neque Heleni tantum nomen fuisset, neque tot nationes id ad hoc tempus retinuissent, *Arabum, Phrygum, Lycaonum, Cilicum maximeque Pisidarum, nisi uetustas ea *certa esse docuisset. Nec uero Romulus noster auspicato urbem condidisset, neque Attii Nauii nomen memoria floreret tam diu, nisi omnes hi multa ad ueritatem admirabilia dixissent. Sed dubium non est, quin haec disciplina et ars augurum euanuerit iam et uetustate et neglegentia. Ita neque illi assentior, qui hanc scientiam negat umquam in nostro collegio fuisse, neque illi, qui esse etiam nunc putat. Quae mihi uidetur apud maiores fuisse duplex, 33.

---

§. 33. cecidisse codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. accidisse α 10. 39. Ball. Reg. accedisse M. cecinisse ε. — Polyidi AB 11. 65. Par. poplỹde ipneque (in utraque uoce littera p expuncta) Gd. 2. polide ipneque CE. polydae ipneque W. poliidae ipneque Dr. 2. poludei p. neque Dr. 1. α. pollude ipse neque β. polude ipsius D. poludei neque ε. polydii Br. polyibi Vd. — Arabum, Phrygum coni. pridem uulgata. In cod. arch. fuit adparigum (CE Gd. 2. Dr. 1. 10. 39. γ. aliquot Dau. codd.) uel simile quid. Anparigum A. apparigum 11. 65. 58. 96. W. aparigum Dr. 2. Cr. D $\beta\varepsilon$ aliquot Dau. codd. ad parum cum B. ad pangum α. ad patigum M. — certa esse coni. tentata iam in M. et Dr. 2. itemque s. f. s. in D $\beta\gamma$. certe esse $\alpha\varepsilon$ 10. 39. 58. 96. Dr. 1. Cr. W. Vd. Cass. Gd. 1. Oxx. Eψ. certe esset ABCE Gd. 2, ut certe in cod. arch. fuisse ueri simillimum sit. — omnes hi AB cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 2; idemque uerborum ordo firmatur mendo codd. meliorum Cδ Gd. 2. (nisio si multa), E (nisi omnes si multa). omnes ii 96. [omnes] hi M. Dr. 1. nisi si omnes 11. 65. — ita codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1 2. itaque α 10. 39. 65. — assentior Dr. 1. Cr. W. et s. f. s. D 10. 39. γ. assentio codd. meliores cum multis deteriorum (Dr. 2. 58. 96. $\alpha\beta\varepsilon$). — duplex codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. dupliciter Dr. 2. Cr. D β. aliquot Goer. et Dau. codd. duplex

ut ad rei publicae tempus nonnumquam, *ad agendi consi-
34. lium saepissime pertineret. Att. Credo hercle ita esse, istique rationi potissimum assentior. Sed redde cetera.

XIV. M. Reddam uero et *id, si potero, breui. Sequitur enim de iure belli. In quo et suscipiendo et gerendo et deponendo ius ut plurimum ualeret *et fides *eorumque ut publici interpretes essent, lege sanximus. Iam de aruspicum religione, de expiationibus satis *esse in ipsa lege dictum puto. Att. Assentior, quoniam omnis haec in religione uersatur oratio. M. At uero quod sequitur, quomodo aut tu *assentiare, aut ego reprehendam, sane
35. quaero, Tite. Att. Quid tandem id est? M. De nocturnis sacrificiis mulierum. Att. Ego uero assentior, *excepto praesertim in ipsa lege solemni sacrificio ac publico. M. Quid ergo aget Iacchus Eumolpidaeque nostri et augusta

---

fuisse 10. — ad agendi coni. pridem uulgata. Codd. paene omnes: et agendi; Dr. I. [et] agendi; M. et ad agendi.

XIV. §. 34. et id, si uerissima Gulielmi coniectura, quam et ego illius inuenti ignarus proposui in Iahnii Annal. 1847. p. 314. et librarius iam tentauit in cod. C. et ipsi Gd. 2. E itemque C, in quo tamen correctum est et id si. Syllabae ip ante si erasae etiam nunc uestigia exstant in codd. A et B, qui habent et si potero. Deteriores tenent aut et ipsa si ($\alpha\beta$ 10. 39 Cr. W. Dr. I. Par. et procul dubio alii multi) aut et si (11. 65. Dr. 2. aliquot Dauisii et s. f. s. $\gamma\,\varepsilon$ D 58. 96.). — ius ut plurimum ualeret ABCEδ Gd. 2. 11. 65. itemque 10. 39. M; deteriorum longe plerique, etiam Dr. 1. 2: ius ut plurimum ualet. — et fides coni. pridem uulgata. Codd. omnes: ut fides. — eorumque recte Maduigius commendauit pro horumque, quod adhuc uulgatum est. Codd. omnes: forumque. — satis esse Bakii coni. BEδ Gd. 2. 10. 39. γ: satisse illane ipsa. C satis esse illane ipsa. Quibus prope accedunt M. scillane ipsa; Cass. Ox E. ne illane. Deteriorum plerique: satis supraque in ipsa Dr. 1. 2. W. 10. 11. 39. 58. 96. A $\beta\gamma\varepsilon$. satis supra in ipsa D 65. α. — assentiare coni. pridem uulgata. In cod. arch. fuisse assentire codicum meliorum (C et Gd. 2. aut tu aut sentire) deteriorumque consensus arguit (D 10. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. $\beta\,\varepsilon$ — aut te assentire α).

§. 35. excepto coni. pridem uulgata. Codices plurimi: exspectato (ABC Gd. 2. 11. 65. 96. D Cr. W. Dr. 1. $\beta\,\varepsilon$). exspecto E. exspectabo Dr. 2. Tspecto 10. α. — nostri codd. ad unum fere

illa mysteria, siquidem sacra nocturna tollimus? non enim populo romano, sed omnibus bonis firmisque populis leges damus. Att. Excipis, credo, illa, quibus ipsi initiati su- 36.
mus. M. Ego uero excipiam. Nam mihi cum multa eximia diuinaque uidentur Athenae tuae peperisse atque in *uitam hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique uita exculti ad humanitatem et mitigati sumus; initiaque ut appellantur, ita reuera principia uitae cognouimus; neque solum cum laetitia uiuendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi. Quid autem mihi displiceat in *nocturnis, poëtae indicant comici. Qua licentia Romae data quidnam egisset ille, qui in sacrificium cogitatam libidinem intulit, quo ne imprudentiam quidem oculorum adiici fas fuit? Att. Tu uero istam Romae legem rogato. Nobis nostras ne ademeris.

XV. M. Ad nostras igitur reuertor: quibus profecto 37.
diligentissime sanciendum est, ut mulierum famam multorum oculis lux clara custodiat initienturque eo ritu Cereri, quo Romae initiantur. Quo in genere seueritatem maiorum senatus uetus auctoritas de Bacchanalibus et consulum exercitu adhibito quaestio animaduersioque declarat. Atque omnia nocturna, ne nos duriores forte uideamur, in media Graecia Diagondas Thebanus lege perpetua sustulit. Nouos uero deos et in his colendis nocturnas peruigilationes sic Aristophanes, facetissimus poëta ueteris comoediae, uexat, ut apud eum Sabazius et quidam alii dii peregrini iudicati e ciuitate eiiciantur.

---

omnes. Quae expressa est adhuc a plerisque correctio uestri, ea uidetur in duobus esse codd. ambr. (β et γ).

§. 36. uidentur codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 2. uideantur Dr. 1. M. Cass. Vd. Gd. 1. 10. 39. α. — in uitam Lambini coni. Dauisio probata et Ernestio atque reperta nunc in codd. δ 39. 96. Reliqui codd. omnes: in uita. — in nocturnis Turnebi, ut uidetur, coni. Codices omnes: innocentes. — imprudentiam codd. meliores, quibus accedunt α W. aliquot Goer. ac Dauisii, quos ipsi non nominarunt. imprudentia 58. 96. impudentiam γ 39. Dr. 1. M. Par. impudentia β ε 10. Cr. D Dr. 2.

XV. §. 37. Ad nostras Gd. 2. 39. Br. Cass. ad nostra si igitur. Vd. ad nostram 10. ad uestras α. nostra ABCEII.

Publicus autem sacerdos imprudentiam consilio expiatam metu liberet, audaciam in admittendis religionibus foedis damnet atque impiam iudicet.

38. Iam ludi publici quoniam sunt cauea circoque diuisi, *sit corporum certationi cursu et pugillatione, luctatione curriculisque equorum usque ad certam uictoriam circus constitutus, cauea cantu uoce ac fidibus et tibiis, dummodo ea moderata sint, ut lege praescribitur. Assentior enim Platoni nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam uarios canendi sonos, quorum dici uix potest quanta sit uis in utramque partem. Namque et incitat languentes et languefacit excitatos, et tum remittit animos, tum contrahit; ciuitatumque hoc multarum in Graecia interfuit antiquum uocum conseruare modum: quarum mores lapsi ad mollitias pariter sunt immutati cum cantibus, aut hac dulcedine corruptelaque deprauati, ut quidam putant, aut cum

---

65. cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. — admittendis βD Cr. W. Dr. 1. 2. et haud dubie alii. in admitendis 39. inet immitendas religionibus A 11. in et immittendis B. meti mitendas C. meciundēdas Gd. 2. audaci animet imitendas E. audacia iuuet inmitendas 10. audacia minimis net inmitendas γ. audacia inmitedas M.

§. 38. quoniam sunt AB CE δ Gd. 2, quibus accedunt Br. M. et s. f. s. $\alpha\beta$. cum sunt Cass. quando sunt 10. quo sunt 11. quomodo sunt 65. quom uel cum sint εD 39. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. — sit coni. mea. sunt Gd. 2. δ 11. 65. sint codd. deteriores, quibus codd. ABCE accedere parum recte ex Bakii silentio collegeris. — certationi coni. mea. Codd. omnes: certationes. — pugillatione codd. deteriores. pugillaue C δ E Gd. 2. M. pugilla (tio) neluctatione AB. — circus coni. mea. In cod. arch. fuisse circo meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. Coniectura tentata est in γ (in circo) et in β (in circa). — constitutus coni. mea. constitutis codd. paene omnes. constituti 10. constitutio Dr. 1. — cauea codd. omnes praeter α (in cauea). — cantu i. e. cantui codd. omnes. — moderata codd. meliores, itemque M. et s. f. s. γ 10; deteriores: moderate (Cr. W. Dr. 1. 2. D 39. 58. 96. β). temperata uel moderata α. — conseruare codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. seruare $\beta\gamma\varepsilon$ Cr. Dr. 2. D. — ad mollitias A 11. 39. 65. α. ad mollitis (a) B. ad (c) mollitis C. ad

seueritas eorum ob alia uitia cecidisset, tum fuit in auribus animisque mutatis etiam huic mutationi locus. Quamobrem 39.
ille quidem sapientissimus Graeciae uir longeque doctissimus ualde hanc labem ueretur. Negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum. Ego autem nec tam ualde id timendum nec plane contemnendum puto. Illa quidem, quae solebant quondam compleri seueritate iucunda Liuianis et Naeuianis modis, nunc ut eadem *exsultant, ceruices oculosque pariter cum modorum flexionibus torquent! Grauiter olim ista uindicabat uetus illa Graecia longe prouidens, quam sensim pernicies illapsa ciuium *in animos malis studiis malisque doctrinis repente totas ciuitates euerteret: si quidem illa seuera Lacedaemon neruos iussit quo plures quam septem haberet, in Timothei fidibus *incidi.

---

molli is E. ad mollitus Gd. 2. ad mollitas M. — animisque ABEδ cum deterioribus, etiam Dr. 1. 2. auribus et animis Vd. animis auribusque 10. 96. animis[que] Gd. 2. C.

§. 39. sine mutatione AB 11. 65, itemque s. f. s. Cr. W, D 10. 58. 96. $\alpha\beta\varepsilon$. sine immutatione M. Dr. 1. 2. Br. Vd. $\psi\delta\gamma$. 39. Quae quomodo nata sit scriptura, declarat mendum ex melioribus aliquot codd. excerptum: seni mutatione Gd. 2. C. sen immutatione E. — Ego autem codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. autem om. Dr. 2. Cr. Dε. — illa quidem deteriorum, ut uidetur, plerique, etiam Dr. 1. 2. illud quidem meliores cum aliquot deterioribus (γ 10. 39. 58.) illud superscr. a W. — compleri codd. meliores cum aliquot deterioribus (W., corr. complecti, M. et s. f. s. $\alpha\gamma$): deteriorum plerique: complecti (Dr. 1. 2. D Cr. 10. 39. 58. 96. $\beta\varepsilon$). — ut eadem exsultant Dauisii coniectura, quam in Cass. reperisse se dicit Goerenzius. Meliores codices: tute (aut C) adcm (ademe B. eadcm C. adest Gd. 2. adhesit E) exsultet; deteriores: ut eadem exsultet (γ 10. 39. M.) uel ut eadem exsultent (Dr. I. 2. Cr. W. et s. f. s. $\alpha\beta\varepsilon$ 58. 96. D), ut coniunctiuum ueri simillimum sit fuisse in cod. arch. Ex Vd. Goer. excerpsit exultentur, ex Br. exultantur. — torquent Dauisii coniectura, quam in Cass. et Br. inuenisse se dicit Goer. In cod. arch. fuisse torqueant, reliquorum codicum consensus confirmat. Particulam ut ante ceruices soli codd. ambros. de coniectura habent. — in animos Goerenzii coniectura tentata iam in codd. β et γ. Praepositionem a cod. arch. abfuisse reliquorum codicum consensus arguit. — quo plures ABCE Gd. 2. 11. 65, quibus accedunt Br. et s. f. s. ε D 10. quod plures $\alpha\beta$ 39 58. 96. Cr. W.

40. XVI. Deinceps in lege est, ut de ritibus patriis colantur optimi; de quo cum consulerent Athenienses Apollinem Pythium, quas potissimum religiones tenerent, oraculum editum est, eas, quae essent in more maiorum. Quo cum iterum uenissent maiorumque morem dixissent saepe esse mutatum quaesissentque, quem morem potissimum sequerentur e uariis, respondit: optimum. Et profecto ita est, ut id habendum sit antiquissimum et deo proximum, quod sit optimum.

Stipem sustulimus, nisi eam, quam *ad paucos dies propriam Idaeae Matris excepimus; implet enim superstitione animos et exhaurit domus.

Sacrilego poena est, neque ei soli, qui sacrum abstu-
41. lerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum. Quod et nunc multis fit in fanis *et Alexander in Cilicia deposuisse apud *Solenses in delubro pecuniam dicitur, et Atheniensis Clisthenes Iunoni Samiae, ciuis egregius, cum rebus timeret suis, filiarum dotes *credidisse.

Iam de periuriis, de incesto nihil sane hoc quidem loco disputandum est.

Dr. 1. 2. δ. quod om. γ. — incidi Manutii coniect. indi ABCδ Gd. 2. 11. 65. inde E. Inde (idem DM.) demi codd. deteriores, etiam Dr. 1. 2.

XVI. §. 40. optimi CEδ Gd. 2. (hic optumi) cum deterioribus (αβγ 10. 39. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. D.). optima AB 11. 65. — quaesissentque codd. meliores, quibus accedunt plures deteriorum (Dr. 1. 2. Cr. W. Br. Vd. OxE. 58. 96.) quaesissent[que] D. quaesiuissentque αβγ 10. 39. — ad coni. pridem uulgata et tentata iam in cod. β. Reliqui codd. omnes: apud. — domus A C E Gd. 2. 11. 39. 58. 96. Dr. 1. 2. W. M. βγ. domos s. f. s. BD 10. 65. αε. — soli codd. praeter D (solum) omnes. — sacrum abst. codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 2. e sacro abst. 39. M. Vd. Gd. 1. Dr. 1. Oxx. E. ψ. ex sacro sacrum abst. α 10.

§. 41. et Alexander uerissima Maduigii coni. Particula et in codice nulla est. — Solenses Gulielmi coni. apud sole (solem E) sis ABCE Gd. 2, quibus suffragantur Vd. Br. et prope accedunt Par. (sole sythim), Gd. 1. (solesythin), 39. (soles sitim), γ (solesyt), Cass. ψ (soletim), M. (soles item), OxE. (soles isthinc). solem in delubro (αβε 11. 58. 65. 96. Dr. 1. 2. D Cr. W.) apud solos δ. — credidisse. Iam Maduigii coni.

Donis impii ne placare audeant deos, Platonem audiant, qui uetat dubitare, qua sit mente futurus deus, cum uir nemo bonus ab improbo se donari uelit.

***De diligentia uotorum satis in lege dictum est. Poena uero uiolatae religionis iustam recusationem non habet.**

Quid ego hic sceleratorum utar exemplis? quorum sunt plenae tragoediae. Quae ante oculos sunt, ea potius attingantur. Etsi haec commemoratio uereor ne supra hominis fortunam esse uideatur: tamen, quoniam mihi sermo est apud *u o s, nihil reticebo, uelimque hoc, quod loquar, diis immortalibus gratum potius uideri, quam graue.

XVII. Omnia tum perditorum ciuium scelere discessu 42
meo religionum iura polluta sunt, uexati nostri Lares familiares, in eorum sedibus exaedificatum templum Licentiae, pulsus a delubris is, qui illa seruarat. *C i r c u m s p i c i t e celeriter animo, (nihil enim attinet quemquam nominari) qui sint rerum exitus consecuti. Nos, qui illam custodem urbis omnibus ereptis nostris rebus ac perditis uiolari ab impiis

---

Codd. omnes: c r e d i d i t s e d i a m. — d e i n c e s t e codd. meliores, quibus nonnulli accedunt deteriorum (M. Par. 39. γ, plures Goerenzii ab ipso non nominati) d e i n c e s t u 10. d e i n c e s t i s Dr. 1 2. Cr. W. D 58. 96. αβε. — n e p l a c a r e codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 2, n e p l a c a r e q u i d e m Par. Bell. 10. 39. αγ. n e p l a c e r e q u i d e m Dr. 1. — D e d i l i g e n t i a — d i c t u m e s t coni. mea expressa ex mendo codicum ABCE Gd. 2. δ 11. 65. 96: d i l i g e n t i a u o t o r u m s a t i s i n l o g e d i c t u m e s t; reliqui codices: d i l i g e n t i a — d i c t a e s t. Omnes deinde foedo inquinati sunt interpretamento: a c u o t i s p o n s i o, q u a o b l i g a m u r d e o. Uide comment. — a p u d u o s Ranconneti coniectura a plerisque probata. Codd. meliores, quibus accedunt Cass. et ε: a p u d e o s; deteriores a p u d d e o s. — u e l i m q u e deteriorum plerique (D Dr. 1. 2. 10. 39. 58. 96. Cr. W. M.) u o l a m q u e meliores, quibus accedit Br. Idem in codd. ambr. esse parum recte ex Bakii silentio collegeris.

XVII. §. 42. O m n i a t u m (t u C Gd. 2.) codd. paene omnes. o m n i a t a m e n 39. — c i r c u m s p i c i t e Uictorii correctio, tentata iam in cod. A et C (c i r c u m s p i c i t [e] e t). c i r c u m s p i c i t h e e (e t C Gd. 2.) c e l e r i t e r (s c e l e r i t e r E) a n i m o BCE Gd. 2. 11. 65. Deteriores: c i r c u m s p i c i t h e c (h o c γ 10. Dr. 1.) c e l e r i t e r a n i m u s (a n i m i s γ 10.) αβγ 10. 39. 58. 96. Cr. W. M. D Dr. 1. 2. Da-

passi non sumus eamque ex nostra domo in ipsius patris domum detulimus, iudicia senatus, Italiae, gentium denique omnium, conseruatae patriae consecuti sumus. Quo quid accidere potuit homini praeclarius? *Quorum scelere religiones tum postratae afflictaeque sunt, partim ex illis distracti ac dissipati iacent: qui uero ex iis et horum scelerum principes fuerant et praeter ceteros in omni religione impii, non solum †uita cruciati atque dedecore, uerum etiam se-
43. pultura et iustis exsequiarum caruerunt. Q. Equidem ista

---

uisii codd. — conseruatae patriae ABCδGd.2.11.65. cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr.2, seruatae patriae Dr.1. seruata patria γ. de seruata patria Par. Oxx.EU. deseruate E. deserta patria 10. conseruatae patriae nomen consecuti sumus ex cod. aliquo Ursinus excerpsit. — quorum scelere coni. a Stephano et reliquis expressa et inuenta nunc a Bakio in codd. β et 96. In cod. arch. fuisse suspicor quo scelere (AE 11.65. cum deterioribus paene omnibus), quod ut in BCδGd.2. mutaretur in quos scelere littera s effecit, quae sequitur. — distracti ac dissipati coni. a Stephano et reliquis expressa. Codices omnes: distractae ac (ad Gd.2.) dissipatae. — ex iis et horum BCEδGd.2.65, modo quod his pro iis tenent. Ex his etorum A. Deteriores uel: ex his (iis W.58.96.) et omnium scelerum (Cr.W. Dr.2.11.58.96.βε. — et omnium principes scelerum α) uel: ex his (iis γ) qui horum scelerum principes (γDr.1.M.4Goer.). ex iis qui horum principes scelerum 10. Paullo ante quid uero pro qui uero habent EGd.2. 10.39. — fuerant BCEδGd.2.11.65. cum nonnullis deteriorum (W.58.96.); reliqui codices, etiam Dr.1.2: fuerunt. — uita cruciati atque dedecore in cod. arch. fuisse codicum meliorum cum plerisque deteriorum consensus arguit. uita cruciari β. uita cruciati ac dedecore Br. Cass. uita cruciatu 10.Dr.2. uitae cruciatu α. Quam sententiam Tullius declarare uoluerit, satis liquet. Quam quibus uerbis expresserit, dictu difficile est. Halmius coniecit: non solum nullo uitae cruciatu atque dedecore. Quam, ne attenuetur contrariorum oppositio (uitae et sepulturae), sic certe leuiter refingendam puto: non solum non uitae cruciatu atque dedecore. Uide comment. — et iustis codd. meliores cum deterioribus paene omnibus. e (corr. et) iustis ε. ac iusta 10. — caruerunt 10.39. Cr. M Dr. 1. idemque confirmari uidetur mendo meliorum CGd.2. caruntē quidem) et E (carent tunc quidem). caruere W.Dr.2. et s. f. s. AB 11.65.58.96.Dαβγε.

agnosco, frater, et meritas diis gratias ago; sed nimis saepe
secus aliquanto uidemus euadere. M. Non enim, Quinte,
recte existimamus, quae poena diuina sit, et opinionibus
uulgi rapimur in errorem nec uera cernimus. Morte, aut
dolore corporis, aut luctu animi, aut offensione iudicii homi-
num miserias ponderamus; quae fateor humana esse et mul-
tis bonis uiris accidisse. Sceleris est poena tristis et praeter
eos euentus, qui sequuntur, per se ipsa maxima est. Ui-
dimus eos, qui nisi odissent patriam, numquam inimici nobis
fuissent, ardentes tum cupiditate, tum metu, tum conscien-
tia; quid agerent, modo timentes, uicissim contemnentes
religionis; iudicia perrupta ab iisdem corrupta, hominum,
non deorum. Reprimam iam et non insequar longius, eoque 44.
minus, quo plus poenarum habeo, quam petiui. Tantum
ponam, *duplicem poenam esse diuinam, quod constat et ex

§. 43. et opinionibus Harl. 1. Med. El. Ball. Cr. Dr. 2. D 96. plures Goerenzii ab ipso non nominati; meliores cum aliquot deterioribus (γ Dr. 1. 10. 39. W. M. Par. Harl. 2.) nec opinionibus — ardentes tum cupiditate, tum metu 11. 65. cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. ardentes tum cupiditatum metu 10. ardentes animi tum cupiditatum metu 39. ardentes tum cupiditatum tum metu γ. ardentes cum cupiditate tum metu Dr. 2. ardent istum cupiditatum metu E. ardent iustum cupiditatum metei C. ardent iustum cupiditatum (cupiditatẽ Gd. 2.) met citum consc. δ Gd. 2. — religionis A (in quo tamen correctum est religiones) Gd. 2. et procul dubio δ, itemque 10. Br. Vd, Gd. 1. OxE. religiones BCE 11. 65. cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. 2.

§. 44. Reprimam iam et non insequar codd. meliores cum deterioribus paene omnibus. reprimam iam me, non insequar longius β, quod ipsum Madu. coniecit in progr. p. 20. — ponam Turnebi coni. poenam AB 11. 65. cum deterioribus omnibus. poena CEδ Gd. 2, ut alterum utrum in cod. arch. fuisse certum sit. — duplicem. Inter ponam et duplicem in cod. arch. fuisse merui, codicum CEδ Gd. 2. cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 2, consensus arguit. Quod natum puto ex interpretamento erui et proximi uocabuli littera postrema (unde in melioribus codd. est poena, non poenam). metui Br. Cass. Vd. pal. 4. leui aberratione. Male coniectura erebi tentata est in A Dr. 1. W. (sed hic in marg. tantum). merebi B. — constat et ex A Gd. 2. 11. 65. 58.

uexandis uiuorum animis, et ea fama mortuorum, ut eorum exitium et iudicio uiuorum et gaudio comprobetur.

45. XVIII. Agri autem ne consecrentur, Platoni prorsus assentior; qui, si modo interpretari potuero, his fere uerbis utitur: „Terra igitur, ut focus domiciliorum, *sacra deorum omnium est. Quocirca ne quis iterum idem consecrato. Aurum autem et argentum in urbibus et priuatim et in fanis inuidiosa res est. Tum ebur ex inani corpore extractum haud satis castum donum deo. Iam aes atque ferrum duelli instrumenta, non fani. *Ligneum autem *quicquid uoluerit, uno e ligno *dedicato itemque lapideum in delubris communibus. Textile ne operosius, quam mulieris opus menstruum. Color autem albus praecipue decorus deo est cum in ceteris, tum maxime in textili: tincta uero absint, nisi a bellicis insignibus; diuinissima autem dona *aues et formae ab uno pictore uno absolutae die; itemque cetera huius exempli dona *sunto.“ Haec illi placent. Sed ego cetera non tam restricte praefinio uel hominum uitiis uel subsidiis tem-

---

96. Vd. idemque confirmatur mendo constaret ex BCE$\delta\alpha\varepsilon$M. 10. (sed in hoc utroque quae pro quod est). constaret et ex Dr. 1. 2. Cr. W. D Harl 2. 39. $\beta\gamma$.

XVIII. §. 45. domiciliorum sacra coni. necessaria post Manutium fere uulgata. domiciliorum sacro CEδGd. 2. itemque γ et 10, Deteriores fere: domicilium sacrum ($\alpha\beta\varepsilon$D Cr. W. Dr. 1. 2. itemque ABII. 65. ex correctione). — ligneum coni. iam in uett. editt. uulgata. Codd. omnes: lignum. — quicquid coni. mea tentata iam in cod. 10. (quoque quidquid). In cod. arch. fuit quodque, quod tenent codd. meliores cum deteriorum longe plerisque ($\alpha\beta\gamma$ 58. 96. Dr. 1. 2. W. M. Goer. et Dau. codd.). quoddam D. quod Med. quodcunque 39. Cr. — dedicato coni. iam in editt. uett. expressa. Codd. meliores: cato; deteriores: cauato. — ne operosius codd. meliores cum aliquot deterioribus (Dr. 2. Dβ); deteriorum plerique ($\alpha\gamma$ 10. 39. 58. 96. Cr. W. M. Dr. 1.): nec operosius. — albus praecipue ABE cum deterioribus, ut uidetur, omnibus. albusque CGd. 2. — cum in ceteris plerique codd. deteriorum, etiam Dr. 1. 2. cum in cetero AB II. 65. cum in ceterum CEδGd. 2. tum in ceteris α10. 58. — aues de Uictorii coni. reliqui. Codd. meliores: habens; deteriores uel habes ($\alpha\gamma$ Dr. 1. M. 10.), uel habent ($\beta\varepsilon$D Dr. 2. Cr. W. 58.). — dona sunto coni. iam in uett. quibusdam editt. (Asc. 2. Crat. Heru. aliis) uulgata; codd. omnes:

porum uictus. Terrae cultum segniorem suspicor fore, si ad eam utendam ferroque *subigendam superstitionis aliquid accesserit.

Att. Habeo ista. Nunc de sacris perpetuis et de manium iure restat. M. O miram memoriam, Pomponi, tuam! at mihi ista exciderant. Att. Ita credo; sed tamen hoc ma- 46.
gis eas res et memini et exspecto, quod et ad pontificium ius et ad ciuile pertinent. M. Vero: et apertissima sunt istis de rebus et responsa et scripta multa, et ego in hoc omni sermone nostro, quod ad cumque legis genus me disputatio nostra deduxerit, tractabo, quoad potero, eius ipsius generis ius ciuile nostrum; sed ita, locus ut ipse notus sit, ex quo ducatur quaeque *pars iuris, ut non difficile sit, qui *modo

---

sunt. — segniorem A 11.65. cum multis deteriorum, etiam Dr. 2. signiorem Cr. signorum Gd. 2. E. segniorum B. insigniorem $\alpha\gamma$ 39. Dr. 1. M. tres Oxx. aliquot Goer. insignorum 10. — utendam Br. Cass. itemque Gd. 2. (fore si adest utendam) et procul dubio δ, ex quo Bakius si adest tuendam excerpsit. fores iadem tuendam CE. si ad eam tuendam AB 11.65. cum deterioribus, etiam Dr. 1. 2. — subigendam coniectura, quam Manut. in libro antiqno inuenisse se dixit, probata a Man. Lamb. Dau. Ern. Wagn. Sch. In cod. arch. subiciendam fuisse suspicor, quod tenent AB C Gd. 2. et omnes Bakii codd. praeter E (subiiciendam) et 10. (succidendam). Nec recte, opinor, Goer. et Mos. affirmarunt in ipsorum codicibus esse subiiciendam.

§. 46. et exspecto. Parum recte hoc, quod uulgatum ab omnibus est, ex Bakii Moserique silentio collegeris esse in codd. W. 10. 39. D $\alpha\beta\gamma\varepsilon$; meliores cum deteriorum plerisque (Cr. 58. 96. 5 Goerenzii, in quibus praeter Gd. 2. sunt Dr. 1, 2. Oxx. Eψ): et specto. — uero A B C E δ Gd. 2. 11.65. itemque W. Br. El.; deteriorum plerique, etiam Dr. 1. 2: uera. — locus ut ipse codd. meliores cum aliquot deterioribus (Vd. Cass. M. Gd. 1. et s. f. s. 10. 39. $\alpha\gamma$). locus ipse ut $\beta\varepsilon$ 58. 96. D Dr. 2. Cr. W. locus notus ut ipse sit Dr. 1. Br. — quaeque pars iuris Ranconneti coni. In codd. melioribus est uel ducaturque querar si iuris (C δ Gd. 2.) uel ducatur quaeque rar si iuris (E), uel ducatur quaeque ars iuris (A B 11. 65.) Suscepta correctione deteriores: quaeque res et ars iuris, nisi si in quo scribendi errore peccatum est, ueluti in β (quaeque et ars iuris), Br. (res pares). — qui modo Turnebi coniectura, quam in codd. 10. et 39. esse tentatam parum recte ex

ingenio possit moueri, quaecumque noua causa consultatione acciderit, eius tenere ius, cum scias, a quo sit capite repetendum.

47. XIX. Sed *iurisconsulti, siue erroris obiiciundi causa, quo plura et difficiliora scire uideantur, siue, quod similius ueri est, ignoratione docendi, (nam non solum scire aliquid artis est, sed quaedam ars *est etiam docendi) saepe, quod positum est in una cognitione, id in infinita dispertiuntur: uelut in hoc ipso genere, quam magnum illud Scaeuolae faciunt, pontifices ambo, et *iidem iuris peritissimi! *Saepe, inquit Publii filius, ex patre audiui, pontificem neminem bonum esse, nisi qui ius ciuile cognosset. Totumne? Quid ita? Quid enim ad pontificem de iure parietum aut aquarum, aut ullo omnino, *nisi eo, quod cum religione coniunctum

---

Bakii silentio collegeris. Neque fidem Goerenzio puto habendam esse, qui esse dicit qui modo ingenii in Br. qui domo CEδGd. 2. quidomo (h) AB11.65. Idem mendum (quid homo) est in aliquot deterioribus (γ Dr. 1. M. Par. Ball. Vd. Oxx. E Uψ.); in plerisque (αβε 58. 96. Dr. 2. D Cr. W. Uff. El. Harl. 1. 2. Med.) omissa sunt uerba qui domo — moueri. — scias A B C E Gd. 2. 11. 65. cum deterioribus paene omnibus, etiam Dr. 1. 2, ut in cod. arch. hoc fuisse certum sit. Harl. 2. sciatur. Goerenzio in Cass. et Gd. 1. scias esse dicenti, quasi in ceteris sit sciat, fides non est habenda.

XIX. §. 47. iurisconsulti coni. pridem recte tentata. Codices: iurisconsultus. (M. iureconsultus). — uideantur. Deteriorum nonnulli (D Dr. 1. 2. M. W. 96. βε) uideatur, cum tamen omnes teneant dispertiuntur praeter γ et 10. (dispartitur). — ars est etiam Lambini coni. in duobus iam tentata codicibus (ars est etiam β. ars est saepe etiam 96). In reliquis codd. est non exstat, ut a cod. arch. id iam abfuisse certum sit. — et iidem correctio necessaria pridem a uiris doctis suscepta. Codices: et fidem (fide γ M. Dr. 1. 10.). — saepe Turnebi coniectura, quae nititur mendo codicum meliorum: peritissimis ae (B C), uel e (E), uel he (Gu. 2.), uel hac (δ) inquit. Omissum est mendum in codd. A 11. 65. nulla alia uocula in eius locum substituta. Codd. deteriores: at inquit. — aut ullo omnino; nisi eo Maduigii coniectura. A B C Gd. 2. 11. 65: aut tullo (ullo B) omnino si ego; deteriores: aut ullo (aut tullo W. Vd. 10. 39. 58. γδ — aut cullo Gd. 1. — aut a tullo Br. Cass.) omnino si (om. si γδ) ergo. In codd. E 10. 39. M. desunt uerba: omnino si ego uel

est? Id autem quantulum est! De sacris, credo, de uotis, de feriis et de sepulcris, et si quid eiusmodi est. Cur igitur haec tanta facimus, cum cetera perparua sint, de sacris autem, qui locus patet latius, haec sit una sententia, ut conseruentur semper et deinceps familiis prodantur et, ut in lege posui, perpetua sint sacra. [Haec ponite haec iura 48.
pontificum auctoritate consecuta sunt, ut ne morte patris familias sacrorum memoria occideret, iis est ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia uenerit.] Hoc uno posito, quod est ad cognitionem disciplinae satis, innumerabilia nascuntur, quibus implentur iurisconsultorum libri; quaeruntur enim, qui adstringantur sacris. Heredum causa iustissima est. Nulla est enim persona, quae ad uicem eius, *qui e uita emigrarit, propius accedat. Deinde, qui morte testa-

---

ergo cum religione. — et de sepulcris ABCE 11. Gd. 2. (modo quod in hoc est et ad sep.) cum multis deteriorum (Dr. 1. Cr. W. et s. f. s. 39. 58. 96. D) et om. $\beta\gamma\delta$. In Dr. 2. desunt uerba de sacris credo — feriis et, in 10. credo — et de.

§. 48. Haec omnia, quae cancellis coërcui, cum Maduigio in progr. p. 21. pro interpretamento puto habenda et expellenda esse. — haec ponite Gd. 2. haec posite ACE. Omissa haec sunt in B. Deteriorum plerique: haec posita (Cr. M. D 10. 39. 96. Cass. Dr. 1. 2. $\alpha\beta\varepsilon$. Dauisii codd. omnes, plerique Goerenzii, duo Oxx. E ψ). hoc posito, ut uulgo editum est, $\gamma\delta$. — iis (his Cass. Gd. 1. M. ψ — hiis Gd. 2.) est ea adiuncta CE Gd. 2. M. Cass. Gd. 1. ψ. et iis est ea adiuncta γ. iis (his Dr. 1. Br. Vd.) esset ea adiuncta (deuincta Dr. 1. d. adiuncta W.) α Dr. 1. 2. Cr. W. Br. Vd. D 11. 58. 65. 96. iis essent ea adiuncta AB, modo quod A pro adiuncta habet deuincta, quod idem superscriptum est in cod. B; eademque sunt, si fides silentio est, in codd. $\beta\,\varepsilon$ 39. 10. (in hoc tamen diuncta). — uenerit codd. omnes praeter α et 10 (peruenerit). — quaeruntur BCE δ Gd. 2. cum multis deteriorum, etiam Dr. 2. quaerentur A 11. 65. 96. Dr. 1. Cr. W. D ψ. — adstringantur AE, quibus s. f. s. accedunt $\alpha\gamma\varepsilon$ 10. 39. qui astrincantur Gd. 2 quia strincantur C. adstringuntur uel astringuntur B Dr. 1. 2. Cr. W. D 11. 58. 96. β. ψ. — emigrarit A cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 2. et W. emigraret (corr. emigrarit) B. quieuit emigrarii CE. quieuit emigrari Gd. 2. emigrauerit Cr. migrarit 11. 65. 58. Dr. 1. migrauerit U. emigrauit α. — deinde qui morte nescio cuius correctio; tur-

mentoue eius tantumdem capiat, quantum omnes heredes. Id quoque ordine; est enim ad id, quod propositum est, accommodatum. Tertio loco, si nemo sit heres, is, qui de bonis, quae eius fuerint, *cum moritur, usu ceperit plurimum possidendo. Quarto, si nemo sit, qui ullam rem
49. ceperit, de creditoribus eius qui plurimum seruet. Extrema illa persona est, ut *si qui ei, qui mortuus sit, pecuniam debuerit neminique eam soluerit, proinde habeatur, quasi eam pecuniam ceperit.

XX. Haec nos a Scaeuola didicimus, non ita *descripta ab antiquis. Nam illi quidem his uerbis docebant,

---

bari enim iam coeptum est in cod. arch. In meliorum principe libro fuit: deinde quo morte (C E δ Gd. 2. 65.), unde nouo errore natum est deinde quo morite (A I I.), deinde quo mori et (B). Deteriorum plerique: deinde cum uel quom morte (Dr. 1.2. Cr. W. 58. αβψ). deinde quid m. 39. OxE. deinde quae m. 96. deinde his qui m. 10. demum quidem morte γ. — cum moritur, usu ceperit Turnebi coniectura, quam perperam ex Bakii silentio esse collegeris in codd. aγ 10. 39. 96. Codices meliores cum aliquot deterioribus (M. 39. γ pluribus Dau.): cum moriturus uel commoriturus (Gd. 2. M.) ut ceperit; deteriorum plerique: quom moriturus (commoriturus Dr. 1. Oxx. E ψ) acceperit Cr. W. Dr. 1. 2. D 58. 65. βεψ Ox. E. — Quarto si nemo sit — qui plurimum Dr. 2. Cr. W. et s. f. s. βε 96. 58. (quam plurimum 58). quarto si qui nemo sit — [qui] plurimum ABCE 11. 65; quarto si [qui nemo sit] qui ullam rem ceperit [de] creditoribus eius [qui] plurimum Gd. 2. et procul dubio δ. quarto qui (quod Vd. ψ) si nemo sit — [qui] plurimum Par. M. 39. Oxx. E U γ ψ Vd.

§. 49. ut si qui ei coniectura, quam Goerenzius inuenisse se dixit in Cass. et Vd. In cod. arch. suspicor fuisse ut si is qui ei, quod tenent AB C E δ Gd. 2. 11. 65. (his Gd. 2. C δ) cum deteriorum plerisque (αβε 58. 96. D. Dr. 2 Cr. W. plurimis Dauisii). Unde nata est correctio haec: ut si quis ei (M. Dr. 1. Br. Gd. 1. ψ — et si quis Ox. E). ut is, qui ei γ. — proinde codd. omnes praeter M. (perinde).

XX. descripta uerissima mendi ueteris descriptas (A CE δ Gd. 2.) correctio, tentata illa iam in editt Asc. 1. 2. Crat. aliis. Male tentata est correctio descripta sunt in codd. deterioribus (αβε 11. 39. 58. 65. Dr. 1. 2. Cr. W. ψ codd. Dauisii). descriptis (corr. de-

tribus modis sacris adstringi: hereditate, aut si maiorem partem pecuniae capiat, aut si maior pars pecuniae legata est, si inde quippiam ceperit. Sed pontificem sequamur.
Videtis igitur omnia pendere ex uno illo, quod pontifices 50.
*cum pecunia sacra coniungi uolunt, iisdemque ferias et caerimonias adscribendas putant. Atque etiam dant hoc Scaeuolae, quod est partitio, ut, si in testamento deducta scripta non sit ipsique minus ceperint, quam omnibus heredibus relinquatur, sacris ne alligentur. In donatione hoc iidem secus interpretantur: et quod pater familias in eius donatione, qui in ipsius potestate esset, approbauit, ratum est: quod eo insciente factum est, si id is non approbat, ratum non est. His propositis quaestiunculae multae nascun- 51.
tur; quas qui *intelligat, non, si ad caput referat, per se ipse facile perspiciat? Ueluti, si minus quis cepisset, ne sacris alligaretur, ac post de eius heredibus aliquis exegisset pro sua parte id, quod ab eo, cuius ipse heres esset, praetermissum fuisset, eaque pecunia non minor esset facta cum superiore exactione, quam heredibus omnibus esset relicta, qui eam pecuniam exegisset, solum *sine coheredibus sacris alligari. Quin etiam cauent, ut, cui plus legatum sit, quam sine religione capere liceat, is per aes et libram he-

---

scripta sunt) B. scripta 96. — hereditate codd. meliores; deteriores: hereditatem. — legata est, si inde codd. meliores itemque γ; deteriores, etiam Dr. 1. 2; legata est aut si inde.

§. 50. pontifices cum pecunia sacra Maduigii coniectura (progr. p. 23.), in quam et ipse incidi in progr. p. 19. eius nondum cognita disputatione. In principe meliorum libro fuit pontificum pecunia sacro (CEδ Gd. 2.), in principe deteriorum pontificum pecuniam sacro ($\alpha\beta\gamma\varepsilon$ 10. 39. 58 96. D Cr. W. M. Dr. 1. 2.), unde idem translatum est in AB 11. 65. — eo insciente codd. meliores; deteriorum, ut uidetur, plerique: eo inscio (Dr. 1. 2. Cr. W. $\alpha\varepsilon$ 58. 96.). eo inscicio M.

§. 51. quas qui intelligat, non correctio, quam nescio num ex Bakii silentio recte colligas esse in B$\alpha\gamma$10. In cod. arch. fuit quas qui nascuntur intelligat non ACδ Gd. 2. 11. 65. (quasque 65.) cum deteriorum plerisque (β — sed hic quasque — 39. 58. 96. D Cr. W. Dr. 1. 2. El. Harl. 1. 2. Med. ψ aliis). — sine de Turnebi, ut

redem testamenti soluat, propterea quod eo loco res est ita soluta hereditate, quasi ea pecunia legata non esset.

52. XXI. Hoc ego loco multisque aliis quaero a uobis, Scaeuolae, pontifices maximi, et homines meo quidem iudicio acutissimi, quid sit, quod ad ius pontificium ciuile appetatis. Ciuilis enim iuris scientia pontificium quodam modo tollitis. Nam sacra cum pecunia pontificum auctoritate, nulla lege coniuncta sunt. Itaque si uos tantummodo pontifices essetis, pontificalis maneret auctoritas: sed quod iidem iuris ciuilis estis peritissimi, hac scientia illa eluditis. Placuit P. Scaeuolae et Ti. Coruncanio, pontificibus maximis, itemque ceteris, qui tantumdem caperet, quantum omnes *he-

---

uidetur coni. reliqui. Codices omnes: nisi. — heredes. Sic cum Steph. Man. Dau. scripsi secundum codd. meliores A B C E δ Gd. 2. 11. 65. itemque pal. 4. Par., in quibus est heredis; codd. deteriores: heredem.

XXI. §. 52. egò A C E δ Gd. 2. 11. 65. cum pluribus deteriorum, etiam Dr. 1. ergo B α γ 39. M. ego om. Cass. D Dr. 2. Cr. ε. — ius pontificium Cr. 96. α β ε, si fides silentio est. Codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2: pontificum. — itaque si uos Turnebi coniectura, quae una cum mendo est in cod. γ (itaque usibus si uos). Codd. meliores: itaque usibus tantummodo pontifices essetis; deteriores: itaque usibus tantummodo pontificis essetsi (α β 39. 58. 96. Cr. W. M. D Dr. 1. 2. Oxx. E U ψ.) — iidem Codices: idem; γ quidem. — estis peritissimi, hac scientia Turnebi coni. expressa ex mendo codd. B C E Gd. 2. est spretissimi ac scientia, quibus suffragantur M. (est aptissimi ac sc.) et γ (est spertissimi ac sc.). Deteriores: est spernitis (est spernatis 58.) ac scientia (α β ε 10. 39. D Cr. W. Dr. 1. 2. itemque A 11. 65.) — illa A C E δ Gd. 2. cum deterioribus paene omnibus. ille B β. illa om. 11. 65. illa illud istud γ. — Ti Coruncanio. Praenomen, cum idem ante Orellius commendasset recte Bakius restituit ex mendo codicis B (hii coruncario) et Gd. 2. torumcanio. In reliquis omne praenominis uestigium exstinctum est. — itemquo correctio necessaria post Manutium uulgata. Codices fere idem. — ceteris, qui Gd. 2. et procul dubio C et δ (nam errorem commissum esse a Bakio pro certo habeo, qui item ex C et δ eos qui excerpsit.) Cr. W. Dr. 2. Br. Vd. Gd. I. et s. f. s. α β ε 96. D. qui om. 58. eos qui A B 11. Dr. 1. 10. 39. Cass. γ Ox. E ψ. itemque s. f. s. E. — caperet Cr. W. Dr. 2. Br. Vd. Gd. 1. Oxx. E ψ et s. f. s. α β ε 58. 96. D. tantum [dem caperet

redes, sacris alligari. Habeo ius pontificium. Quid huc 53.
accessit ex iure ciuili? Partitionis caput scriptum caute, ut centum numi deducerentur; inuenta est ratio, cur pecunia sacrorum molestia liberaretur. *Quod si hoc, qui testamentum faciebat, cauere noluisset, admonet *iurisconsultus hic quidem ipse Mucius, pontifex idem, ut minus capiat, quam omnibus heredibus relinquatur; super, dicebant, quicquid cepisset adstringi. Rursus sacris liberantur. Hoc uero nihil ad pontificium ius, et e medio est iure ciuili, ut per aes et libram heredem testamenti soluant, et eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset, si is, cui legatum est, stipulatus est id ipsum, *quod legatum est, ut ea pecunia ex stipulatione debeatur, sitque ea * * *

doctum hominem sane, cuius fuit Accius perfamiliaris; 54.
sed mensem, credo, extremum anni, ut ueteres Februarium, sic hic Decembrem sequebatur. Hostia autem maxima parentare †pietatis esse adiunctum putabat.

---

quantum] C δ Gd. 2. caperent ABE 11. 65. Dr. 1. 10. 39. Cass. γ. — heredes correctio pridem uulgata, quae est, nisi errorem commisi, in Dr. 2. et s. f. s. in α et 10. In cod. arch. omnes heredibus fuisse codicum meliorum cum deteriorum longe plerisque consensus arguit ($\beta\gamma$ 39. 58. 96. Cr. W. M. Dr. 1. D Ox. E ψ.). — habeo C E δ Gd. 2; deteriores: ab eo ($\alpha\beta\gamma\varepsilon$ 10. 39. 58. 96. Cr. W. M. ψ Dr. 1. 2. itemque AB 11. 65.).

§. 53. quod si hoc correctio, quam nescio num recte ex Bakii silentio colligas esse in codd. ε 58. 96. quod si hic M. quid si hoc ACD Dr. 1. 2. Cr. W. $\beta\gamma$. omnes Goerenzii praeter Gd. 2. (quid omissis uerbis si hoc qui testamentum). quid si hic α 10. 39. qui si hoc B δ. — iurisconsultus correctio necessaria et pridem uulgata, quam perperam ex Bakii silentio esse collegeris in α et ε. In cod. arch. procul dubio fuit iurisconsulto (ABCE Gd. 2. 11. 65. 10. 39. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. M. Oxx. E ψ $\beta\gamma$). — super dicebant quicquid cepisset codd. omnes, nisi in quo scribendi errore peccatum est, ut in B (quic coepisset). — ea pecunia codd. meliores itemque M. 10. γ (quosi ea pec.) Omittunt ea deteriorum plerique (Dr. 1. 2. Cr. W. D Gd. 1. Vd. 39. 58. 96. ε. — quod legatum ueteris mendi quo legatū, quod codd. omnes tenent, correctio pridem uulgata.

§. 54. pietatis esse adiunctum in cod. arch. fuisse insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit; unus cod. β

56. XXII. Iam tanta religio est sepulcrorum, ut extra sacra et gentem inferri fas negent esse, idque apud maiores nostros A. Torquatns in gente Popilia iudicauit. Nec uero tam *denicales, quae a nece appellatae sunt, quia residentur *mortuis, quam ceterorum coelestium quieti dies feriae nominarentur, nisi maiores eos, qui ex hac uita migrassent, in deorum numero esse uoluissent. Eas in eos dies conferre ius, ut neque ipsius, neque publicae feriae sint, totaque huius iuris compositio pontificalis magnam religionem caerimoniamque declarat. Neque necesse est edisseri a nobis, quae finis funestae familiae, quod genus sacrificii *Lari [uerbecibus] fiat; quemadmodum os *resectum terra obtegatur, quaeque in porca contracta iura sint; quo tempore incipiat sepulcrum esse et religione teneatur.

---

correctionem suscepit pietati a plerisque probatam. Ego uero cum Bakio pietatis uocabulo seruato adiunctum ut interpretamentum expellendum censeo. Uide comment.

XXII. §. 55, extra codd. paene omnes. Ex Cass. et Br. Goerenzius extera excerpsit, Gd. 2. extr͠a tenet. — A. Torquatus. Praenomen tuentur BE itemque C (atorquatus), Gd. 2. (adtorquator). In cod. A erasum est; abest a deteriorum plerisque (10. 39. 96. Cr. W. M. Dr. 1. 2. D. tribus Oxx. Goer. codd.) — tam denicales de Ranconneti coni. Steph. reliqui; tandelica lex ACEδ Gd. 2. 11. itemque Par. Br., a quibus non multum discrepant 10. (tam delica lex), γ (candelica lex), Vd. Gd. 1. (tandelicales), 39. (tam delicta lex), M. (causa delicta lex). Deteriorum plerique aut tam delphica lex (αβε Dr. 2. Cr. 96. plures Goer. et omnes fere Dauisii) aut tam delfica lex (Dr. 1. W. D. 58. 65. B). — quia residentur mortuis de Salmasii coni. Schuetz. reliqui. quia residentur mortui (montium Gd. 2 δ) ABCEδ Gd. 2. 11. 65. itemque Br. Vd Cr. α; deteriorum plerique aut qua residentur mortui (γ 10. 39. 58. 96. W. Dr. 1. Par. Harl. 2. plures Goer.) aut qua residerent mortui (Dr. 2. Med. Harl. 1. Dβε). qua resideretur mortui M. — ut neque ipsius Sic fere codd. deteriores, etiam Dr. 1. 2; nam errauit Goerenzius in sex suis ut ne ipsius esse dicens. Tenent hoc quidem codd. meliores, unde translatum est in paucos codd. deteriores (γ 10. M.). — quae finis codd. meliores cum deterioribus paene omnibus. quis finis α. qui finis 10. — uerbecibus, quod in cod. arch. fuisse codicum omnium auctoritate contestatum est, ut natum ab homine ista interpretaturo expellendum censeo. Uid. comment. — resectum terra de

At mihi quidem antiquissimum sepulturae genus illud fuisse uidetur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terrae corpus, et ita locatum ac situm quasi *operimento matris obducitur. Eodemque ritu in eo sepulcro, quod *haud procul a Fontis ara est, regem nostrum Numam conditum accepimus; gentemque Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse usam. C. Marii sitas reliquias apud Anienem dissipari iussit Sulla uictor, acerbiore odio incitatus, quam si tam sapiens fuisset, quam fuit uehemens. Quod haud scio an timens, *ne suo corpori posset accidere, primus e patriciis Corneliis igni uoluit cremari. Declarat enim Ennius de Africano: *Hic est ille situs*. Uere; nam siti dicuntur ii, qui conditi sunt. Nec

56.

57.

Patricii coni. Lamb. Goer. reliqui. Codices: reiectum terrae. — contracta ACE δ Gd. 2. contracta (corr. confracta) B; deteriorum plerique: confracta (β ε 39. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. M. itemque 11. 65.).

§. 56 illud codd. paene omnes. id 39. Uerba fuisse uidetur om. D Cr. Vd. Cass. — operimento correctio necessaria, in quibusdam iam tentata codd. deterioribus, ueluti in Dr. 1. et s. f. s. 10. Codd. meliores cum plerisque deteriorum: operimentum. — quod haud procul a Fontis ara est A. G. Zumptii coniectura, modo quod is Wagneri simul coniecturam Fonti suscepit, in eundem fere modum tentata iam in codd. β et γ (quod haud procul a fontis aras — ara γ). In cod. arch. suspicor fuisse quod procul a Fontis aras (om. est), quod Gd. 2. δ 11. 65. tenent cum plerisque deteriorum (ε 39. 58. 96. Cr. W. Dr. 2. D M.). quod procul ad Fontis aras ABCE (de duobus his postremis licet dubitare) itemque Dr. 1. et s. f. s. α 10. quod [procul] Harl. 1. — esse usam correctio necessaria, quam esse dicunt in codd. M. Par. El. Harl. 2. in marg., confirmatur mendo codd. meliorum CE δ Gd. 2: esse unam; deteriorum plerique; esse humatam (α ε 58. D Dr. 1. 2. Cr. W. Med. Harl. 1. ψ itemque A 11. 65.) esse unam corr. humatam B

§. 57. ne suo corpori posset. Sic scripsi de coniectura iam a Lambino tentata; reliqui interpretes timens suo corpori posse ediderunt. [ne] suo corpori posset AB CE δ Gd. 2. 11. 65, itemque ε 10. M. aliquot Goerenzii codd.; deteriorum plerique, etiam Dr. 1. 2: [ne] suo corpori posse. Uide comment. — declarat enim ABC δ Gd. 2. cum deteriorum longe plerisque, etiam Cr. W. Dr. 2. declaret etenim E. delarat etenim 39. Dr. 1. delara-

tamen eorum ante sepulcrum est, quam iusta facta et corpus †caesus est. Et quod nunc communiter in omnibus sepultis *uenit usu, ut humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus iniecta *contegeret; eumque morem ius pontificale confirmat. Nam priusquam in *os iniecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis; iniecta gleba *tumulus is, ubi humatus est, uocatur, ac tum denique multa religiosa iura complectitur. Itaque in eo, qui in naui necatus, deinde in *mare proiectus esset, decreuit P. Mucius familiam puram, quod os supra terram non *exstaret, porcam heredi esse *con-

---

tur et eius animus 10. — caesus est ABCEδGd. 2; deteriorum plerique: caesum uel cesum est (W. Dr. 2. D 39. 58. 96. β. — cessum est Cr. ε.) incensum est γ Dr. 1. M. incesum est Vd. incestum est Br. Cass. intestum est 10. intextum (in marg. cesum) est α. Proxime uidetur ad uerum accedere, quod Bakius coniecit: contectum est. — uenit usu, ut Moseri coniectura denuo ab Halmio commendata in Schneid. Phil. I. p. 177. In cod. arch. fuisse penitus humati, insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. penitus ut humati $\beta\gamma$. — contegeret correctio, quae nisi oculi me fefellerunt, est in Dr. 2, et si fides silentio est, in $\alpha\beta\gamma$ 10. Deteriorum plerique: contegerat (ε 39. 58. 96. Dr. 1. W. itemque A 11. 65.) contegraet Cr. contingeret M. conteret E. conterat CδGd. 2. — in os necessaria, ut uidetur, Turnebi correctio, probata a reliquis, quae a Dauisio esse dicitur in El. In cod. arch. eos fuisse summus codicum consensus arguit. — tumulus is, ubi humatus est, uocatur coni. mea. Tum et in (in om. CE) illis humatus est et gleba uocatur CE Gd. 2. δ. tumulis (tumulus 96. D Harl. 1. tum ullis α. tum tumulis Dr. 1.) et humatus est (om. est B ε) et gleba uocatur AB 11. 39. 58. 65. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. D Harl. 1. 2. Med. α ε. tum et illic (ille Gd. 1.) humatus est et gl. uoc. γ Pal. 4. Gd. 1. M. tum illic et humatus est et gl. uoc. Ball. Vd. tumulus illi eo humatus est et gl. uoc. Br. tum et illic tumulus et humatus est β. — in mare correctio necessaria pridem uulgata. In cod. arch. fuit in mari, quod tenent codd. meliores cum deterioribus ($\alpha\gamma$ 10. 58. 96. Dr. 1. 2. D Cr. W. M.). — exstaret correctio pridem uulgata, quam esse in codd. A et B parum recte ex Bakii silentio collegeris. In cod. arch. fuit exstare (CEδGd. 2. 11. 65. 39. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. M. pal. 4. Oxx. EUψ. α β γ). — esse contractam et de Merceri coni. Grut. reliqui. esset contracet CEδ

tractam et habendas triduum ferias; [et porco femina piaculnm pati.] si in mari mortuus esset, eadem praeter piaculum et ferias.

XXIII. Uideo, quae sint in pontificio iure. Sed quaero, 58.
*ecquidnam sit in legibus. M. Pauca sane, Tite, et, uti arbitror, non ignota uobis. Sed ea non tam ad religionem spectant, quam ad ius sepulcrorum. *Hominem mortuum*, inquit lex in XII, *in urbe ne sepelito neue urito.* Credo, uel propter ignis periculum. Quod autem addit: *neue urito,* indicat, non qui uratur, sepeliri, sed qui humetur. Att. Quid, qui post XII in urbe sepulti sunt clari uiri? M. Credo, Tite, fuisse aut eos, quibus hoc ante hanc legem uirtutis causa tributum est, ut Publicolae, ut Tuberto, quod eorum posteri iure tenuerunt, aut eos, si qui hoc, ut C. Fabricius, uirtutis causa soluti legibus consecuti sunt. Sed in urbe sepeliri lex uetat; sic decretum a ponti-

---

Gd. 2. itemque AB, sed corr. contracenset; deteriores uel esset contractet (αγ W. M pal. 4. Oxx. E U. plures Dauisii), uel esset contracenset — contracensent D — (D Dr. 1. 2. Cr. βεψ). — et — porco pati. Porco femina Gd. 2. cum deterioribus, etiam Dr. 1. 2. porco feminam ABCE 11. 65. piaculum pati codd. omnes. Interpretamentum cur hoc esse putem in codicem arch. iam illatum, expositum est in commentariis.

XXIII, §. 58. ecquidnam de Aldi Manutii coni. Dau. Bakius. et quidnam ABCδ Gd. 2. 11. 65; deteriores itemque E: quidnam. — uti arbitror αβγδ 10. 39. Dr. 1. M. uitu arb. B E. nitua bitror C. tute a terrorum Gd. 2. ut arbitror A 11. 65. Cr. W. Dr. 2. et s. f. s. ε 58. 96. D. — in XII. BCE cum nonnullis deterioribus (W. M. Br. Vd. Gd. 1. et s. f. s. γ 10. 39. in xp̃u ne sep. Gd. 2. in XII. milia A 11. 65. 58. 96. D Dr. 1. 2. Cr. Uff. Harl. 1. Med. βε. in duodecim tabulis α. — quid, qui post A BEδ Gd. 2. 11. Br. Vd. quid, quod 65; deteriorum plerique: quid [qui] post (ε 39. 96. D Dr. 1. 2. Cr. W. M. Par. El. Harl. 1. 2. Med. plures Goer., itemque C). — clari uiri CEδ Gd. 2. γ omnes Lagom. Br. Vd. clari[os] uiri[os] AB. claros uiros Dr. 1. 2. Cr. W. et s. f. s. D αβε. — consecuti sunt deteriorum longe plerique, etiam Dr. 1. 2. non secuti sunt ABCE Gd. 2. 11. 65. 10. 39. M. γ Ox. E. Verba soluti legibus desunt in quibusdam deterioribus (α'ε 58. 96. D Cr. W. tribus Goer.). — aram AB E 11. 65. haram C. horam Gd. 2; deteriores fere: et aram (αβ

ficum collegio non esse ius in loco publico fieri sepulcrum. Nostis extra portam Collinam aedem Honoris. Aram in eo loco fuisse memoriae proditum est. Ad eam cum lamina esset inuenta et in ea scriptum *lamina: HONORIS, ea causa fuit aedis huius dedicandae. Sed cum multa in eo loco sepulcra fuissent, exarata sunt. Statuit enim collegium locum publicum non potuisse priuata religione obligari.

59. Iam cetera in XII minuendi sumtus sunt lamentationisque *funebris, translata de Solonis fere legibus. *Hoc plus,* inquit, *ne facito: rogum ascia ne polito.* Nostis quae sequuntur. Discebamus enim pueri XII, ut carmen necessarium, quas iam nemo discit. Extenuato igitur sumtu tribus riciniis et †uincla purpurae et decem tibicinibus tollit etiam lamentationem: *Mulieres genas ne radunto neue lessum funeris ergo habento.* Hoc ueteres interpretes Sex. Aelius, L. Acilius non satis se intelligere dixerunt, sed suspicari uestimenti aliquod genus *funebris: L. Aelius lessum quasi lugubrem eiulationem, ut uox ipsa significat; quod eo magis iudico uerum esse, quia lex Solonis id ipsum uetat. Haec laudabilia et locupletibus

---

10. 39. 58. 96. D Cr. W. M. Dr. 1. 2.). — lamina Turnebi coni. probata Lambino, Mosero, Orellio, Bakio. [la] mina C E δ Gd. 2. Par. γ numa pal. 4. mia (do) W. nimia 10. mina B. Deteriorum plerique, etiam Dr. 1. 2. cum A 11. 65: domina. — aedis huius dedicandae deteriorum plerique, etiam Dr. 1. 2. (hic tamen huius aedis — β aedis eius). dedicandi 58. aedis hic dedicatae 39. aedis haec uel hec dedicare (Gd. 2. declinare) A B C E δ Gd. 2. 11. 65. estque dedicare etiam in γ 10. M.

§. 59. sumtus sunt codd. meliores; deteriores, nisi in quibus sunt omissum est (βγ): sunt sumtus. — lamentationisque funebris necessaria Dauisii coniectura denuo nuper commendata a Maduigio in progr. p. 25. In cod. arch. fuit lamentationesque funeris, quod codd. meliores tenent cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. lamentationisque funeris α Br. Gd. 1. Cass. lamentationes[que] funeris γ 10. — et uincla codd. omnes. Correxerunt fere et uinclis purpurae. Probabilior autem est Rubenii de re uest. I, 6. coniectura: cum clauis purpurae. Uide comment. — funebris coniectura pridem uulgata et tentata iam in cod. γ (sed funebris) et fortasse in β. Reliquorum codicum consensus in cod. arch. fuisse declarat funeris.

fere cum plebe communia. Quod quidem maxime e natura est tolli fortunae discrimen in morte.

XXIV. Cetera item funebria, quibus luctus augetur, 60
XII sustulerunt. *Homini*, inquit, *mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat.* Excipit bellicam peregrinamque mortem. Haec praeterea sunt in legibus: *servilis unctura tollitor omnisque *circumputatio. Quae et recte tolluntur neque tollerentur, nisi fuissent. *Ne sumtuosa respersio, ne longae coronae, nec acerrae* praetereantur. Illa iam significatio est laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod *coronam uirtute *partam* et ei, qui peperisset, et eius parenti sine fraude esse lex impositam iubet; credoque, quod erat factitatum, ut uni plura fierent *funera lectique plures sternerentur, id quoque ne fieret lege sanctum est. Qua in lege cum esset: *neue aurum addito*, quam humane *excipit altera lex: *quoi auro dentes uincti *escunt,*

XXIV. §. 60. seruilis unctura tollitor Manutii coni. In cod. arch. fuisse in legibus de unctura quae seruilis unctura tollitur, omnes paene codd. consentiunt. In cod. 10. scribendi errore exciderunt uerba de unctura; nec scribendi errori non tribuendae sunt reliquae discrepantiae: de iunctura 39. seruilis uictoria 10. tollit Gd. 2. δ. — circumputatio coni. mea tentata iam in codd. 11. et 58. Codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 2: circumpotatio; circumportatio Dr. 1. 39. ψ, et si fides Goerenzio habenda est, Br. Vd.; nam in Dr. 2. et Gd. 2., ex quibus idem excerpsit circumportatio, distincte scriptum est circumpotatio. — partam coni. pridem uulgata et tentata in codd. α et 10. Reliqui codices: paratam. — credoque codd. meliores; deteriores: credo[que]. — fierent funera. Sic scripsi de coniectura mea. Similem iam olim a nescio quibus coniecturam esse propositam (funera fierent), auctor est Ursinus ad Legg. et SCta p. 255. Aliis probata est Lambini coniectura: feretra. — sternerentur deteriorum plerique, etiam Dr. 1. 2. sterrnentur 39. interrentur ABC δ Gd. 2. 11. 65. 96. M. Par. mitterentur (al. sternerentur) α. In Br. et Vd. num sit, quod Goer. excerpsit insternerentur, dubito. Nimirum is alia quoque h. l. turbauit. — id quoque codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. 2. idque γ 10. 39. OxE. — quam humane excipit cet. Sic de Manutii coni. reliqui. quam humane excipiat al-

*ast im cum illo *sepelire urereue se fraude esto;* et simul uidetote aliud habitum esse sepelire et urere. Duae
61. sunt praeterea leges de sepulcris, quarum altera priuatorum aedificiis, altera ipsis sepulcris cauet. Nam quod rogum bustumue nouum uetat propius sexaginta pedes adiici aedes alienas inuito domino, incendium ueretur acerbum. Quod autem *forum, id est uestibulum sepulcri, bustumue usucapi uetat, tuetur ius sepulcrorum. Haec habemus in XII, sane secundum naturam, quae norma legis est. Reliqua sunt in more, funus ut *indicatur, si quid ludorum,
62. *dominusque funeris utatur accenso atque lictoribus, honoratorum uirorum laudes in concione *memorentur easque etiam *cantus ad tibicinem prosequatur, cui nomen ne-

---

tera lex (ex BE δGd. 2.) praecipit altera lege ut cui AB CE δGd. 2. 11. 65. Cass. et s. f. s. ε 39. Deteriorum longe plerique: quam humane excipiat altera lex praecipit (procipit Dr. 1. [lex] percipit γ) altera lex (om. lex D) uetat, ut (α β γ 10. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. D. plerique Dau. et Goer. codd.). — escunt de Lambini coniectura reliqui. Codices: essent. — sepelire urereue Turnebi coniectura. Codd. meliores: sepelletur et ue (et ua B et ut C) se fraude isto; deteriores fere: sepeliretur (sepellirentur α γ Oxx. E U.) et (et om. α) ne se fraude esto uel isto (α γ ε Dr. 1. 2. Cr. W. Oxx. E U ψ). sepeliretur urereue et ne se fraude β. — sepelire et urere Turnebi coni. Codd. omnes: sepeliretur (sepellirentur Gd. 2.) aere uel ere.

§. 61. Nam quod codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. namque α M. nam quae 39. — ueretur acerbum. Quod AB 11. 65. cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. 2. ueretur acerbum uetat. quod CE δGd. 2. γ 10. Par. M. — forum de Turnebi coniectura reliqui. Codices omnes: eorum. — indicatur correctio a Stephano inde uulgata. Codices meliores cum deterioribus: inducatur (α γ 10. 39. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. M. D). — dominusque de Manutii coni. tentata in cod. 96. Lambinus, reliqui. Codices: domusque.

§. 62. memorentur coni. in Steph. Man. Ern. Or. editt. expressa. memorantur AB C E δGd. 2, quibus accedunt M. Oxx. EU. et s. f. s. α γ 10. 39. memoranto D β ε 11. 58. 65. Dr. 1. 2. Br. Vd. Cr. W. ψ. — etiam cantus Sic de coni. Manut. Ern. alii. etiam (om. 11. 65.) et cantus (cantui δ) AB CE δGd. 2. 11. 65; deteriores: etiam ad cantus (39. 58. 96. D Dr. 2. Cr. W. Vd. Cass. Oxx. E U ψ).

niae; quo uocabulo etiam †Graecos cantus lugubres nominantur.

XXV. Q. Gaudeo nostra iura ad naturam accommodari, maiorumque sapientia admodum delector. M. Sed credo, Quinte, ut ceteri sumtus, sic etiam sepulcrorum modum recte requiri. Quos enim ad sumtus progressa iam ista res sit, in C. Figuli sepulcro *uides. Sed credo minimam olim istius rei fuisse cupiditatem; alioquin multa exstarent *exempla maiorum. Nostrae quidem legis interpretes quo capite iubentur sumtus et luctum remouere a deorum manium iure, hoc intelligant in primis sepulcrorum magnificentiam esse minuendam. Nec haec a sapientissimis legum 63.
scriptoribus neglecta sunt. Nam et Athenis iam ille mos a

---

etiam ad cantum 10. [etiam] ad cantus ε. et ad cantum α etiam ad cantus om. Dr. 1. — prosequatur codd. meliores cum nonnullis deteriorum (W. Dr. 1. 2. pluribus Goer.). prosequanquantur βε 10. 58. 96. ψ. persequatur M. 39. prosequitur Cr. Cass. Vd. Br. prosequato 11. prosequanto 65. — Graecos C Gd. 2. cum plerisque deteriorum (βε D Dr. 1. 2. Cr. W. M. U. Graechos A E γ Ox E. Gracchus B. Graecus ψ. Goerenzii quoque codd. uel gracchos uel grecos tenent, ut Accusatiuum in cod. arch. fuisse mihi quidem exploratum sit. Itaque incertum est, utrum probanda sit coniectura, quae post Gebhardum uulgata est, Graecis, an scribendum sit apud Graecos. Cfr. comment. — nominantur codd. meliores (nominatur 65. ψ) itemque M. Cr.; deteriores fere: nominant (βε 39. 58. 96. Dr. 1. 2. W. D.).

XXV. ceteri C E δ Gd. 2. 10. M. Par. 5 Goer. duo Oxx. ceteris B; deteriorum plerique, etiam Dr. 1. 2: ceteros. — quos enim ad Dr. 2. Cr. et s. f. s. αβ 58. 96. D. quis enim ad A B C E δ Gd. 2 11. 65. 10. 39. W. M. γ. — uides. Sed de Manutii coni. reliqui. Codices: uidisse. Mendum cum correctione est in γ (uidisse sed). — alioquin codd. deteriorum longe plerique, etiam Dr. 1. 2; omittunt meliores itemque 10. 39. Oxx. E U. — exempla correctio necessaria, tentata iam in uett. editt. et in codd. β et γ (ampla exempla). Codices, nisi in quibus tentata correctio est, ampla habent; nam commenticia Goerenzius tradit, cum in omnibus suis codd. exempla esse dicit. — iubentur codd. omnes, nisi in quo scribendi errore peccatum est, ut in 39. M. (iubentis). — intelligant codd. meliores itemque M. Oxx. E U. et s. f. s. αγε 10. 39; intelligunt D 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. ψ et procul dubio plures Dauisii et Goer. codd. intelligunt intelligitur β.

Cecrope, ut aiunt, permansit *ac ius terra humandi; quam cum proximi *iniecerant obductaque terra erat, frugibus obserebatur, ut sinus et gremium quasi matris mortuo tribueretur, solum autem frugibus expiatum ut uiuis redderetur. Sequebantur epulae, quas inibant propinqui coronati; apud *quos de mortui laude cum *quicquid ueri erat praedicatum, (nam mentiri nefas habebatur) *iusta con-
64. fecta erant. Posteaquam, ut scribit Phalereus, sumtuosa fieri funera et lamentabilia coepissent, Solonis lege sublata sunt: quam legem eisdem prope uerbis nostri *decemuiri in decimam tabulam coniecerunt. Nam de tribus riciniis et pleraque illa Solonis sunt; de lamentis uero expressa uerbis sunt: *mulieres genas ne radunto neue lessum funeris ergo habento.*

---

§. 63. ac ius coni. mea. Codd. omnes uel hocius (ABCδ Gd. 2. 11. 65. βεM. Cr. W Dr. 2. uel ocius (αε 10. Dr. 1. Par. Oxx EUψ.) — iniecerant de Manutii coni. plerique. Codices omnes: fecerant. — propinqui codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. parentes βεD Dr. 2. Cr. El. Harl. 1. M. — apud quos Maduigii coni. in progr. p. 26. Codd. omnes: apud quas. — cum quicquid ueri coni mea. In cod. arch. haud scio, an fuerit quom inquid (Gd. 2.) uel quom niquid (Aδ11.); unde nihil fere discrepant B (cum omni qui dueri), C (quum ni quid ueri), Cr. Dr. 2. (quum inquid ueri), βεD 58. 96. (quum uel cum niquid ueri), E (quum inquit ueri), γ10. Dr. 1. Oxx. EUψ (quum — tum 10. — nisi quid ueri), 65. (cum omne quidem), M. 39. (cum non quid ueri), W. (cum quid ueri), α (cum nih' quid ueri). — iusta de Manutii coniect. plerique. In cod. arch. fuit ad iusta CEδGd. 2. cum deteriorum plerisque (αε 39. 58. 96. Cr. W. Dr. 2. D. adiuxta A ex corr. B 11. 65. ac iusta β 10. M. pal. 4. at iusta γ Par. at busta Dr. 1. — confecta de Manutii coni. reliqui. Codices: coniecta.

§. 64. Posteaquam A C Gd. 2. 11. 65. cum deterioribus, etiam Dr. 1. 2. postequam B. postquam EδM. — Solonis Gd. 2. et procul dubio δ cum deterioribus (10. 39. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. M.) et Solonis ABCE 11. 65, si fides silentio est. — nostri decemuiri de Turnebi coni. reliqui. nostris uiri ABCEδ Gd. 2. 11; deteriores: nostri uiri (αβε 10. 39. 58. 96. D Dr. 1. 2. Cr. W. M. 65). — decimam codd. meliores cum deterioribus paene omnibus. duodecimam W.

XXVI. De sepulcris autem nihil est apud Solonem amplius, quam ne quis ea deleat, neue alienum inferat; poenaque est, si quis bustum, (nam id puto appellari τύμβον) aut monumentum, inquit, aut columnam uiolarit, †deiecerit, fregerit. Sed post aliquanto propter has amplitudines sepulcrorum, quas in Ceramico uidemus, lege sanctum est, ne quis sepulcrum faceret operosius, quam quod decem homines effecerint triduo. Neque id opere *tectorio exornari 65. nec hermas hos, quos uocant, licebat imponi; nec de mortui laude, nisi in publicis sepulturis, nec ab alio, nisi qui publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat. Sublata etiam erat celebritas uirorum ac mulierum, quo lamentatio minuerentur; *auget enim luctum concursus hominum. Quocirca Pittacus omnino accedere quemquam uetat in funus 66. aliorum. Sed ait rursus idem Demetrius increbruisse eam funerum sepulcrorumque magnificentiam, quae nunc fere Romae est. Quam consuetudinem lege minuit ipse. Fuit enim hic uir, ut scitis, non solum eruditissimus, sed etiam ciuis e re publica maxime tuendaeque ciuitatis *peritissimus.

XXVI. deiecerit coni. pridem uulgata ab omnibus; quae num uera sit, dubitari potest. iacerit All. 65. uocaret acerit B. uiolari tiat erit E. uiolaricia cerit C δ Gd. 2; deteriores: iecerit (Dr. 2. Cass. Cr. W. D 39. 58. 96. α β ε). Fortasse: laeserit.

§. 65. tectorio correctio pridem uulgata. Codices: textorio. — hermas hos A, si fides silentio est. termas hos γ. ex narine cernam hos CEδ. exnarine ernas hos Gd. 2. ex marine cernam hos B; deteriorum plerique: hermasos quos (α ε ll. 58. 65. 96. Dr. 1. 2. Cr W.) trinas hos M — nisi qui All. 65. cum deterioribus, etiam Dr. 1. 2. nisi quid CE Gd. 2. nisi si qui B, idemque Goer. excerpsit ex Br. nisi ab eo qui 96. — auget coniectura, quam in cod. aliquo Ursinus reperisse se dicit, probata illa a Mosero; uulgata adhuc est coni. habet, tentata iam in codd. β et γ (habet hunc) 39. (habent). In cod. arch. aut huc fuit (A CE δ Gd. 2. M. — huic B), aut hunc (Cr. Dr. 1. 2. D 11. 58. 65. α ε — nunc W.).

§. 66. increbruisse AE Gd. 2. cum multis deteriorum. increbuisse B 11. 65. 39. 58. Cr. W. increbuisset C. increpuisse 10. — ciuis e re publica maxime E Gd. 2. Br. itemque C (ciuis e r. p. maximo) et B (ciuis ser. P. maxime); deteriores

Iste igitur sumtum minuit non solum poena, sed etiam tempore; ante lucem enim iussit efferri. Sepulcris autem nouis finiuit modum. Nam super terrae tumulum noluit *quicquam statui, nisi columellam, tribus cubitis ne altiorem, aut mensam aut labellum; et huic procurationi certum magistratum praefecerat.

67. XXVII. Haec igitur Athenienses tui. Sed uideamus Platonem, qui iusta funerum reiicit ad interpretes religionum; quem nos morem tenemus. De sepulcris autem dicit haec. Uetat ex agro culto eoue, qui coli possit, ullam partem sumi sepulcro, sed quae natura agri tantummodo efficere possit, ut mortuorum corpora sine detrimento uiuorum recipiat, ea potissimum ut compleatur; quae autem terra fruges ferre et, ut mater, cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat,

68. neue uiuus, neue mortuus. Exstrui autem uetat sepulcrum altius, quam quod *quinque homines quinque diebus absoluerint, nec e lapide excitari *amplius, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui incisam ne plus quatuor herois uersibus, quos longos appellat Ennius. Habemus igitur huius quoque auctoritatem de sepulcris summi uiri, a quo

---

aut ciuis et rei publicae maxime (γ Dr. 1. 10. 39. ψ), aut ciuis reipublicae maxime (Dr. 2. D Cr. W. 58. 96. ε itemque A 11. 65.). — peritissimus coni. pridem uulgata. Codices omnes: paratissimus. — sumtum codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. 2. sumtus 10. 39. M. Gd. 1. Cass. — noluit quicquam Lambini coni. Adhuc uulgatum est noluit quid, quod num codicum auctoritate ulla nitatur, dubium est. uoluit quod ABCE Gd. 2. 11. uoluit [quod] 65. Deteriores: noluit (uoluit Cr. γ) quidem αβγε 10. 39. D Cr. Dr. 1. 2. Ox E. aliquot Goer. noluit quidam Gd. 1. — ne altiorem BCEδ Gd. 2. cum aliquot deterioribus (Dr. 1. M. et s. f. s. γ 10. 39. Deteriorum plerique: non altiorem (αβε 58. 96. Cr. W. Dr. 2. A 11. 65.)

XXVII. §. 68. quinque homines quinque diebus de Turnebi coni. plerique. Uerba quinque homines a cod. arch. abfuisse meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. [quinque] homines quinque diebus β et γ. — amplius Dauisii coni. tentata etiam in cod. γ; reliqui codices: prius. — herois, quod in multis est deteriorum, etiam in Dr. 1, firmatur mendo codicum meliorum: heroes (ABCEδ Gd. 2. 11.). heroicis β Dr. 2. Cr. W. eroi-

*item funerum sumtus praefinitur ex *censibus a minis quinque usque ad *unam. Deinceps dicit eadem illa de immortalitate animorum et reliqua post mortem tranquillitate bonorum, poenis impiorum. Habetis igitur explicatum om- 69.
nem, ut arbitror, religionum locum. Q. Nos uero, frater, et copiose quidem; sed perge cetera. M. Pergam equidem, et quoniam libitum est uobis me ad haec impellere, hodierno sermone conficiam, spero, hoc praesertim die. Uideo enim Platonem idem fecisse omnemque orationem eius de legibus peroratam esse uno aestiuo die. Igitur faciam et dicam de magistratibus. Id enim est profecto, quod constituta religione rem publicam contineat maxime. Att. Tu uero dic et istam rationem, quam coepisti, tene.

---

cis D. — *item de Wagneri coni. Goer. Sch. Mos. Or. Codices omnes: iterum. — censibus correctio pridem uulgata. Codices: sensibus. — usque ad unam coni. mea. Codices: usque ad minam.

§. 69. religionum A E Gd. 2. 11. et procul dubio δ, itemque 39. M. Par. Br. Cass. Vd. Gd. 1; deteriorum plerique, etiam Dr. 1. 2: religionis. — perge cetera A (corr. ad cetera) C E Gd. 2. itemque Dr. 1. Par. Reg. M. plures Goer. codd. p̃iece taera B. perge ad cetera Dr. 2. Cr. W. El. Harl. 1. 2. Med. ψ. — igitur faciam codd. meliores, quibus codd. accedere Dαβγε parum recte ex Bakii silentio collegeris; deteriores enim codd. (Dr. 1. 2. Cr. W. 10. 39. 58. 96.) ante igitur habent sic. — id enim est B E cum deteriorum longe plerisque (etiam Dr. 1. 2.), idemque firmatur mendo codicum Gd. 2. et C (id enim et) et codicis A (idem est). — quam coepisti deteriorum longe plerique, etiam Dr. 1. 2; meliores cum quibusdam deterioribus (pal. 4. Par.) accepisti.

M. TULLII CICERONIS

DE LEGIBUS

LIBER TERTIUS.

1. I. Marc. Sequar igitur, ut institui, diuinum illum uirum, quem quadam admiratione commotus saepius fortasse laudo, quam necesse est. Att. Platonem uidelicet *d i c i s. M. Istum ipsum, Attice. Att. Tu uero eum nec nimis ualde umquam, nec nimis saepe laudaueris. Nam hoc mihi etiam nostri illi, qui neminem, nisi suum, laudari uolunt, concedunt, ut eum arbitratu meo diligam. M. Bene hercle faciunt. Quid enim est elegantia tua dignius? cuius et uita et oratio consecuta mihi uidetur difficillimam illam societatem grauitatis cum humanitate. Att. Sane gaudeo, quod te interpellaui, quoniam quidem tam praeclarum mihi dedisti iudicii
2. tui testimonium. Sed perge, ut coeperas. M. Laudemus igitur prius legem ipsam ueris et propriis generis sui laudibus. Att. Sane quidem, sicut de religionum lege fecisti.

M. Uidetis igitur magistratus hanc esse uim, ut praesit praescribatque recta et utilia et coniuncta cum legibus. Ut enim magistratibus leges, ita populo praesunt magitratus;

I. §. 1. d i c i s coni. pridem uulgata et tentata iam in codd. γ 39. Vd. In cod. arch. fuit d i l i g i s, id quod codd. meliores cum deterioribus paene omnibus praestant. — q u o n i a m q u i d e m BCE Gd. 2. 65. cum multis deteriorum (Dr. 1. Gd. 1. et s. f. s. α D 10. 39. 58.) q ū m q u i d e m All. q u a m q u i d e m γ. q u a n d o q u i d e m β 96. Dr. 2.

ueroque dici potest magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. Nihil porro tam aptum est 3.
ad ius conditionemque naturae, (quod cum dico, legem a me dici intelligi uolo,) quam imperium, sine quo nec domus ulla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum uniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Nam et hic deo paret et huic obediunt maria terraeque et hominum uita iussis supremae legis obtemperat.

II. Atque ut ad haec citeriora ueniam et notiora nobis, 4.
omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt. Quod genus imperii primum ad homines iustissimos et sapientissimos deferebatur; idque in re publica nostra maxime ualuit, quoad ei regalis potestas praefuit: deinde etiam deinceps posteris prodebatur: quod et in his etiam, qui nunc regnant, manet. Quibus autem regia potestas non placuit, non ii nemini, sed non semper uni parere uoluerunt. Nos autem, quoniam le-

---

§. 2. dici potest codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. I. potest om. D Cr. Dr. 2. Br. Vd. Uff.

§. 3. dici intelligi codd. meliores, quibus accedere dicuntur a Goerenzio Br. et Dr. 2. At hic quidem cum deterioribus (D 39. 58. 96. Par. Harl. 1. 2. Ball. Med. El. Oxx. E U ψ) dici nihil aliud intelligi. Adiuncta part. que 10. pal. 4. dici nihilque aliud.

II. §. 4. atque ut codd. meliores; deteriores fere: namque ut (D 39. 58. 96. Dr. 2. Cr. W. $\alpha\beta$). at ut Dr. 1. — ad A 11. 65. cum deterioribus. ad om. B E δ Gd. 2. Br. — haec B C E δ Gd. 2. Dr. 1. et s. f. s. 10. 39. $\alpha\beta\gamma$. haec om. A D 58. 96. Cr. W. Dr. 2. plures Goerenzii, quorum tamen in numero perperam ab ipso numeratur Gd. 2, in quo est; [ad] hec. — citeriora codd. meliores (Gd. 2. ceteriora) cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. certiora 39. pal. 4. M. — idque in rep. A 11. 65. cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. 2. idque ut in rep. B C E δ 10. 39. Par. M. 5 Goer.; unde haud absone Dau. idque et in rep. coniecit. itaque in rep. β. — quoad ei correctio pridem uulgata et tentata iam in marg. codicis C; quam num recte ex Bakii silentio esse collegeris in codd. 10. 39. γ, dubito. quod et ad C (in marg. quoad ei) E Gd. 2. quoad et regalis AB quod et regalis δ D 11. 65. 58. Dr 2. Cr. W. quod [et] reg. Dr. 1. quod ei et regalis β. quod ad et reg. α. quoad regalis 96. — et in his etiam codd. et meliores et deteriores, modo quod Dr. 2. D A in iis, B et in ii sed etiam, γ ut in his etiam praebent.

ges damus liberis populis, quaeque de optima re publica sentiremus, in sex libris ante diximus, accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, ciuitatis statum.
5. Magistratibus igitur opus est; sine quorum prudentia ac diligentia esse ciuitas non potest, quorumque descriptione omnis rei publicae moderatio continetur. Neque solum his praescribendus est imperandi, sed etiam ciuibus obtemperandi modus. Nam et qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est, et qui modeste paret, uidetur qui aliquando imperet dignus esse. Itaque oportet et eum, qui paret, sperare se aliquo tempore imperaturum, et illum, qui imperat, cogitare breui tempore sibi esse parendum. Nec uero solum ut obtemperent obediantque magistratibus, sed etiam ut eos colant diligantque, praescribimus, ut Charondas in suis facit legibus; noster uero Plato Titanum e genere statuit eos, qui, ut illi coelestibus, sic hi aduersentur magistratibus. Quae cum ita sint, ad ipsas iam leges ueniamus, si placet. Att. Mihi uero et istud, et ordo iste rerum placet.

6. III. M *Iusta imperia sunto, iisque ciuis modeste ac sine recusatione parento; magistratus nec obedientem et *in noxia ciuem multa, uinclis uerberibusue coërceto, ni par maiorue potestas populusue prohibes-*

---

§. 5. his CEδGd.2. cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. l.2. iis All.65.58.96. solum is B. — aliquando imperet codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr.2. imperaret α. qui aliis imperare dignus esset (sit 10.) 10.39.M.Oxx.EUψ. imperare excerptum est etiam ex γ et tribus Goerenzii codd. aliquando imperet dignus esset Dr. l. — et ordo iste codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. l 2. et ordo rerum iste Br. Vd. Gd. l.

III. §. 6. iisque deteriorum longe plerique, etiam Dr.2. isque ABCll. hisque Gd.2.Dr.1.96. hiisque E 10. Goerenzio in omnibus suis codd. hisque esse dicenti fides non est habenda. — ciuis codd. omnes. — et in noxia Gulielmi coniectura; reliqui de Uictorii coni. et noxium; codd. omnes: et innoxium. — uerberibusue B E 11. 65. Dr. 1. itemque s. f. s. α 10. 39. 58. uerberibusne C (corr. ue) Gd.δA. uerberibusque DDr.2. uerberibus [ue] $\beta\gamma$U. Br. — populusue ACδW. Dr. 1. et s. f. s. β 39. populosue B. paulo sue E. ppl'ofrat Gd. 2. populo siue

sit: ad quos prouocatio esto. Quom magistratus iudicassit irrogassitue, per populum multae poenae certatio esto; militiae ab eo, qui imperabit, prouocatio ne esto, quodque is, qui bellum geret, imperassit, ius ratumque esto.

Minores magistratus partiti iuris plures in ploera sunto: militiae, quibus iussi erunt, imperanto, eorumque tribuni sunto; domi pecuniam publicam custodiunto, uincla sontium seruanto, capitalia uindicanto, aes argentum aurumue publice signanto, lites contractas iudicanto, quodcumque senatus creuerit, agunto.

Suntoque aediles curatores urbis, annonae ludorum- 7.
*que sollemnium, ollisque ad honoris amplioris gradum is *primus adscensus esto.*

Censores populi aeuitates, suboles, familias pecuniasque censento, urbis templa, uias, aquas, aerarium, uectigalia tuento, populique partes in tribus describunto;

γ 10. Gd. 1. Ox. E. populosque 11. 65. Cr. populusque α 58. 96. Dr. 2. D. populo prohibuit M. — qui geret B C E δ Gd. 2. itemque D Br. Cass. Gd. 1. et s. f. s. 10. 58. $\alpha\beta\gamma$. gerat A 11. 65. 39. 96. Dr. 1. geret om. Dr. 2. — partiti iuris codd. meliores (partitu iuris C) cum pluribus deteriorum (W. Dr. 1. et s. f. s. γ 10.) partiti uires α 58. 96. periti iuris D β 39. Cr. M. Dr. 2. — ploera B, si fides silentio est, idque confirmatur mendis meliorum A 11. 65. (pluresim imploera), C Gd. 2. (plures impera), E δ (plures imperia). Deteriores, etiam Dr. 1. 2: in praelia, uel in proelia, uel in prelia. — aurumue B C δ Gd. 2. 11. 65. cum deterioribus omnibus. aurum ne E. aurum uel A. — lites deteriorum longe plerique, etiam Dr. 1. 2. litis A 11. 10. 39. signantibus C (in marg. signanto lites) E δ Gd. 2. Si fides habenda Goerenzio est, Br. habet si litis, Gd. 1. selitis. Sed idem ex Gd. 2. perperam excerpsit litis.

§. 7. curatores codd. omnes. — primus coni. pridem uulgata; codd. omnes: prius. — urbis templa codd. deteriores, etiam Dr. 1. 2; in melioribus B C Gd. 2. mendum est urbistatem pla, in A 11. urbista templa. Unde non inepte Bakius coniecit nomen quoddam ante templa excidisse. Sed quod ipse commendauit tecta, id difficile est probare propter sententiam. Cfr. comment. — tuento codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. tuentor 10. Cass. Ox. E. — describunto W. M. et s. f. s.

exin pecunias, aeuitates, ordines partiunto, equitum peditumque prolem describunto, caelibes esse prohibento, mores populi regunto, probrum in senatu ne reliquunto: bini sunto: magistratum quinquennium habento, reliqui magistratus annui sunto: eaque potestas semper esto.

8. *Iuris disceptator, qui priuata iudicet iudicariue iubeat, praetor esto; is iuris ciuilis custos esto; huic potestate pari, quotcumque senatus creuerit populusue iusserit, tot sunto.*

*Regio imperio duo sunto, iique praeeundo, iudicando, consulendo praetores, iudices, consules *appellantor: militiae summum ius habento, nemini parento: his salus populi suprema lex esto.*

Eumdem magistratum ni interfuerint decem anni, ne
9. *quis capito: aeuitatem annali lege seruanto.*

Ast quando duellum grauius dicordiaeue ciuium

γ 10.39.58.96. idemque confirmatur mendo discribunto A11.CE Gd.2. Br. Vd. Gd.1. describuntur to exin B. destribunto Dr.1. distribunto Dr.2. distribuunto αβD. — partiunto Cr. W. Dr.2. et s. f. s. αβ58.96. parti sunto ABCD 10.11. partis sunto E Gd.2. partiti sunto 39. partito sunto γ. pasto sunto 65.

§. 8. potestate AE Gd.2. potestati BCDαγ10.11.39.58. 65.96. — pari codd. meliores; deteriores: parento (αβγ 10.39.58. 96. D Dr. 1.2. Cr. W. M.). — appellantor coni. necessaria pridem uulgata. Codd. meliores B δ (appellam ino militiae), C (appellam lno mil.), Gd.2. (appellam momilitiae); deteriores, quibus accedere uidentur A11.65: appellanto; γ appellaminor. — his salus sic primus Bakius (reliqui inde a Stephano sine ulla codicum auctoritate ollis salus); quae correctio tentata iam est in cod. α, qui in marg. habet iussa et fortasse in γ. Idem esse in codd. 39.58.96. parum recte ex Bakii silentio collegeris. ius salus ABE δ Gd.2.11. Pro his salus est iussa ius in Dr.2. Cr. D, iussa uis in β. huius salus W. M. Par. Oxx. E ψ. huius [salus] Dr.1. hiis saluo 10. — populi coni. necessaria pridem uulgata. Codd. meliores omnes cum omnibus Bakii deterioribus, et Dr.1.2. tenent populo, ut hoc in cod. arch. fuisse ueri simillimum sit, licet reliqui discrepantiae nihil excerpserint. Ortum esse uidetur ex prisca Genitiui forma populoi.

§. 9. discordiae codd. meliores cum deterioribus. Nec enim

*escunt, oenus ne amplius sex menses, si senatus creuerit, idem iuris quod duo consules tenunto: isque aue sinistra dictus populi magister esto: *equitatumque qui regat, habeto pari iure cum eo, quicumque erit iuris disceptator.*

*Ast quando *nec consul escit magisterue populi nec escunt reliqui magistratus, auspicia patrum sunto: ollique ex se produnto, qui *comitiatu creare consules rite *possit.*

Imperia, posestates, legationes quom senatus creuerit populusue iusserit, ex urbe exeunto, duella iusta iuste

---

fides habenda est Goerenzio, qui in Br. Vd. Uff. Gd. 2. Dr. 2. discordiaeue esse dicit. In Gd. 2. certe et in Dr. 2. distincte scriptum est discordiae. Nec probabiliter ex Bakii silentio collegeris in codd. 10. et 58. esse discordiaeue. — escunt, oenus de Lambini, qui tamen unus scripsit, coniectura reliqui. escunt ones ABCE Gd. 2; deteriorum plerique: estunto ne amplius (Dr. 2. Cr. W. M. D 10. 39. 58. 96. α). escunto ne amplius γ Dr. 1. Gd. 1. estunto oenus β. escunt onus Vd., si fides habenda Goerenzio est. — tenunto codd. meliores (tenunt omisque Gd. 2.) cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2. tenento α. neuunto W. temnito M. — equitatumque qui regat Orellii coni. expressa ex mendo codd. meliorum: equitatem (aequitatem AB 11. 65.) AB CE δ Gd. 2. 11. 65; deteriores: equitatem (aequitatem 39. 58. W.) quicunque regat (Dr. 1. 2. Cr. W. D 10. 39. 58. 96. α β γ). — ast quando nec consul escit coniectura mea expressa ex mendo ast quando consulis est, quod iam in cod. arch. fuisse insignis meliorum ABE 11. 65. cum deterioribus consensus arguit. consulis [est] C Gd. 2. — magisterue coni. pridem uulgata et a Bakio nunc ex cod. C excerpta; reliqui codices: magistratusue. — nec reliqui escunt mag. coniectura mea. Codd. omnes: magistratus ne sunto; in eis tamen, quae praecedunt, paullisper inter se discrepant: nec rūt reliqui Gd. 2. δ. nec r. reliqui AD Dr. 2. Cr. W. ne r. reliqui Dr. 1. populiue reliqui 10. populine reliqui 11. 65. Par. [nec] reliqui M. nec romani reliqui β. nec reliqui BCE 39. 58. 96, si fides silentio est. Nimirum uerbo escunt deprauato tentata est correctio ne sunto. — comitiatu correctio pridem uulgata; codices: comitatu — possit de Manutii coni. Goer. Sch. Mos. Or. Codices aut possint, aut possim (BCE).

gerunto, sociis parcunto, se et seruos continento, populi sui gloriam augento, domum cum laude redeunto.

Rei suae ergo ne quis legatus esto.

Plebes quos pro se contra uim auxilii ergo decem creassit, tribuni eius sunto: quodque ii prohibessint quodque plebem rogassint, ratum esto: sanctique sunto: neue plebem orbam tribunis relinquunto.

10. *Omnes magistratus auspicium iudiciumque habento: exque iis senatus esto; eius decreta rata sunto: ast potestas par maiorue *prohibessit, perscripta seruanto.*

Is ordo uitio uacato, ceteris specimen esto.

*Creatio magistratuum, iudicia populi, iussa uetita quom suffragio *consciscentur, optimatibus nota, plebi libera sunto.*

IV. **Ast quid erit, quod extra magistratus *coerari oesus sit, qui coeret, populus creato, eique ius coerandi dato.*

---

§. 10. exque iis Dr. 2. Cr. W. et s. f. s. βD 10. 39. 58. 96. exque is B. exquo is E. exque isse natus A. exque his Gd. 2. exque hiis α. exquo his γ. exque $\overset{h}{\text{is}}$ Dr. 1. — ast potestas in cod. arch. fuisse insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. at si β. est si γ. — prohibessit coni. a Stephano inde uulgata. Codd. meliores cum 39: prohibet se; deteriorum plerique: prohibet S. C. Dr. 1. 2. Cr. W. M. D 96. αβγ. prohibet [se] 10. 58. prohibesset Br. Vd., si fides habenda Goerenzio est. — suffragio consciscentur nescio cuius coniectura, quam inde a Gebhardo probarunt omnes Dauisio excepto et Bakio. Falsa enim tradit Goerenzius, qui consciscentur esse dicit in Vd. et Gd. 2. Hic quidem cos cindentur habet. eos cincentur A E. eos cingentur C Dr. 1. eo sci centuro roptum atibus B. Deteriorum longe plerique, etiam Dr. 2: eo sciscentur. (eo scinsceretur M.).

IV. ast quid Sic Man. et Goerenzius, qui ast in Br. et Cass. inuenisse se dicit. In cod. arch. fuisse aut quid, insigni meliorum deteriorumque codicum consensu confirmatur. aut quidem 39. — coerari oesus sit de Taurellii et Dau. coniectura Goer. Or. Bak. Codd. meliores: coherario esus sit (B C δ Gd. 2.) uel quo herario hesus (esus A) sit AEH; deteriores: quo erario (aera-

Cum populo patribusque agendi ius esto consuli, praetori, magistro populi equitumque eique, quem patres produnt consulum rogandorum ergo; tribunisque, quos sibi plebes †rogassit, ius esto cum patribus agendi; idem ad plebem, quod oesus erit, ferunto.

Quae cum populo quaeque in patribus agentur, modica sunto.

Senatori, qui nec aderit, aut causa aut culpa esto: 11. *loco senator et modo orato: causas populi teneto.*

*Uis in populo abesto. Par maiorue potestas plus ualeto. Ast quid turbassitur in agendo, fraus *actoris esto. Intercessor rei malae salutaris ciuis esto.*

Qui agent, auspicia seruanto, auguri publico parento, promulgata, †proposita in aerario, cognita agunto; nec

---

rio Dr. 2. 10. M. errario α 58. 96. β γ) esus (hesus Dr. 1. β γ) α β γ Dr. 1. 2. D 10. 58. 96. Cr. W. M. — qui coeret AB 11. 65, si fides silentio est. coheret C Gd. 2. δ α W. M. cohaeret 39. cohercet E Dr. 1. coërcet Dr. 2. D Cr. coherat 58. qui herat 10. — patres produnt codd. meliores cum deterioribus paene omnibus. produnt patres 39. — rogassit codd. omnes. Necessaria uidetur Bakii coniectura creassit. — idem ABE 11. 65, itemque D M. plures Goer. id est C Dr. 1. i. ad plebem Gd. 2. δ; iidem deteriorum plerique, etiam Dr. 2. — oesus erit ABC δ Gd. 2. 65. quodo esus 11; deteriores: cesus (γ Cr. W. M. E) uel caesus (Dr. 2. β) uel census (α 10.) uel esus (Dr. 1.) istorumque aliquid etiam Dauisii et Goerenzii codd. praebent. — quae cum populo codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 2. quaeque populo Dr. 1. quicunque populo 10. Vd. Cass. quodcunque populo γ. quicunque populo quaecunque in patribus Gd. 1. quaecunque in populo quaecunque in patribus 39.

§. 11. abesto deteriorum plerique, etiam Dr. 2; meliores cum deterioribus aliquot (γ 10. Dr. 1.): adesto. — maiorue deteriorum longe plerique, etiam Dr. 1. 2; meliores cum aliquot deterioribus (Cr. D 58): maiorque. — ast quid ABC Gd. 2. 11. 65. cum deteriorum longe plerisque. ast qui E δ D Dr. 2. α. ast [quid] Dr. 1. — turbassitur codd. paene omnes; solus C habet turbassint atque α turbassit. — actoris nescio cuius coniectura, quam inde a Steph. et Man. omnes probarunt praeter Ernestium, Wagnerum, Nobbium. Codices: auctoris. — auguri publico codd. omnes, nisi si in quo scribendi errore publico omissum est, uelut in E Par. 10. — proposita in aerario codd. omnes, modo quod in quibusdam (C D β) erra-

*plus quam de singulis rebus *simul consulunto: rem populum docento: doceri a magistratibus priuatisque patiunto.*

*Priuilegia ne irroganto: de capite ciuis, nisi per maximum *comitiatum ollosque, quos censores in partibus populi locassint, ne ferunto.*

Donum ne capiunto neue danto neue petenda neue gerenda neue gesta potestate: quod quis earum rerum migrassit, noxiae poena par esto.

*Censores fidem *legum custodiunto: priuati ad eos acta referunto nec eo magis lege liberi sunto.*

Lex recitata est. Discedere et tabellam iubebo dari.

12. V. Q. Quam breui, frater, in conspectu posita est a te omnium magistratuum descriptio, sed ea paene nostrae ciuitatis, etsi a te paullum allatum est noui. M. Rectissime, Quinte, animaduertis. Haec est enim, quam Scipio laudat in *illis libris et quam maxime probat temperationem rei publicae; quae effici non potuisset, nisi tali descriptione magistratuum. Nam sic habetote: magistratibus iisque, qui praesint, contineri rem publicam, et ex eorum compositione,

---

rio est pro aerario; om. aerario 10, in om. β. Interpretationi ista deberi existimo. Cfr. comment. — nec plus codd. meliores. ne plus Dr. 1. 2. Br. Vd. 39. 58. 96. Cr. W. M. — singulis rebus simul de Gruteri coni. Mos. Or. Codices meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. 2: semel, quod abesse dicitur a Par. Br. Cass. Gd. 1. — consulunto. In cod. arch. fuisse consulento codicum paene omnium consensus declarat. — patiunto ABCE cum multis deteriorum, etiam Dr. 1. faciunto δ Gd. 2. Br. partiunto Dr. 2. et plures Goer. — comitiatum correctio pridem uulgata; codices: comitatum. — fidem legum Maduigii Bakiique coniectura. In cod. arch. fuisse fidem legem, insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. — priuati codd. meliores; priuata deteriores, etiam Dr. 1. 2. — discedere ABC Gd. 2. 11. 65. discere deteriorum plerique (Dr. 1. 2. Cr. W. M. 10. 58. αβ plures Goer. itemque E). discere etiam tab. 39. dicerem est tab. γ. discerem δ.

V. §. 12. sed ea paene nostrae ciuitatis codd. omnes. — in illis libris sic Orellius, cum antea de Turnebi coniectura, reperta illa in β et γ, uulgaretur in libris illis. Codices: in [illis] libris. — praesint codd. meliores, quibus accedunt Dr. 1. 2.

quod cuiusque *rei publicae genus sit, intelligi. Quae
res cum sapientissime moderatissimeque constituta esset a
maioribus nostris, nihil habui sane, non modo multum, quod
putarem nouandum in legibus. Att. Reddes igitur nobis, ut 13.
in religionis lege fecisti admonitu et rogatu meo, sic de ma-
gistratibus, ut disputes, quibus de causis maxime placeat
ista descriptio. M. Faciam, Attice, ut uis, et locum istum
totum, ut a doctissimis Graeciae quaesitum et disputatum est,
explicabo et, ut institui, nostra iura attingam. Att. Istud
maxime exspecto disserendi genus. M. Atqui pleraque sunt
dicta in illis libris; quod faciendum fuit, cum de optima re
publica quaereretur. Sed huius loci de magistratibus sunt 14.
propria quaedam, a Theophrasto primum, deinde a *Diogene
Stoico quaesita subtilius.

VI. Att. Ain tandem? etiam a Stoicis ista tractata sunt? M. Non sane, nisi ab eo, quem modo nominaui, et postea a magno homine et in primis erudito, Panaetio. Nam ueteres uerbo tenus acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem atque ciuilem de re publica disserebant. Ab hac familia magis ista manarunt, Platone principe. Post Aristoteles illustrauit omnem hunc ciuilem in disputando locum,

---

et s. f. s. βγ 39. praesunt α 10. 58. 96. D Cr. W. Goerenzius in sex suis optimis praesunt esse affirmans falsa certe tradit de Gd. 2. et Dr. 2. — ex eorum comp. codd. meliores cum multis deteriorum, etiam Dr. I. ex om. α D Dr. 2 Cr. W. 58. 96. — cuiusque rei publ. coni necessaria a Stephano inde uulgata. cuiusque in rep. A 10. 39. 58. Dr. 2. Cr. W. D α β. cuiusque in re [publica] Dr. 1 γ. eiusque in re publ. B Gd 2. 11. 65. eiusque in re [publica] E. cuiuscunque in re publ. 96. quotiensque in re [publica] M. — non modo multum deteriorum longe plerique (α 10. 39. 58. 96. D Cr. W. Dr. 1. 2. Dau. et Goerenzii codd.). om. non modo A B E δ Gd. 2. 11. 65. et s. f. s. βγ.

§. 13. maxime placeat codd. meliores cum deteriorum longe plerisque. maxime ut pl. Par. 10. Gd. 1. α. — quod faciendum fuit codd. meliores cum deteriorum plerisque. Omittunt haec β 10. pal 4. M. S. Uet.

VI. §. 14. Diogene de Turnebi coni. Mos. Orell. Codices omnes: Dione. — ab hac familia codd. deteriores, quibus codd. E 11. 65. accedere ex Bakii silentio licet colligere. ab hanc familia

Heraclidesque Ponticus, profectus ab eodem Platone. Theophrastus uero, institutus ab Aristotele, habitauit, ut scitis, in eo genere rerum, ab eodemque Aristotele doctus Dicaearchus huic rationi studioque non defuit. Post a Theophrasto Phalereus ille Demetrius, de quo feci supra mentionem, mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum otioque non modo in solem atque in puluerem, sed in ipsum discrimen aciemque produxit. Nam et mediocriter doctos magnos in re publica uiros et doctissimos homines, non nimis in re publica uersatos, multos commemorare possumus; qui uero utraque re excelleret, ut et doctrinae studiis et regenda ciuitate princeps esset, quis facile praeter hunc inueniri potest?

15. VII. Att. Puto posse, et quidem aliquem de tribus nobis. Sed perge, ut coeperas.

M. Quaesitum igitur ab illis est, placeretne unum in ciuitate esse magistratum, cui reliqui parerent, quod exactis regibus intelligo placuisse nostris maioribus. Sed quoniam regale ciuitatis genus, probatum quondam, postea non tam regni, quam regis uitiis repudiatum est, nomen tantum uidebitur regis repudiatum, res manebit, si unus omnibus reliquis magistratibus imperabit.
16. Quare nec ephori Lacedaemone sine causa a Theopompo oppositi regibus, nec apud nos consulibus tribuni. Nam illud quidem ipsum, quod in iure positum est, habet consul, ut ei reliqui magistratus omnes pareant excepto tribuno, qui post exstitit, ne id, quod fuerat, esset. Hoc enim primum minuit consulare ius, quod exstitit, ipse qui eo non teneretur; deinde quod attulit auxilium reliquis non modo magistratibus, sed etiam priuatis consuli

---

AB. ad hanc familiam Gd.2.δ. — atque in pulu. AEδGd.2. 11.65. cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr.1.2. in om. BD Cr. et fortasse nonnulli Dau. et Goer. codd.

VII. §. 15. quaesitum ig. ab illis est codd. meliores itemque Dr.2. et s. f. s. γ D 58. 96. quaesitum igitur est α 39. Dr.1. quaesitum est igitur β itemque, si fides Goerenzio est, Br.; nam de Gd.2, cui eundem uerborum ordinem tribuit, falsus est.

§. 16. fuerat coni. a Manutio inde uulgata; codd. omnes: fuerit.

non parentibus. Q. Magnum dicis malum; nam ista potestate nata grauitas optimatium cecidit, conualuitque *uis multitudinis. M. Non est, Quinte, ita. Non enim ius illud solum superbius populo, sed uiolentius uideri necesse erat; quo posteaquam modica et sapiens temperatio accessit, conuersa lex in omnes est. * * * 17.

VIII. *Domum cum laude redeunto.* Nihil enim praeter laudem bonis atque innocentibus neque ex hostibus neque a sociis reportandum. 18.

Iam illud apertum est profecto nihil esse turpius, quam quemquam legari nisi rei publicae causa. Omitto, quemadmodum isti se gerant atque gesserint, qui legatione hereditates aut syngraphas suas persequuntur. In hominibus est hoc

---

§. 17. nata codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. damnata α 10. Cass. Gd. 1. Oxx. E U. dampnata M. Par. pot. consulari damnata γ. — uis mult. ABW. eius mult. E Gd. 2. ius codd. deteriores. — non est, Quinte, ita codd. meliores, itemque Vd. Dr. 2. et s. f. s. $\alpha\beta\gamma$ D 58. 96. non est ita, Quinte Dr. 1. Cr. W. 10. 39. plures Goer. — non enim ius codd. deteriores, etiam Dr. 1. 2; meliores: non ius enim; quod idem esse in codd. $\alpha\beta\gamma$, parum recte ex Bakii silentio collegeris. — conuersa lex deteriorum multi (Dr. 2. Cr. W. D 58. 96. $\alpha\beta$ plerique Dauisii). et conuersa 11. cum uersa 65. conuertem ABEδGd. 2. conuertenda Dr. 1. Par. plures, si fides habenda est, Goerenzii. et uertenda 39. [accessit] uertenda lex M.

VIII. §. 18. cum laude redeunto conf. pridem uulgata, quae nititur mendo codicum meliorum ABEδGd. 2. 11. itemque γ M.: cum laudem (laude 11.) pede uno; quod haud scio, an fuerit etiam in Br. et Vd., in quibus Goer. dixit esse redeunto. Itemque Bakius errauit, in cod. C redeunto esse dicens, si quidem extrema huius codicis uerba haec sunt §. 12: a maioribus nostris nihil. — cum laude uno pede 10. cum laude uno repedandum α; deteriorum plerique: cum laude repedandum (β 58. 65. 96. Cr. W. Dr. 1. 2.). cum laude pedadum 39. — apertum est pr. A B 11. 65. Dr. 1. 2. Cr. W. et s. f. s. $\beta\gamma$ D 58. 96. est prof. est nihil est turpius E Gd. 2. apertum prof. est 10. 39. plures, ut uidetur, Goer. prof. ap. est α. ap. [est] prof. Br. Cass. — quam correctio pridem uulgata; codices addunt est. — quemquam codd. meliores (quamquam E) cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 2. quempiam Dr. 1. Br. Vd. — in hominibus est deteriorum

fortasse uitium; sed quaero, quid reapse sit turpius, quam sine *procuratione senator legatus, sine mandatis, sine ullo rei publicae munere. Quod quidem genus legationis ego consul, quamquam ad commodum senatus pertinere *uidebatur, tamen approbante senatu frequentissimo, nisi mihi leuis tribunus plebis tum intercessisset, sustulissem. Tamen minui tempus, et quod erat infinitum, annuum feci. Ita turpitudo manet diuturnitate sublata.

Sed iam, si placet, de prouinciis decedatur in urbemque redeatur. Att. Nobis uero placet, sed iis, qui in prouinciis
19. sunt, minime placet. M. At uero, Tite, si parebunt his legibus, nihil erit, iis urbe, nihil domo sua dulcius, nec laboriosius molestiusque prouincia.

Sed sequitur lex, quae sancit eam tribunorum plebis potestatem, quae *est in re publica nostra; de qua disseri nihil necesse est. Q. At mehercule ego, frater, quaero,

---

plerique, etiam Dr. 1. 2. in hominibus et in hominibus et hoc ABE 11. 65. in om̃ibus et hoc Gd. 2. M. in omnibus est hoc α (uar. hominibus) 10. 39. — reapse γ 58. 96, s. f. s. reabse BE Gd. 2. Br. reapse possit h° turpius 10. re hac sit Dr. 2. Cr. W. A. β. hac re sit D. re sit hac Dr. 1. quid esse possit re hac turpius α. possit esse hoc turpius 39. possit esse hac turpius M. — sine procuratione coni. pridem uulgata et tentata iam in cod. 39. In cod. arch. fuisse sine procuratore, insignis reliquorum codicum consensus arguit. — uidebatur Ernestii coniectura a Rathio, Maduigio, Bakio probata et tentata iam in cod. 10. Reliquorum codicum omnium consensus uideatur in cod. arch. fuisse arguit. — leuis ABE Gd. 2 δ cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 2. leuius 11. 65. ψ. lenis 39. lelius 10. — tum codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. tum om. Dr. 2. Cass. Cr. W. 58. 96. cum 39. (exp.) tũ α. — decedatur codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. discedatur α 39. M. Ox E. recedatur U. discedam 10.

§. 19. si parebunt Dr. 1. Par. Ball. M. Br. Vd. Gd. 1. et s. f. s. γ 39. paribunt 10. parebant codd. meliores, unde nouo mendo natum est pareant ($\alpha\beta$ D Dr. 2. Cr. W. 58. 96. plures Dau. et Goer. codd.). iis urbe ABW. et s f. s. $\alpha\beta\gamma$ 58. 96. his Cr. Dr. 1. 2. D 39. hiis E Gd. 2. 10. — quae est de Goerenzii coniectura, tentata illa in codd. β et γ, Schuetz. Mos. Or. Bakius. est, quod post Turnebum Manutius et Lambinus post nostra addiderunt, a cod. arch. abfuisse,

de ista potestate quid sentias. Nam mihi quidem pestifera uidetur, quippe quae in seditione et ad seditionem nata sit: cuius primum ortum si recordari uolumus, inter arma ciuium et occupatis et obsessis urbis locis procreatum uidemus. Deinde cum esset cito *necatus tamquam ex XII tabulis insignis ad deformitatem puer, breui tempore recreatus multoque tetrior et foedior natus est.

IX. Quae enim ille non edidit? qui primum, ut impio dignum fuit, patribus omnem honorem eripuit, omnia infima summis paria fecit, turbauit, miscuit; cum afflixisset principum grauitatem, numquam tamen conquieuit. *Namque, 20.
ut C. Flaminium atque ea, quae iam prisca uidentur propter uetustatem, relinquam, quid iuris bonis uiris Ti. Gracchi tribunatus reliquit? etsi quinquennio ante D. Brutum et P. Scipionem consules, quos et quantos uiros! homo omnium infimus et sordidissimus, tribunus plebis C. Curiatius in uincula coniecit; quod ante factum non erat. C. uero Gracchus ruinis et iis sicis, quas ipse se proiecisse in forum dixit, qui-

---

insigni reliquorum codicum consensu confirmatur. — procreatum codd. omnes. — necatus Gronouii coni. Codices omnes: legatus. — nescio quo pacto deteriorum codd. longe plerique (Dr. 1. 2. Cr. W. Gd. 1. OxE. itemque s. f. s. α 39. 58. 96. D et B, in quem ista manarunt ex A, qui id habet in margine). [nescio quo pacto] AE Gd. 2. β 10. — recreatus Bγ, si fides silentio est. creatus AE Gd. 2. D Dr. 1. 2. Cr. W. M. 10. 39. 58. 96. $\alpha\beta$. omnes Goer. codices, ut hoc iam in cod. arch. fuisse ueri simile sit.

IX. Quae enim Dr. 1. Br. Vd. pal 3. et s. f. s. α. Nihilo minus in cod. arch. credo fuisse quem, quod codd. meliores tenent cum plerisque deteriorum ($\beta\gamma$ 10. 39. 58. 96. D Dr. 2. Cr. W. M.); quod quomodo natum sit, codd. A B Gd. 2. declarant, in quibus est quē.

§. 20. Namque Bakii coni. expressa ex mendo anque codicum meliorum AB E Gd. 2. 11. 65, quibus accedunt γ 10. M; deteriorum plerique, etiam Dr. 1. 2: atque. — C. Flaminium Dr. 1. et s. f. s. $\alpha\beta$ 10. 39. 58. 96. conflaminius A. cum flaminius BE Gd. 2. Cn. flaminium γ D Dr. 2. Cr. W. — prisca uidentur codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. prisca sunt Dr. 2. Med. Harl. 1. 2. D. — quid iuris bonis uiris codd. meliores cum deteriorum plerisque ($\alpha\beta\gamma$ Dr. 1. 2. Cr. 58. 96.) quid uiris (ueris M.) bonis D 10. 39. quid iuris bonis superscr. uiris W. — ruinis codd. omnes. — et iis sicis Turnebi coni. tentata iam in

bus digladiaretur inter se ciues, nonne omnem rei publicae
statum permutauit? Quid iam de *Saturnino, Sulpicio,
reliquis dicam, quos ne depellere quidem a se sine ferro po-
21. tuit res publica? Cur autem aut uetera, aut aliena proferam
potius, quam et nostra et recentia? Quis umquam tam audax,
tam nobis inimicus fuisset, ut cogitaret umquam de statu
nostro labefactando, nisi mucronem aliquem tribunicium exa-
cuisset in nos? Quem cum homines scelerati ac perditi non
modo ulla in domo, sed nulla in gente reperirent, gentes
sibi in tenebris rei publicae perturbandas putauerunt. Quod
nobis quidem egregium et ad immortalitatem memoriae glo-
riosum, neminem in nos mercede ulla tribunum potuisse re-
22. periri, nisi cui *ne esse quidem licuisset tribuno. Sed ille
quas strages edidit! eas uidelicet, quas sine ratione ac sine
ulla spe bona *furor edere potuit impurae beluae, multo-

---

cod. β et confirmata mendo meliorum Eδ (et hiis sicils), Gd. 2. (et hiis sitiis), B (et ussiciis), A 11. 65. (et inscitiis); deteriorum plerique: emisitiis uel emissiciis (Dr. 2. Cr. W. Br. Vd. D 96. α plerique Dau.) et uitiis quas 39. M. et essiciis (superscr. siciis) γ. et misseciis 58. exitus quas 10. et inscitus insitus quas Dr. 1. — de Saturnino, Sulpicio, reliquis Goerenzii coni. Codd. meliores, quibus accedere dicuntur M. Vd. Br. Gd. 1. Cass., modo quod ex Vd. Saturinio, ex Br. Saturnio Goer. excerpsit, de Saturnini supplicio reliquis; deteriorum longe plerique: de Saturnini supplicio reliquisque (αβγ 58. 96. D Dr. 1. 2. Cr. W. plures Goer.). de Saturnini supplicio reliquisue 10.

§. 21. proferam A 11. 65. Cr. W. Dr. 1. 2. Par. El. Med. Harl. 1. duo Goer. et s. f. a. 10. 39. 96. D. proferat BE Gd. 2. proferamus αβγ 58. — tam nobis inimicus codd. meliores cum multis deteriorum, etiam Dr. 2. inimicus nobis α 10. 39. Dr. 1. et s. f. s. Cr. W. — non modo ulla in domo codd. omnes. — nulla in gente codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. ulla in gente D Dr. 2. Cr. 10. — ne esse quidem correctio necessaria pridem uulgata. Codices omnes aut necesse quidem (ABE Gd. 2. 11. 65. D Cr. Dr. 1. 2. β), aut nec esse quidem (M. W. 10. 39. 58. 96. αγ), ut alterum utrum in cod. arch. fuisse certum sit.

§. 22. furor edere coni. pridem uulgata. Codices meliores cum pluribus deteriorum (Dr. 1. 2. Cr. 58. 96. aliquot Goer. et s. f. s. D αβ) futura reddere; futura sedare γ 39. M. aliquot Goer.

rum inflammatus furoribus. Quamobrem in ista quidem re uehementer Sullam probo, qui tribunis plebis sua lege iniuriae faciendae potestatem ademerit, auxilii ferendi reliquerit; Pompeiumque nostrum ceteris rebus omnibus semper amplissimis summisque effero laudibus, de tribunicia potestate taceo; nec enim reprehendere libet, nec laudare possum.

X. M. Uitia quidem tribunatus praeclare, Quinte, per- 23.
spicis. Sed est iniqua in omni re accusanda praetermissis bonis malorum enumeratio uitiorumque selectio. Nam isto quidem modo uel consulatus *uituperari potest, si consulum, quos enumerare nolo, peccata collegeris. Ego enim fateor in ista ipsa potestate inesse quiddam mali. Sed bonum, quod est quaesitum in ea, sine isto malo non haberemus. — Nimia potestas est tribunorum plebis. — Quis negat? Sed uis populi multo saeuior multoque uehementior; quae ducem quod habet, interdum lenior est, quam si nullum haberet. Dux enim suo periculo progredi cogitat, populi impetus periculi rationem sui non habet. At aliquando in-
cenditur. Et quidem saepe sedatur. Quod enim est tam de- 24.

---

futura federa 10. furiose dare Vd. ac spe ulla bona furore potuit reddere W. — inflammatus A B E Gd. 2. 11. cum deterioribus paene omnibus, etiam Dr. 1. 2. inflammatis 58. 65. 96. W. — auxilii Gd. 2. E, quibus accedunt Dr. 1. 2. Cr. W. et s. f. s. β γ. auxilium A (ex. corr.) B D α 11. 39. 58. 65. 96.

X. §. 23. uituperari potest coniectura mea expressa ex mendis codd. meliorum E (uituperet est), B (uituper est), Gd. 2. δ (uituperet); deteriorum plerique: uituperabilis (α β 58. 96. D Cr. W. duo Goerenzii, in quibus est Dr. 2, El. Harl. 1. 2. Med. A 11. 65.). uituperatio est γ. uituperio est Dr. 1. M. uituperamus 39. — ego enim fateor codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 2. ego — inesse fateor γ 10. 39. M. Dr. 1. Gd. 1. — multo saeuior multoque ueh. codd. meliores (E senior pro saeuior) et s. f. s. α 10. 58. W. multo seuerior multoque ueh. Dr. 2. D Cr. β. multoque seuior multo uehementior 39. 65. 96. Vd. Gd. 1. Dr. 1. multaque senior multaque ueh. M. multo uehementior multoque seuior γ Br. Cass. — quod habet codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 1. cum habet α 10. Dr. 2. quom habet 39. — suo periculo codd. omnes praeter β et γ, in quibus coniectura tentata est, olim iam a Mosero proposita et ab Orellio Bakioque probata, suo se.

speratum collegium, in quo nemo e decem sana mente sit? Quin ipsum Ti. Gracchum non solum *neglectus, sed etiam sublatus intercessor *strauit. Quid enim illum aliud perculit, nisi quod potestatem intercedendi collegae abrogauit? Sed tu sapientiam *maiorum in illo uide. Concessa plebi a patribus ista potestate arma ceciderunt, restincta seditio est, inuentum est temperamentum, quo tenuiores cum principibus aequari se *putarent: in quo uno fuit ciuitatis salus. At duo Gracchi fuerunt. Et praeter eos quamuis enumeres multos licet; cum deni creantur, *nonnullos in omni memoria reperies perniciosos tribunos, leues, etiam non bonos fortasse plures. Inuidia quidem summus ordo caret; plebes de suo iure periculosas contentiones nullas facit.
25. Quamobrem aut exigendi reges non fuerunt, aut plebi re, non uerbo danda libertas: quae tamen sic data est, ut multis *praeclaris institutis adduceretur, ut auctoritati principum cederet.

---

§. 24. Quin ipsum codd. meliores cum pluribus deteriorum (Dr. 1. Br. Vd. Gd. 1. Cass. Pal. 3. 4. Ball. Harl. 2. et s. f. s. β 10. 39. M.). quin per ipsum Dr. 2. D Cr. W. 58. 96. αγ aliquot Goer. et Dau. — neglectus Manutii coni. expressa ex mendo nectus (ABEγ Par. Gd. 1. et s. f. s. 10. 58.) uel nectis δ Gd. 2. uetitus αβ 39. 96 Vd. Dr. 2. D. ueritus Dr. 1. — strauit coniect. mea expressa ex codicis arch. mendo fuerat, quod tenent codd. meliores cum deterioribus paene omnibus. forat 10. seruerat Br. seruauerat Vd. Pal. 4. — sapientiam AB Gd. 2. sapientia E 11. 65. cum deterioribus. — maiorum in illo Aldi Manutii coni. Codices omnes: maiori nihilo. — putarent coni. ab Ernestio inde uulgata. Codices omnes: putarint. — creantur codd. meliores cum deterioribus paene omnibus. creamur 11. creentur M. crearentur duo Goer. codices ab ipso non nominati. — nonnullos Lambini coni. nullos A 11. 65. cum deterioribus; nullus BEδ Gd. 2.

§. 25. praeclaris institutis mea (progr. p. 22.) Bakiique coniectura. In cod. arch. praeclarissimis [institutis] fuisse, insignis, codicum omnium consensus arguit. — adduceretur coni. a Goer. excerpta ex Cass. et Gd. 2. et probata a Sch. Mos. Or. At in Gd. 2. certe est addiceretur, quod reliqui meliores tenent omnes cum nonnullis deteriorum (Dr. 1. et s. f. s. 58. 96.); deteriorum alii aut aduceretur (Dr. 2. W. 10.), aut adiiceretur (β 39. Cr.), aut adiceretur (γ D M).

XI. Nostra autem causa, quae optime et dulcissime
frater, incidit in tribuniciam potestatem, nihil habuit conten-
tionis cum tribunatu. Non enim plebes incitata nostris rebus
inuidit, sed uincula soluta sunt et seruitia incitata adiuncto
terrore etiam militari. Neque nobis cum illa tum peste cer-
tamen fuit, sed cum grauissimo rei publicae tempore, cui
si non cessissem, non diuturnum beneficii mei patria fructum
tulisset. Atque hoc rei exitus indicauit. Quis enim non mo-
do liber, sed etiam seruus libertate dignus fuit, cui nostra
salus cara non esset? Quod si is casus fuisset rerum, quas 26.
pro salute rei publicae gessimus, ut non omnibus gratus es-
set, et si nos multitudinis furentis inflammata inuidia pepu-
lisset, *tribuniciaque uis in me populum, sicut Grac-
chus in Laenatem, Saturninus in Metellum, incitasset: fer-
remus, o Quinte frater, consolarenturque nos non tam
philosophi, qui Athenis fuerunt, qui hoc facere debent, quam
clarissimi uiri, qui illa urbe pulsi carere ingrata ciuitate,
quam manere in improba maluerunt. Pompeium uero quod
una ista in re non ita ualde probas, uix satis mihi illud ui-
deris attendere, non solum ei, quid esset optimum, uiden-

XI. cum illa tum peste ABE 11. 65. cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. 2. cum illa tempeste Gd. 2. δ. cum illa tempestate γ 10. 39. Cass. Gd. 1. OxE. — cui si non cess. deteriorum plerique, etiam Dr. 1. 2. non om. A Gd. 2. 11. 65. ψ. si non om. BE δ Br. Vd. 58. cum cessissem Cass. cui concessine M. Gd. 1. OxE. 39. γ. — sed etiam deteriores ad unum fere omnes. sed et Gd. 1. sed [etiam] Vd. sed etiam om. codd. meliores cum Br.

§. 26. et si nos BE δ Gd. 2. cum nonnullis, ut uidetur, deteriorum, etiam Dr. 1. et si in nos A 11. 65. 39. 58. 96. Dr. 2. D α. — multitudinis furentis inflammata AE δ Gd. 2. 11. 65. fuerent his inflammata B. Melioribus num omnes Goerenzii codices accedant excepto Dr. utroque, id quod ipse tradidit, uehementer dubito. Deteriorum plerique, etiam Dr. 1. 2: multitudinis uis furentis; mult. uis ferretis γ 39. — tribuniciaque uis Goerenzii coni. expressa ex mendo codd. meliorum (ABE Gd. 2.): tribunicia quis; deteriorum plerique: tribunicia qui (Dr. 1. 2. D Cr. β γ ψ), aut tribunicia qui si (Vd. Gd. 1. Ox. EM.). Dauisii quoque codd. istorum aliquid tenent. tribuniciaque W. tribunitiaque quae α. Errorem Bakius admisit, cum in omnibus Lago-Mars. codicibus esse dicit, quod Turnebus demum coniecit: si tribunus aliquis. —

dum fuisse, sed etiam, quid necessarium. Sensit enim deberi non posse huic ciuitati illam potestatem: quippe quam tantopere populus noster ignotam expetisset, qui posset carere cognita? Sapientis autem ciuis fuit, causam nec perniciosam et ita popularem, ut non posset obsisti, perniciose populari ciui non relinquere. Scis solere, frater, in huiusmodi sermone, ut transiri alio possit, dici admodum aut prorsus ita est. Q. *Haud equidem assentior, tu tamen ad reliqua pergas uelim. M. Perseueras tu quidem et in tua uetere sententia permanes. Att. *Nec mehercule ego sane a Quinto nostro dissentio. Sed ea, quae restant, audiamus.

27. XII. M. Deinceps igitur omnibus magistratibus auspicia et iudicia dantur: iudicia, ut esset populi potestas, ad quam prouocaretur; auspicia, ut multos inutiles *comitiatus probabiles impedirent morae; saepe enim populi impetum iniustum auspiciis dii immortales represserunt.

Ex iis autem, qui magistratum ceperunt, quod senatus efficitur, populare *est sane neminem in summum locum, nisi per populum uenire sublata cooptatione censoria. Sed praesto est huius uitii temperatio, quod senatus lege nostra
28. confirmatur auctoritas. Sequitur enim: *eius decreta rata sunto.* Nam ita se res habet, ut, si senatus dominus sit publici consilii, quodque is creuerit, defendant omnes, et si ordines reliqui *principis ordinis consilio rem publicam

---

Haud equidem coni. pridem uulgata, quam nescio, num recte ex Bakii silentio colligas esse in codd. $\beta\gamma$ D. In cod. enim arch. fuisse aut equidem, meliorum deteriorumque codicum (α 10. 39. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. M.) consensu confirmatur. — Nec mehercule Maduigii Bakiique coni. nunc meh. A B E Gd. 2. 11. 65. 58. non meh. deteriores paene omnes, etiam Dr. 1. nam meh. Dr. 2.

XII. §. 27. comitiatus correctio pridem uulgata. Codices fere: comitatus; comitatis 96. concitatus 39. — ex iis autem Dr. 2. Cr. W. et s. f. s. $\beta\gamma$ 39. 58. 96. ex his A B Gd. 2. 10. 11. 65. ex hiis α E M. — senatus eff. codd. meliores itemque Br. Vd.; deteriores, etiam Dr. 1. 2: senatus consulto (consultu γ 10. M.) — populare est uerissima Turnebi coni. immerito spreta a reliquis. Codices omnes: popularem.

§. 28. principis ordinis correctio pridem uulgata; codices:

gubernari uelint, possit ex temperatione iuris, cum potestas in populo, auctoritas in senatu sit, teneri ille moderatus et concors ciuitatis status, praesertim si proximae legi parebitur. Nam proximum est: *Is ordo uitio careto, ceteris specimen esto.* Q. Praeclare uero, frater, ista lex; sed *et late patet, ut uitio careat ordo, et censorem *quaerit interpretem. Att. Ille uero esti tuus est totus ordo gratissimam- 29.
que memoriam retinet consulatus tui, pace tua dixerim, non modo censores, sed etiam iudices omnes potest defatigare.

XIII. M. Omitte ista, Attice. Non enim de hoc senatu, nec his de hominibus, qui nunc sunt, sed de futuris, si qui forte his legibus parere uoluerint, haec habetur oratio. Nam cum omni uitio carere lex iubeat, ne ueniet quidem in eum ordinem quisquam uitii particeps. Id autem difficile factu est, nisi educatione quadam et disciplina; de qua dicemus aliquid fortasse, si quid fuerit loci aut temporis. Att. Locus certe non deerit, quoniam tenes ordinem legum: 30.
tempus uero largitur longitudo diei. Ego autem, etiamsi praeterieris, repetam a te istum de educatione et de disciplina locum. M. Tu uero et istum, Attice, et si quem alium *praeteriero. *Ceteris specimen esto.* Quod si *tene-

---

principes ordines. — ista lex. Est, quod post Lambinum post legis uocabulum uulgatum est, cod. nullus habet — sed et late patet Manutii coniectura, quam eandem Turnebus proposuerat, modo quod hic sed omiserat. sed et laterat (eclaterat A) et ut ABEGd.2.δ11, quibus prope accedunt 39.65. (se declarat et ut); deteriorum plerique (Dr.1.Cr.W.M.D 39.58. α plures Goer. et Dan.): sed et altera ut et. s̃ ut altera ut et 10. [sed] et altera et ut 96. sed altera ut et Dr.2.Vd.Br. sed et late patet altera ut βγ. — et censorem quaerit Turnebi coni. Codd. meliores ABEδGd.2. itemque α: et censorem quaerat; deteriorum plerique: et ut censorem quaerat (D Cr. W.M.Dr.1.2.11. 39.58.96.). ut cens. quaerat βγ 10, si fides silentio est.

§. 29. etsi tuus est totus BEGd.2.11.65. cum plerisque deteriorum (Dr.1.2.Cr.W.M.D Br.58.96.β). etsi tuus totus est A et s. f. s. α10.39. etsi totus tuus est Cass. Gd.1.

XIII. quisquam codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr.1.2. unquam codd. aliquot Goerenzii ab ipso non nominati. unquam quisquam βγ.

mus, tenemus omnia. Ut enim cupiditatibus principum et
uitiis infici solet tota ciuitas: sic emendari et corrigi continen-
tia. Uir magnus et nobis omnibus amicus, L. Lucullus, fe-
rebatur, quasi commodissime respondisset, cum esset ob-
iecta magnificentia uillae Tusculanae, duos se habere uicinos,
superiorem equitem romanum, inferiorem libertinum; quo-
rum cum essent magnificae uillae, concedi sibi oportere, quod
iis, qui *inferioris ordinis essent, liceret. Non uides,
Luculle, a te id ipsum natum, ut illi cuperent? quibus id,
31. si tu non faceres, non liceret. Quis enim ferret istos, cum
uideret eorum uillas signis et tabulis refertas, partim publi-
cis, partim etiam sacris et religiosis? Quis non frangeret
eorum libidines, nisi illi ipsi, qui eas frangere deberent, cu-
piditatis eiusdem tenerentur?

---

§. 30. praeteriero, Ceteris coniectura mea. praeteris duobus uocabulis in unum conflatis ABE Gd. 2. cum duobus Goer. codd. ab ipso non nominatis; deteriores uel praeterii [ceteris] (β 10. 39. 96. Dr. 1. W. M. itemque δ.) uel [praeterii] ceteris (Dr. 2. Cr. et s. f. s. α 10. 58. D). praetii ceteris (in marg. praeterii) γ. — quod si tenemus Bakii coniectura probabilior, quam quae adhuc uulgata est quod si est, licet ea tentata iam sit in cod. β (quod si est sic). quod si tenemus AB δ Gd. 11; deteriorum plerique: quod sic tenemus (W. M. Dr. 1. 2. 39. 58. 96. α). quid sic tenemus 10. quod (superscr. quia) sic est qui tenemus γ. quod sic teneamus E. — quasi commodissime respondisset codd. meliores itemque Cr. W. Dr. 1. plures Goer. et s. f. s. 58. 96. quasi commodissime respondisse αβγ 10. 39. Cass. Par. Ball. Harl 2. quam comm. respondisse 39. D Harl. 1. Med. Dr. 2. — duos E Gd. 2. cum deteriorum plerisque (βγ 10. 39. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. M. plerisque Goer.). duo AB cum duobus Goer. — quod iis AE cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 2. is his Dr. 1. is B. his Gd. 2. M. Br. Vd. Uff. — inferioris coni. a Uict. Lamb. Dau. expressa et tentata iam in Dr. 1, quae commendatur mendo codd. meliorum AB Gd. 2. 11. 65: interioris, quod idem est in 10. 39. M. Par. Harl. 2. in marg. tenuioris deteriorum plerique, etiam Dr. 2.

§. 31. qui eas codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. 2. Ex Bakii silentio dubito num recte colligas, in codd. βγ 10. 39. 58. 96. D eas deesse. — cupiditatis eiusdem codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. cupiditate 10. cupiditatibus 39. 96.

XIV. Nec enim tantum mali est peccare principes,
quamquam est magnum hoc per se ipsum malum, quantum
illud, quod permulti imitatores principum exsistunt. Nam
licet uidere, si uelis replicare memoriam temporum, quales-
cumque summi ciuitatis uiri fuerint, talem ciuitatem fuisse:
quaecumque mutatio morum in principibus exstiterit, eam-
dem in populo secuturam. Idque haud paullo est uerius, 32.
quam quod Platoni nostro placet, qui musicorum cantibus ait
mutatis mutari ciuitatum status. Ego autem nobilium uita
uictuque mutato mores mutari ciuitatum puto. Quo pernicio-
sius de re publica merentur uitiosi principes, quod non so-
lum uitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem, ne-
que solum obsunt, quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod
corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato nocent. At-
que haec res dilatata in ordinem cunctum coangustari etiam
potest; pauci enim atque admodum pauci honore et gloria
amplificati uel corrumpere mores ciuitatis uel corrigere pos-
sunt. Sed haec et nunc satis et in illis libris tractata sunt
diligentius. Quare ad reliqua ueniamus.

XV. *Proximum est autem de suffragiis: quae iu- 33.
beo nota esse optimatibus, populo libera. Att.
Ita mehercule attendi, nec satis intellexi, quid sibi lex, aut
quid uerba ista uellent. M. Dicam, Tite, et uersabor in

XIV. fuerint ABE Cr. M. Vd. Dr. 1. 2. Par. et s. f. s. $\beta\gamma$ 39. 96. fuerit Br. fuerunt Gd. 2. $\alpha\delta$ D W. 10. 58. — secuturam codd. meliores (securam B) cum deterioribus paene omnibus, etiam Dr. 1. 2. consecuturam 10. secuturum β. Codex nullus, quod equidem sciam, habet secutam, quod post Steph. Man. Dauisium omnes ediderunt.

§. 32. quod ipsi codd. meliores cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. ipsi quod D Br. Vd. Cr. ipsi quia Dr. 2. — in illis codd. meliores cum nonnullis deterioribus (Dr. 2. M. β). [in] illis D 58. 96. in aliis $\alpha\gamma$ 10. 39. Cr. W. Dr. 1. Gd. 1. Oxx. E U.

XV. §. 33. proximum est autem Sic Steph. et Manut. de coniectura, quae denuo probata est a Bakio quaeque commendatur mendo codicis archetypi proximus autem est, quod praestant Bakii codd. omnes excepto D (proximum autem est) itemque Gd. 2. Dr. 1. 2. Dau. Mos. Goerenzius nihil h. l. de suis codicibus prodiderunt. Nimirum proximus natum est ex proximūst, quo de-

re difficili ac multum et saepe quaesita, suffragia in magistratu mandando *ac de reo iudicando *atque in lege aut rogatione *sciscenda clam, an palam ferre melius esset. Q. An etiam id dubium est? Uereor, ne a te rursus dissentiam. M. Non facies, Quinte. Nam ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio, nihil ut fuerit in suffragiis uoce melius, sed obtineri an possit, uidendum est.
34. Q. *Atqui, frater, bona tua uenia dixerim, ista sententia maxime et fallit imperitos et obest saepissime rei publicae, cum aliquid uerum et rectum esse dicitur, sed obtineri, id est, obsisti posse populo negatur. Primum enim obsistitur, cum agitur seuere; deinde ui opprimi in bona causa est melius, quam malae cedere. *Quis autem non sentit omnem auctoritatem optimatium tabellariam legem abstulisse? quam populus liber numquam desiderauit, idem oppressus dominatu ac potentia principum flagitauit. Itaque grauiora iudicia de

---

deprauato est tertio denuo loco additum est. — in mag. codd. meliores cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr.1.2. in om. Vd. Cass. Gd.1. — ac de reo iudicando coniectura mea; codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr.1.2: an de reo iudicando; aut de reo iud. 10. Praepositio in quibusdam Goerenzii codicibus deesse dicitur. — atque in lege coniect. mea expressa ex mendo codicis archetypi: qui in lege, quod tenent Gd.2. δE cum deterioribus omnibus. quim-lege AB. — sciscenda coniect. post Steph. uulgata et a Bakio ex codd. β et γ excerpta. Ex Vd. et Br. Goerenzius nesciendа excerpsit; a reliquis codd. omnibus participium abest, ut a cod. arch. id iam abfuisse certum sit. — clam, an palam coni. pridem uulgata. Codd. meliores itemque 39: clamant palam; deteriores fere: clamatpalam (clamet ferre palam α 10.). — possit coniect. pridem uulgata. Codd. paene omnes: possunt (possint 10. 96.).

§. 34. atqui coniect. mea, quam eandem Halmius proposuit mea nondum cognita disputatione. Codd. meliores itemque Dr. I. M. aliquot Goerenzii: quia frater; deteriorum plerique: quare frater (Dr. 2. Cr. W. D Vd. 10. 39. 58. 96. $\beta\gamma$.) — sed obtineri α 39. 58. 96. Cr., si fides silentio est. sed obtinere A B E Gd. 2. D. Dr. 1. 2. W. β. et obtineri γ. et obtinere 10. M. — quis autem coniect. post Man. Lamb. Dau. uulgata; codd. omnes: qui autem. — sentit A E Gd. 2. 10. 39. 58. 96. D Dr. 1. 2. Cr. W. Ex Bakii silentio num recte colligas, sentitur esse in codd. B I I. 65. $\alpha\beta\gamma$, equidem dubito.

potentissimis hominibus exstant *uocis, quam tabellae.
Quamobrem suffragandi nimia libido in non bonis causis eri-
pienda fuit potentibus, non latebra danda populo, in qua
bonis ignorantibus, quid quisque sentiret, tabella uitiosum
occultaret suffragium. Itaque isti rationi neque lator quis-
quam est inuentus nec auctor umquam bonus.

XVI. Sunt enim quatuor leges tabellariae, quarum 35.
prima de magistratibus mandandis. Ea est Gabinia, lata ab
homine ignoto et sordido. Secuta biennio post Cassia est
de populi *iudiciis, a nobili homine lata, L. Cassio, sed,
pace familiae dixerim, dissidente a bonis atque omnes rumu-
sculos*populari ratione aucupante. Carbonis est tertia de iu-
bendis legibus ac uetandis, seditiosi atque improbi ciuis, cui
ne reditus quidem ad bonos salutem a bonis potuit afferre.
Uno in genere relinqui uidebatur uocis suffragium, quod ipse 36.
Cassius exceperat, perduellionis. Dedit huic quoque iudicio
C. Coelius tabellam doluitque, quoad uixit, *se, ut opprimeret
C. Popilium, *nocuisse rei publicae. Et auus quidem

— uocis correctio commendata a Turnebo, expressa a Man Lamb. Goer. reliquis, quam ex Vd. et Gd. 1. excerpsit Goer. In cod. arch. fuisse uoces codicum meliorum cum deteriorum longe plerisque (etiam Dr. 1. 2.) consensus confirmat.

XVI. §. 35. iudiciis Bakii coniect. expressa ex mendo codicum meliorum iudicio is a nob. (AB). iudicio his a (Gd. δ), iudicio hiis a (E), iuditio is a (11. corr. ista); unde non longe discedunt β 39. 58. 65. 96. W. Dr. 2. (iudicio ista a), Cr. (iudicio ista [a] nobis), Dα (iudicio ista ab). Goerenzio, qui iudiciis in Cass. esse dicit, num fides habenda sit, dubito. ea a nobis γ Dr. 1. et a nob. 10. Est autem post lata, quod olim uulgabatur, in cod. arch. non fuisse, insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. — populari ratione codd. omnes, modo quod in 11. 65. est populi ratione.

§. 36. C. Coelius. Praenomen, quod a plurimis codicibus, etiam a Gd. 2. E Dr. 1. 2. abest, primus recte restituit Goerenzius ex Br. Idem esse ex Bakii silentio conieceris in AB 11. 65. βγ. — doluitque codd. meliores, itemque Br. Vd.; deteriores: docuitque. — se ut oppr. coni. post Car. Steph. uulgata. In cod. arch. fuisse sed ut, insignis meliorum deteriorumpue codicum consensus confirmat. se sed ut βγ. — C. Popilium coni. post Car. Steph. uulgata. Codd. meliores cum α et β: C. populum; deteriorum plerique:

noster singulari uirtute in hoc municipio, quoad uixit, restitit M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem, auiam nostram, habebat, ferenti legem tabellariam; excitabat enim *fluctus in simpulo, ut dicitur, Gratidius, quos post filius eius Marius in Aegaeo excitauit mari. Ac nostro quidem, cum res esset ad se delata, *M. Scaurus consul, †Utinam, inquit, M. Cicero, isto animo atque uirtute in summa re publica nobiscum uersari, quam in munici-
37. pali maluisses! Quamobrem, quoniam non recognoscimus nunc leges rei publicae romanae, sed aut repetimus ereptas aut nouas scribimus, non quid hoc populo obtineri possit, sed quid optimum sit, tibi dicendum puto. Nam Cassiae legis culpam Scipio tuus sustinet, quo auctore lata esse dici-

---

Coelius populum (γ 11. 39. 58. 65. 96. D Dr. 1. 2. Cr. W M.). — nocuisse rei p. de Danisii coni. Goer. reliqui. nocuissent A B δ Gd. 2. 11. 65. nocuisset E Par., quorum alterum utrum in Goerenzii quoque codicibus Vd. Br. Uff. Dr. 2. esse dicitur; sed de Dr. 2. certe errat. nocuisset et γ M. Deteriorum plerique: nocuit et reip. (β D Dr 1. 2. Cr. W. et procul dubio α 39. 58. 96, licet ex discrepantia a Bakio excerpta collegeris in his esse nocuit reip. — fluctus de coni. Hier. Ferrarii Turnebus, reliqui; codd. omnes: fletus. — filius eius Marius codd. meliores praeter 11. 65, in quibus Marius omissum est, cum deterioribus omnibus. — ac nostro quidem cum de Manutii coniectura Ern. reliqui. Codices: ac nostro quidem (quid 39. Dr. 2.) qui quum. — M. Scaurus Bakii coniectura expressa ex mendo codicum B E Gd. 2. δ: delatam. Scaurus; reliqui: delata. Scaurus. — utinam correctio pridem uulgata; in cod. enim arch. uidetur fuisse utinamque, quod omnes Bakii codices, Gd. 2. Cr. W. M. Dr. 1. 2. tenent, itemque Danisius esse dicit in Med. Par. aliis; Goerenzio autem, qui utinamque in quatuor tantum codicibus recentioribus esse tradit, fides non est habenda. Unde consultius esse puto efficere utinam quidem, quam particulam que simpliciter omittere.

§. 37. rei pub. rom. E δ Gd. 2, quibus accedunt γ Oxx. E. ψ Dr. 1. et tres praeterea Goer. codd.; populi romani AB 11. 65. cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 2. — non quid A B E Gd. 2. num quid 10. M. non quod α β 11. 39. 65. 96. Dr. 1. 2. D Cr. W. — hoc populo ABE δ Gd. 2; deteriores aut ab hoc populo (α β 39. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. D Cass. Harl. 1. 2. Med. Ball.) aut a populo (γ 10. 11. 65. M. Gd. 1. Par.).

tur. Tu si tabellariam tuleris, ipse praestabis; nec enim mihi placet nec Attico nostro, quantum e uultu eius intelligo.

XVII. Att. Mihi uero nihil umquam populare placuit, eamque optimam rem publicam esse dico, quam hic consul constituerat, quae sit in potestate optimorum. M. Uos *quidem, ut uideo, legem antiquastis sine tabella. Sed ego, 38. etsi satis dixit pro se in illis libris Scipio, tamen istam libertatem *ita largior populo, ut auctoritate et ualeant et utantur *boni. Sic enim a me recitata lex est de suffragiis: *Optimatibus nota, plebi libera sunto.* Quae lex hanc sententiam continet, ut omnes leges *tollat, quae postea latae sunt, quae tegunt omni ratione suffragium: ne quis inspiciat tabellam, ne roget, ne appellet. Pontes etiam lex

---

XVII. dico codd. omnes. — in potestate A E δ Gd. 2. cum deteriorum plerisque (Cr. W. Dr. 1. 2. D Cass. 10. 39. 58. 96. Oxx. E ψ). in potestatem M. itemque, si fides ei habenda est, plures Goerenzii.

§. 38. uos quidem de Turnebi coniectura, quae nititur mendo codd. meliorum E δ Gd. 2. uos dem, Manutius; reliqui cum plerisque deteriorum, ex quibus correcti sunt A B 11. 65: uos demum. Alio modo tentata correctio est in γ 10. M. Gd. 1. Cass. Oxx. E U. (uos item). — istam libertatem ita largior de Goerenzii coniectura Sch. Mos. Or. istam libertatem istam E. ista (istam Br. Gd. 1. Cass.) libertatem ista δ Gd. 2. Br. Gd. 1. Cass. tamen . . . . libertatem istam A. tamen in alibertatem istam B. in istam libertatem istam Oxx. E U. Deteriorum plerique: tamen libertatem istam largior (Cr. W. D 10. 58. 96. Dr. 1. α — in istam Dr. 2.). tamen libertatem libenter largior 39. libertatem ita largior β. in istam lib. ita istam largior γ. — ut auct. et ualeant codd. meliores, (modo quod in E est in auct. et.) quibus suffragari dicuntur Br. Vd. Deteriorum plerique; ut et auct. ual. (α 39. 58. 96. Cr. W. M. Dr. 1. D 10. — sed in hoc ualeat). ut ex auct. ual. Dr. 2. ut ex auct. et ual. Cass. ut et auctoritate et ual. β. — boni correctio pridem uulgata; codd. omnes: bonis. — recitata lex est codd. meliores cum plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. recitata est lex α 39. M. Gd. 1. Dr. 1. — tollat correctio tentata in codd. γ 10. M. Gd. 1. Ox. E, cui suffragantur codd. B E δ Gd. 2. (tollet). In codd. A 11. 65. et in plerisque deteriorum, etiam Dr. 1. 2. tentata correctio est tolleret, quam Lambino excepto reliqui susceperunt.

39. Maria fecit angustos. Quae si opposita sunt ambitiosis, ut sunt fere, non reprehendo; sin ualuerint *tantum leges, ut ne sint ambitus, habeat sane populus tabellam quasi uindicem libertatis, dummodo haec optimo cuique et grauissimo ciui ostendatur ultroque offeratur, ut *in eo sit ipso libertas, in quo populo potestas honeste bonis gratificandi datur. Eoque nunc fit illud, quod a te modo, Quinte, dictum est, ut minus multos tabella condemnet, quam solebat uox, quia populo licere satis est. Hoc retento reliqua uoluntas auctoritati aut gratiae traditur. Itaque, ut omittam largitione corrupta suffragia, non uides, si quando ambitus sileat, quaeri in suffragiis, quid optimi uiri sentiant? Quamobrem lege nostra libertatis species datur, auctoritas bonorum retinetur, contentionis causa tollitur.

40. XVIII. Deinde sequitur, quibus ius sit cum populo agendi aut cum senatu. Grauis et, ut arbitror, praeclara lex: **Quae cum populo quaeque in patribus agentur, modica*

---

§. 39. tantum. In cod. arch. fuisse uidetur tamen, quod est in codd. melioribus praeter 11. (tam) omnibus, et deterioribus, si minus omnibus, at certe plerisque. Bakius enim id ex omnibus codd. excerpsit, estque idem in W. Oxx.E ψ et in Dr.1.2, licet Goer. id tantum esse dixerit in Cass. Gd.1.2. — ut ne sint deteriorum plerique, etiam Dr.1.2. sit ambitus 10; meliores: ut ne sim ambitus (Gd. 2. ambiens). — ut in eo sit Turnebi, ut uidetur coniectura, quae mendo confirmatur codd. meliorum ABEδGd.2: ut ine, quibus deteriorum nonnulli uel plane suffragantur (M.Gd.1 Oxx.EU et s. f. s. γ), uel prope accedunt (utine sit 10. uti et sit 11.39.58. 65.), idemque mendum, quod est in melioribus, in S.Uict. puto fuisse, in quo ut in eo sit esse testatur Gruterus. uti sit βDr.1.2. Br. Cr. W.Vd. ψ. uti si D. ut sit β. — ipso libertas, in quo ABE δGd.2. itemque 10. M; deteriores aut: ipsa (ista α) libertas, in qua (α 11. 33. 58. 65. 96. Dr. 2. Cr. W. plures Dau.), aut: ipsa libertas, in quo (Dr. 1. Br. Vd. D ψ.). — auctoritas bonorum. Hunc uerborum ordinem insignis meliorum deteriorumque codicum consensus confirmat.

XVIII. §. 40. quae cum populo. Desunt haec uerba in codd. melioribus, itemque in deterioribus Bakii et Moseri, in Dr. 1. 2. Oxx. EU et in quinque Goerenzii, ut a cod. arch. ista iam abfuisse certum sit. Coniectura igitur est, quam Goer. excerpsit ex Vd. et ψ (quaeque cum populo). — agentur codd. meliores cum dete-

sunto, id est, modesta atque sedata. Actor enim moderatur et fingit non modo mentem ac uoluntates, sed paene uultus eorum, apud quos agit. Quod *nisi in senatu non difficile est; est enim ipse senator is, cuius non ad *actorem referatur animus, sed qui per se ipse spectari uelit. Huic iussa tria sunt: ut adsit; nam grauitatem res habet, cum frequens ordo est; ut loco dicat, id est, rogatus; ut modo, ne sit infinitus; nam breuitas, non modo senatoris, sed etiam oratoris magna laus est in sententia. Nec est umquam longa oratione utendum, nisi aut peccante senatu, quod fit ambitione saepissime nullo magistratu adiuuante tolli diem utile est, aut cum tanta causa est, ut opus sit oratoris copia uel ad hortandum uel ad docendum. Quorum generum in utroque magnus noster Cato est. Quodque addit: *causas po- 41.
puli teneto*, est senatori necessarium nosse rem publicam;

rioribus Bakii omnibus, Oxx. EU Dr. 1. 2. habent aguntur; ut hoc in cod. arch. fuisse ueri simile sit nec scripturae discrepantiam diligenter a reliquis enotatam. — actor coni. pridem uulgata, quam ex Bakii silentio esse collegeris in A et 10; auctor BEδGd. 2. 11. 65. cum deteriorum longe plerisque ($\alpha\beta\gamma$39. 58. 96. Cr. W. M. Dr. 1. Oxx. E U.), ut hoc in cod. arch. fuisse certum sit. — moderatur codd. meliores cum pluribus deteriorum, etiam Dr. 2. et moderatur βDr. 1. Br. Gd. 1. Oxx. EU. et moderator α10. M. — quod nisi in sen. coniectura mea. Codices: quod si in senatu; et si in quoquam omissa sit particula si, id errori tribuendum est, quemadmodum mox non ante difficile errore praetermissum est in cod. 10. — difficile est; est enim. Duplicem uocem est praestant plerique deteriorum (10. 39. 58. 96. Cr. W. M. Dr. 1. 2.); abest alterum est a melioribus. Num idem a codd. $\alpha\beta\gamma$D abesse recte ex Bakii silentio collegeris, equidem dubito. — ipse senator codd. meliores itemque Dr. 2. Cr. et s. f. s. $\alpha\beta$39. 58. 96. D. ipse om. γ10. Dr. 1. W. — ad actorem Turnebi coniectura; nam in melioribus est: ab auctorem; ad auctorem deteriorum plerique, etiam Dr. 1. 2. ab auctore γ-M. ad auctoritatem αW. ad auditorem 58. — nisi aut peccante Cr. Dβ, modo quod in hoc utroque spectante est. nisi ut peccante ABEδGd. 2. Dr. 1. et s. f. s. γ10. nisi ut spectante W. 11. 65. 96. α. ut spetente (corr. petente) 58. ut potate M. nisi spectante Dr. 2. 39. — quorum generum in utroque A 11. 65. cum deterioribus paene omnibus. quorum in utroque generum E. quorum [generum] in utroque Gd. 2. δ. genere in utroque β.

idque late patet: quid habeat militum, quid ualeat aerario, quos socios res publica habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, conditione, foedere, tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla maiorum. Uidetis iam genus hoc *omne scientiae, diligentiae, *memoriae esse, sine quo paratus esse senator nullo pacto potest.
42. Deinceps sunt cum populo actiones; in quibus primum et maximum: *uis abesto.* Nihil est enim exitiosius ciuitatibus, nihil tam contrarium iuri et legibus, nihil minus *et ciuile et humanum est, quam composita et constituta re publica quidquam agi per uim. Parere iubet intercessori: quo nihil *praestantius; impediri enim bonam rem melius, quam concedi malae.

XIX. Quod uero *actoris iubeo esse fraudem, id

---

§. 41. omne correctio necessaria, *tentata* iam, si fides silentio est, in W. α 96. Codd. meliores cum plerisque deteriorum: omnes (Dr. 1.2. Cr. 10. 39. 58. β). omnis γ D M. — memoriae coni. post Stephanum uulgata. memoria est ne (de All.) quo All. δ E Gd. 2. memoria esse nequo 10. memoriam esse sinequo α β 39. 58. D Dr. 2. Cr. W. Alterum utrum Goerenzii quoque codd. tenent.

§. 42. et legibus. Nemo discrepantiae quicquam excerpsit praeter Moserum, qui in Copp. Uictt. ac esse dicit. Nec ego discrepantem scripturam reperi in Dr. 1.2; cumque in Gd. 2. e legibus sit, errorem a Bakio commissum esse auguror, qui ac edidit et discrepantem scripturam et tantum ex codd. 10. et 39. enotauit. Ac fortasse fuit in codd. All. 65. nec in alio ullo. — nihil minus et ciuile et humanum est Sic scripsi ex uestigiis codicum E δ (nihil minus e ciuile est humanus) et Gud. 2. (nihil minus e ciuile est et humanus). Quippe humanus ortum puto ex humanūst, ut § 33. proximus ex proximust. Unde correctione suscepta et mendo uel deleto uel retento nata sunt haec: nihil minus et se ciuile et est humanus γ. nihil minus se ciuile (reliqua non excerpta sunt) Gd. 1. M. nihil minus est ciuile et humanum β. nihil minus ciuile est et humanum A 11. 65. 10. 39. 58. 96. Cr. W. Dr. 1. α. nihil minus ciuile est humanum Dr. 2. nihil minus et ciuile et humanum Br. Vd. (?) — praestantius coni. pridem uulgata. prestius A Gd. 2. δ 11. 65. cum deteriorum longe plerisque, etiam Dr. 2. praescius E Dr. 1. γ. rectius 58.

totum *dixi ex Crassi, sapientissimi hominis, sententia: quem est senatus *consecutus, cum decreuisset C. Claudio consule de *Cn. Carbonis seditione referente, inuito eo, qui cum populo ageret, seditionem non posse fieri, quippe cui liceat concilium, simulatque intercessum turbarique coeptum sit, dimittere. Quod qui permouet, cum agi nihil potest, uim quaerit, cuius impunitatem amittit hac lege. *Sequitur illud: *Intercessor rei malae salutaris ciuis esto.*
Quis non studiose rei publicae subuenerit hac tam praeclara 43.
legis uoce laudatus? Sunt deinde posita deinceps, quae habemus etiam in publicis institutis atque legibus: *auspicia seruanto, auguri parento.* Est autem boni auguris meminisse, maximis rei publicae temporibus praesto esse debere Iouique optimo maximo se consiliarium atque administrum datum, ut sibi eos, quos in *auspicio esse iusserit, coelique partes

XIX. actoris coni. pridem uulgata. actores A E 11. 65. β 39. 58. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. auctores δγ M. auctoritas Gd. 2. — iubeo esse A E δ Gd. 2. et s. f. s. γ 10; deteriorum plerique: iubeo abesse fraude (αβ 11. 39. 58. 65. 96. Dr. 1. 2. Cr. W. D ψ). — dixi coni. necessaria iam in uett. editt. uulgata. Codices omnes: dici. — ex Crassi. Praenomen P., quod a reliquis abest, ex correctione est in codd. β et γ. — senatus secutus codd. deteriores, quibuscum faciunt A 11. 65, nec facere tamen iudico E et δ, cum Gd. 2. habeat: senatus cum secutus; unde, cum idem in Vd. et Br. consecutus reperisse sibi uideretur, in Cass. cum secutus [cum] decr., Goerenzius probabiliter effecit consecutus. — de Cn. Carbonis coniectura a Lamb. Dau. Ern. Mos. expressa, quam parum recte ex codd. 11. 58. 65. 96. excerpsisse Bakius uidetur. In meliorum principe libro fuisse uidetur dign. Carbonis (A Gd 2.), unde ortum est dignum Carbonis (E M.); in deteriorum principe: designato Carbonis (α D Dr. 1. 2. Cr. W. plures Goer.). de Cn. designato β. de Cn. dignum γ. de [Cn.] Carbonis 39. de [Cn. Carbonis] 10. — permouet A cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. 2. permonet E. p̄p̄monet δ. perpremouet Gd. 2. premouet α. permanet 10. — sequitur correctio pridem uulgata, quae nescio num in codd. aliquot sit tentata. Cod. arch.: quitur A D Dr. 1. 2. Cr. W. αβ. quitu E. qui uir Gd. 2. Goer. et Dau., ut saepe, nihil ex suis discrepantiae excerpserunt.

§. 43. meminisse non addito pronomine se codd. meliores cum deterioribus paene omnibus. meminisse se βγ de coniectura.

sibi definitas esse traditas, e quibus saepe opem referre possit. Deinde de promulgatione, de singulis rebus agendis, de priuatis magistratibusue audiendis.

44. Tum leges praeclarissimae de XII tabulis translatae duae: quarum altera priuilegia *tollit, altera de capite ciuis rogari, nisi maximo *comitiatu, uetat. Et nondum *inuentis seditiosis tribunis plebis, ne *malis quidem, admirandum, tantum maiores in posterum prouidisse. In *priuos homines leges ferri noluerunt; id est enim priuilegium: quo quid est iniustius? cum legis haec uis sit, *ut sit scitum et iussum in omnes. Ferri de singulis, *nisi centuriatis comitiis, noluerunt. Descriptus enim populus

— in auspicio correctio pridem uulgata. Cod. arch.: auspicia A D 11. 65. 39. 58. Dr. 1. 2. Cr. W. Oxx. E ψ. hospicia E. ospicia 10. — e quibus codices, quod equidem sciam, omnes. — saepe codd. meliores; deteriores se; β saepe se. — opem referre deteriores paene omnes, etiam Dr. 1. 2. referret saepe opem possit E. opem rei publicae ferre A 11. 65, de coniectura, opinor. opem rei publicae referre βγ. In Gd. 2. (et procul dubio in δ, cuius a Bakio h. l. non facta est mentio) desunt haec: institutis atque legibus — de singulis.

§. 44. tollit correctio iam in uett. editt. uulgata; codd. omnes: tolli. — comitiatu coni. a Stephano inde uulgata; codd. omnes: comitatu. — et nondum. Particulam et praestant codd. meliores itemque Dr. 1. 2. W. Harl. 1. 2. Med. ψ et s. f. s. βγ 58. 96. — inuentis uerissima Turnebi coniectura, pro qua post Goerenzium natis ediderunt. Codd. meliores: intis; deteriorum longe plerique: initis (Cr. W. M. Dr. 2. D αβγ). mitis U. initiis Dr. 1. ψ. inuiciis 10. — ne malis quidem coniectura mea; antea Lambini coniect. ne cogitatis quidem uulgata est. negotialis quidem E Gd. 2. δ cum plerisque deteriorum (αβγ Cr. W. M. Dr. 1. plerique Goer. — negotiat quidem Dr. 2.), ut hoc in cod. arch. fuisse uideatur. negotiais quidem A. nec agitatis Br. nec agatis Cass. Qua auctoritate nitatur negotiis a Bakio expressum, nescio. — in priuos de Scaligeri et Puteani coni. Dauisius, reliqui; codd. omnes: in priuatos. — uis sit, ut sit scitum et iussum de Rathii coniectura, tentata illa iam in β et γ, Mos. Or. In cod. arch. suspicor fuisse iussit scitum (satum E) est iussum, quod meliores habent cum deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. 2. scitum est [iussum] 96. M. scitum [est iussum] Cass.

census, ordinibus, aetatibus plus adhibet ad suffragium *consilii, quam fuse in tribus conuocatus. Quo uerius in causa 45.
nostra uir magni ingenii summaque prudentia, L. Cotta, dicebat, nihil omnino actum esse de nobis; praeter enim quam quod *omnia illa essent armis gesta seruilibus, praeterea neque tributa capitis comitia rata esse *posse, neque ulla priuilegii. Quocirca nihil nobis opus esse lege, de quibus nihil omnino actum esset legibus. Sed uisum est et uobis, et clarissimis uiris melius, de quo serui et *latrones sciuisse aliquid dicerent, de hoc eodem cunctam Italiam, quid sentiret, ostendere.

XX. Sequitur de captis pecuniis et de ambitu. Quae 46.

---

scitum et iussum 39. — nisi cent. coni. pridem uulgata. Codices paene omnes: si centuriatis; βγ nisi si cent. — consilii coni. a Stephano inde uulgata, quam ex Bakii Moserique silentio esse collegeris in 10. γ M. consilii (aux over con) α.* ad suffragium si inquam EδGd. 2. silii A corr. auxilii, quod est in deteriorum plerisque, etiam Dr. 1. 2.

§. 45. magni ingenii AE 11. 65. Dr. 2. et s. f. s. W. D 39. 58. 96. αβ. idemque confirmatur mendo codicum δ et Gd. 2. uirgnu ingenii; magnus ingenio γ 10. M. Dr. 1. ψ 6 Goer. magis ingenii Cr. — praeter enim quam quod s. f. s. A. idemque confirmatur mendo praeter enim que quod (Gd. 2. δ); deteriores: praeter [enim] quam quod (α 10. 11. — hic ex corr. — 39. 58. 96. Dr. 1. 2. D Cr. W. Cass.), praeter quam enim β 65. — omnia mea Halmiique coniectura; ante uulgatum est comitia, quod est in W. 96. amicta EδGd. 2. γ 10. itemque A, sed cum corr. amicitia, quod est in 11. 39. 65. amicicia Dr. 2. aīacia Cr. omnia comitia 58. — posse de Turnebi coni. Man. Lamb. Goer. reliqui; eadem excerpta nunc est a Bakio ex cod. β; reliqui codices: possent. — priuilegii E Gd. 2. δ. priuilegia A (sed corr. ex priuilegii) cum deterioribus, etiam Dr. 1. 2. priuilegie γ. — et uobis AEδGd. 2. 11. 65. cum multis deteriorum, etiam Dr. 1. nobis 10. 39. Dr. 2. W. — serui et Gd. 2. E M. et procul dubio δ. seruiat All. serui atque (acque D) α Dr. 1. 65. — latrones de Turnebi coni. reliqui; codd. paene omnes: patronis; patroni 39. 96. — sciuisse Pron. se, quod post Manutium reliqui addiderunt excerptumque est a Bakio ex βγ 58. (sciuisse se), a cod. arch. abfuisse reliquorum codicum consensu confirmatur.

XX. §. 46. Sequitur A Dr. 1. 2. Cr. W. plures Goer. et s. f. s.

*quoniam magis iudiciis, quam uerbis sancienda sunt, adiungitur: *noxiae poena par esto*, ut in suo uitio quisque plectatur, uis capite, auaritia multa, honoris cupiditas ignominia sanciatur. Extremae leges sunt nobis non usitatae, rei publicae necessariae. Legum custodiam nullam habemus. Itaque eae leges sunt, quas apparitores nostri uolunt; a librariis petimus, publicis literis consignatam memoriam publicam nullam habemus. Graeci hoc diligentius: apud quos νομοφύλακες creantur; nec solum literas, (nam id quidem etiam apud maiores nostros erat) sed etiam facta
47. hominum obseruabant ad legesque reuocabant. Haec detur cura censoribus: quandoquidem eos in re publica semper uolumus esse. Apud eosdem, qui magistratu abierint, edant et exponant, quid in magistratu gesserint; deque iis censores praeiudicent. Hoc in Graecia fit publice constitutis accusatoribus. Qui quidem graues esse non possunt, nisi sunt uoluntarii. Quocirca melius est rationes referri causamque exponi censoribus, integrâm tamen legem accusatori iudicioque seruari.

Sed satis iam disputatum est de magistratibus, nisi forte quid desideratis. Att. Quid? si nos tacemus, locus ipse

---

αγ 39. 58. 96. D. sequid E Gd. 2. δ Br. si quid Vd. sed quod β Gd. 1. sed quid 10. sed [quod] M. Post ambitu quod in cod. arch. fuit legis (E D Cr. W. M. Dr. 1. 2. 10. 11. 39. 65. 96. αβγ — A leges). omisi Goerenzio, Mosero, Orellio, Bakio auctoribus. In Gd. 2. et δ desunt uerba de ambitu — apud maiores nostros erat. quoniam coni. mea; codices: quum. — sancienda deteriores, ut uidetur, omnes. sanciendae A E 11. 65. — sunt E D Dr. 2. Cr. W. M. 10. 11. 39. 58. 65. sint Dr. 1. et s. f s. A; in quo si est, correctum esse inde patet, quod sunt tenent codd. 11. 65. — eae leges sunt A 11. 58. 96. Dr 2. W. ea leges E. heae 65. hae Cr. M. Dr. 1. et s. f. s. 39. D αβγ. hec 10. — nec solum A E 11. (hic nei solum) itemque Dr. 2. Cr. W. et s. f. s. αβ 58. 96. D. nec hi solum Dr. 1. 10. 39. γ. nec ii solum 65.

§. 47. nisi sunt Gd. 2. δ 11. E (hic ni sunt). nisi sint Dr. 2. Cr. W. D 39. 58. 65. 96. α. nisi essent β 10. M. Dr. 1. — legem codd. deteriores; meliores: legi. — si nos tacemus W. plures Goerenzii et s. f. s. D αγ 10. si non tacemus meliores cum multis deteriorum (39. 58.

te non admonet, quid tibi sit deinde dicendum. M. Mihine? de iudiciis arbitror, Pomponi; id est enim iunctum magistratibus. Att. Quid? de iure populi romani, quemadmodum 48. instituisti, dicendum nihil putas? M. Quid tandem hoc loco est, quod requiras? *Att. Egone? quod ignorari ab iis, qui in re publica uersantur, turpissimum puto. Nam, ut modo a te dictum est, leges a librariis *peti: sic animaduerto *plerosque in magistratibus ignoratione iuris sui tantum sapere, quantum apparitores uelint. Quamobrem, si de sacrorum alienatione dicendum putasti, cum de religione leges proposueras, faciendum tibi est, ut magistratibus lege constitutis de *potestatum iure disputes. M. Faciam 49. breuiter, si consequi potuero; nam pluribus uerbis scripsit ad patrem tuum M. Iunius Sodalis perite, meo quidem iudicio, et diligenter. Nos *autem de iure naturae *co-

---

96. Dr. 1. Cr. M. Gd. 1. Oxx. EUψ Par. Harl. 2.) si nos non tacemus β. In Dr. 2. desunt uerba: nisi forte — magistratibus. — ipse te non admonet AEδGd.2.11.65. (hi duo re pro te), itemque Vd. Cass. et s. f. s. γD. ipse tamen admonet Dr. 1. Cr. W. Gd. 1. Oxx. EU. 10. 58. 96. tamen ipseque monet M. tamen ipse admonet α. tamen admones ipse 39. locus non tamen admonet β.

§. 48. peti de Manutii coni. Lamb. Dau. probante Wyttenb. In cod. arch. fuisse lego, insignis meliorum deteriorumque codicum consensus arguit. lego ego sic γ. — animaduerto plerosque coni. in Steph. Man. Lamb. editt. expressa. animaduertorosque Gd. 2. δ. animaduertoresque E. Deteriorum plerique; animaduerto quosque (Cr. Dr. 1, 2. W — sed hic quoque — plurimi Dauisii, et s. f. s. A 11, 65. 39. 58. 96. D α — sed hic animaduertor). animaduertor hosque Par. 10. β. animaduertor hocque M. — cum de rel. W. D Harl. 2. Med. α et s. f. s. β γ 39. tum 96. quom Cr. Dr. 2. q̄m AE Gd. 2. quoniam Dr. 1. 10. 11. 58. 65. — de potestatum iure coniectura in cod. M. tentata et probata a Madu. in Emendatt. p. 107. et Orellio. de potestate tum (cum E Gd. 2. 10.) iure E Gd. 2. Dr. 1. et s. f. s. γ 10. 58. 96. aliquot Goer. de potestate tum de iure Cr. W. Dr. 2. 39. α. de potestatum tum de iure β.

§. 49. Nos autem assumsi ex Bakii coniectura ceterum haudquaquam probabili: nos autem, ut de iuris natura excogi-

gitare per nos *atque dicere debemus; de iure populi romani, quae relicta sunt et tradita. Att. Sic profecto censeo, et id ipsum, quod dicis, exspecto.

---

tare nostra et describere debemus, sic de iure cet. diligent nos at (ad Gd. 2. δ) de iure naturae A 11. 65. E Gd. 2. δ itemque β, in quo superscriptum est ac; diligenter [nos] at de iure naturae 39. 58. 96. Cr. W. Dr. 1. 2. — cogitare correctio a Turnebo inde uulgata; codd. omnes: cogitari. — atque dicere Turnebi coni. Codices: et quae uel et que (E).

Fragmenta

librorum de legibus quae uulgo feruntur:

I. apud Lact. V, 8.

Sicut una eademque natura mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohaeret ac nititur, sic omnes homines inter se natura confusi prauitate dissentiunt, nec se intelligunt esse consanguineos et subiectos sub unam eandemque tutelam; quod si teneretur, deorum profecto omnes uitam uiuerent.

II. apud Lact. I, 20.

Magnum audaxque consilium Graecia suscepit, quod Cupidinum et Amorum simulacra in gymnasiis consecrauit.

Fr. I. Ad sententiam coniuncta haec esse cum eis, quae in libro primo de naturali hominum inter ipsos societate disseruntur deque dissensu eorum corruptela demum malae consuetudinis effecto, recte uiri docti animaduerterunt, nec alio loco ullo eiusdem argumenti pertractandi his in libris locus erat. Sed nec quod Wagnerus dixit, probabile est, particulam esse lacunae cap. 12. notatae — nam ibi ne est quidem lacuna ulla, nisi forte §. 34. uocem illam Pythagoream intercidisse existimaueris — nec Bakio concedo commodum his uerbis locum assignari I, 33. post uerba: i u s i g i t u r d a t u m e s t o m n i b u s, nec Beiero denique (Off. II. p. 217.) assentior inserenda haec esse dicenti inter cap. 10 et 11. Nullus enim in illis sermonis partibus locus est, quo commode ipsius Ciceronis uerbis inserantur. Pertinent uero ad totam illam disputationem, cuius sententias Lactantius, non uerba reddidit, et ita quidem, ut uel ea, quae Tullius §. 23. de communi hominum deorumque ciuitate eorumque praepotenti deo obtemperatione de Stoicorum sententia disseruit, ad christianam rationem ita accommodaret, ut o m n e s h o m i n e s sub unam eandemque tutelam i. e. d i u i n a m subiectos esse diceret. Ab hoc autem sententias interpretandi, uerba non nimis diligenter reddendi consuetudine Lactantium non abhorruisse satis constat.

Fr. II. Haec uerba ad II, 28. pertinere et ante uerba: u i r t u t e s e n i m, n o n u i t i a excidisse uiri docti ex Lactantii uerbis confecerunt

III. apud Lact. III, 19.

Gratulemurque nobis, quoniam mors aut meliorem, quam qui est in uita, aut certe non deteriorem est allatura statum; nam sine corpore animo uigente diuina est uita, sensu carente nihil profecto est mali.

IV. apud August. de ciu. dei XXI, 11.

Octo poenarum genera in legibus continentur, damnum, uincula, uerbera, talio, ignominia, exilium, mors, seruitus.

---

deinceps positis: et ideo huic sententiae, tamquam Graecos prudentia uinceret, adiecit: uirtutes enim cet. At nec illud comprobarunt, lacunae ullum ibi apparere uestigium, nec quomodo ista continuo Ciceronis sermoni inseri possent, demonstrarunt, praesertim cum uerba magnum audaxque consilium Ciceronis esse, non Lactantii, ex eis eluceat, quae deinceps apud eundem sunt: non enim illud magnum aut omnino consilium dicendum fuit. Iam si uerba in gymnasiis animaduerteris atque ea attenderis, quae Lactantius deinceps de incommodis disserit, quae illa Graecorum consuetudo Cupidinum et Amorum simulacra in gymnasiis consecrandi iuuentuti afferat, non potest profecto dubitari, quin ad educationis locum ista pertineant. Quem etsi in his etiam libris tractaturum se esse significauit (II, 29): tamen, quoniam non absolutis his libris nec factum id esse certum est, et de Rep. IV, 4. graecae iuuentutis educationem et in gymnasiis exercitationem pertractatam esse constat, haec Lactantii uerba ad illum potius locum, quam ad hos de legibus libros pertinere existimo errorem que a Lactantio commissum auguror, qui haec, non eisdem libris pertractata, propter sententiarum necessitudinem coniunxit eidemque libro assignauit.

Fr. III. Wagnero auctore haec Lactantii uerba Moserus et Orellius ad libr. II §. 36. aut §. 68. pertinere arbitrantur. Sed neutro loco ullum lacunae uestigium apparet; recteque Bakius illam dubitationem, utrum uigeat animus, an sensu careat i. e. exstinctus sit, (nam uerba sensu carente sc. animo hanc uim habent: wenn er ohne Bewustsein ist, ut non necesse sit cum Mosero et Orellio confugere ad coniecturam carenti) recte igitur Bakius hanc dubitationem ab his de legibus libris omnino abhorrere ait, quoniam ex II, 36. 55. 68. Ciceronem immortalitatis his in libris opinionem tenuisse iure quodam colligere liceat. Quapropter non dubito equidem eidem assentiri uerba illa, quae Ciceronis esse recte concedit, errore quodam ex alio libro ad hos a Lactantio translata esse dicenti. Unde desumta sint, nec ille definiit, nec ego possum definire.

Fr. IV. Wagnero et Mosero haec uerba ad librum tertium re-

V. apud Seru. ad Uirg. Aen. V, 16.

Cicero ait in libris legum: Stipem prohibeo; nam auget superstitionem et exhaurit domos. Dignis igitur largiendum est.

VI. apud Macrob. Sat. VI, 4.

Uisne igitur, quoniam sol paullulum a meridie iam deuexus uidetur, nequedum satis ab his nouellis arboribus omnis hic locus opacatur, descendamus ad Lirem eaque, quae restant, in illis alnorum umbraculis persequamur?

---

ferenda esse uidentur. Ad quam eius partem pertineant, ipsi non definiunt. Sed merito Bakius, cum ante iam Orellius dubitasset, utrum uerbis in legibus Ciceronis de legibus libri, an leges romanae designarentur, haec uerba ad libros de Rep. dixit pertinere, qui multum ab Augustino essent usurpati, uerbaque in legibus nihil aliud, quam duodecim tabulas significare, in quibus octo poenarum genera constituta Cicero laudasset.

Fr. V. Repetita haee esse ex II, 40. nemo non uidet. Hoc unum quaeritur, Ciceronisne sint uerba postrema (dignis igitur largiendum est), an Seruii. Atque etiamsi a Seruio haec ita enunciari concedas, quasi Ciceronis sint atque ex Lact. VI, 12. cognoscas, a Cicerone haec uerba esse alicubi usurpata: certum tamen est hoc consectarium ab hoc loco alienum esse, quoniam quidem, quando dari stipem uellet, iam significauerat causa simul addita, cur istud praecepisset. Ceterum ipsum uerbum prohibeo, quo Seruius utitur, cum apud Ciceronem sit sustulimus, memoriter haec a Seruio laudari demonstrat.

Fr. VI. Hoc, quod quidem certum sit, unum est horum librorum fragmentum. Quod ex deperditorum librorum aliquo depromtum esse luculenter indicat et loci et temporis descriptio. Ex quo desumtum sit, quoniam nec in altero, nec in tertio libro temporis descriptio exstat, certo definiri non potest. Nec tamen inepta est Wagneri quinto haec assignantis opinio, quam reliqui interpretes sunt secuti.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

I, 4. ex codd. E et Gd. 2. recipere debebam Attice noster; nec recte ex Bakii silentio collegisse mihi nunc uideor Tite noster esse in cod. δ, in quo Attice fuisse multo ueri similius est.
I, 6. quamquam lege pro quamqum.
I, 7. exspectatur pro expectatur, itemque I, 14. exspectari pro expectari.
I, 26. obscuras tanquam interpretamenti partem una cum reliquis uerbis expelli oportuit.
I, 29. enim l. pro cnim.
I, 44. praepositione a expulsa lege et iniuria natura.
I, 45. corona praefigenda erat uerbis quod si ita est, itemque II, 28. uocabulo quoniam.
I, 47. carent l. pro earent.
I, 50. infamiaene pro imfamiaene.
ibid. iudicium pro uidicium.
I, 60. discesserit pro dis'ecsserit.
I, 63. post uerba et merito errore exciderunt uerba et ipse.
II, 2. interpungi oportuit ante uerba cum haec uideat.
II, 15. expulsa particula ac, quae addita est, posteaquam uerba ui ditione in unum uocabulum iudicione coaluerunt, recipere debebam coniecturam ui, ditione, numine. Cfr. comment.
II, 21. antiquam formam futuri exacti iussit probari oportuit, quam codd. paene omnes tuentur.
II, 24. ex melioribus codd. recipere debebam casta corpora adhibeantur.
II, 39. in annot. post uerba mollitas M. haec adde: mollities 10. Dr. 1. mollitiem Cr. Dr. 2. W. et s. f. s. βγ 58. 96. D.
II, 43. euadere lege pro euadcre.
II, 48. corona praefigenda erat pronomini qui ante morte.
II, 57. piaculum pro piaculnm.
II, 60. in annot. post feretra haec adde: codices omnes plura fierent [funera] lectique.
III, 19. interpunctio post erit delenda est.
III, 28. praeclara l. pro praeclare.

M. TULLII CICERONIS

DE LEGIBUS

LIBRI TRES.

RECENSUIT SCRIPTURAE DISCREPANTIA
INSTRUXIT ENARRAUIT

DR. C. F. FELDHUEGELIUS.

UOLUMEN II.

COMMENTARIUM CONTINENS.

CIZAE, MDCCCLIII.
IMPENSIS ET TYPIS WEBELIANIS.

M. TULLII CICERONIS
DE LEGIBUS
LIBER PRIMUS.

I. §. 1. Atticus feriarum tempore una cum Marco et Quinto in agrum arpinatem uenerat rusticandi causa. Qui ubi ueterem quandam quercum et lucum Arpinatium conspexit, agnouit eundem, quem a Tullio commemoratum saepe in Mario legerat i. e. in carmine quodam Ciceronis, quod in Marii laudem condiderat; cuius etiamnunc tria fragmenta extant apud Orellium IV. 2. p. 567.

lectus] Participium ad luci nomen a Cicerone relatum est, quia dignitate illud uoluit praestare, quo alterum contineretur quodque etiamtum duraret, cum singulae arbores euanuissent semperque nouaretur renascendo, id quod uel inde patet, quod particula quidem insignitum est. Quae syllepsis et ab aliis scriptoribus est frequentata (Suet. Aug. 66. Caes. 75. Cal. 13. pr. Sen. de const. 19. Liu. 44, 28.) nec repudiata a Cicerone. Cf. ad Fam. X, 24. 1. amor enim tuus ac iudicium de me utrum mihi plus dignitatis in perpetuum an uoluptatis quotidie sit allaturus, non facile dixerim. ad Fam. V, 21. 5. X, 25. 1. de Nat. Deor. I, 19. 82. Recteque Madnigius de Fin. III, 10. 35. omniaque ad iudicia, a Cicerone relatum esse dixit, quod et generalius esse uellet et dignitate praestare. Cf. etiam pro Sest. 53, 113. prae se populus romanus ferebat sibi illum in tribunatu Cn. Domitii animum constantem et egregium et Q. Ancharii fidem ac fortitudinem, etiamsi nihil agere potuissent, tamen uoluntate ipsa gratum fuisse; ubi nec Bakius (de Leg. p. 261.) recte Domitii et Ancharii nomina expellenda iudicauit et perperam Wesenbergius in Obseruatt. crit. in Sest. p. 13. — ipse enim eius librum inspicere non potui — grata pro gratum commendare dicitur.

Nam cum uel Ancharii fides et fortitudo cerneretur in animo, uerbis illis etiamsi nihil aliud agere potuissent interiectis, potuit sane adiectiui formam ad nomen generale accommodare. (Et hunc in modum recte id nuper interpretatus est Halmius.) Eodemque in genere est, quod ad Fam. I, 7. 11. acc. c. inf. pendet ex sperandi uerbo longius remoto, cum optandi uerbum, quod proximum erat, aliam uerborum structuram flagitaret.

si enim] Adhuc uulgatum est si manet illa quercus. Sed codicis archetypi mendum sin manet ad coniecturam ducit iam a Dauisio commendatam si enim manet, qua non idem iterum asseueratur adiuncta conditione, sed uerum esse id, quod de Arpinatium quercu dixerit, confirmatur. Sententia igitur haec est: Si enim manet illa quercus, de qua saepe in Mario legi, nulla potest alia quam haec esse.

etenim est] Quod Bakius Maduigii disputatione (de emend. Cic. oratt. de prou. conss. et pro Balbo p. 6. et de Fin. p. 8.) commotus pro etenim est coniecit est enim, id haudquaquam necessarium est. Nam etsi particula etenim saepe tum usurpatur, cum in demonstrando progredimur, haud raro tamen adhibetur etiam ad declarandam causam apertam. Nimirum enim confirmat, et confirmationem adiungi declarat. Cf. I, 7. 21. Phil. II, 12. 29. etenim omnes boni, quantum in ipsis fuit, Caesarem occiderunt. Off. III, 15. 63. Male autem Bakius de Fin. I, 20. 70. mendi et saepe enim uidemus hanc correctionem commendauit etenim saepe uidemus, cum hanc alteram partitionis partem esse pateat. Uerius quidem ad sententiam ex II, 26. 83. Otto et Klotzius coniecerant et saepe esse factum uidemus; sed et facilior et probabilior uidetur correctio esse et saepe esse uidemus (wir sehen, dass dies haeufig der Fall ist); nam in hanc sententiam esse saepe usurpari constat. Cf. Lael. 2, 6. sunt ista, Laeli.

quo tandem modo?] Non ad nouum, ut Bakius ait, dicendi genus haec pertinent; nam nihil h. l. noui, cum nihil ista metaphora sit frequentius. Cf. Brut. 4, 16. 40, 150. Tusc. V, 11, 32. I, 14. 31. Madu. de Fin. III, 4. 14. Nimirum quaerit isto modo Atticus non statim perspiciens, quomodo fiat, ut quae poëtae serant, sint diuturniora, quam quae agricolarum cultu seminentur, id quod uerbis etiam confirmatur, quae sequuntur: aut quale est istuc, quod poëtae serunt?

mihi enim uideris] Quintus ipse carmina confecerat (cf. ad Quint. II, 16. III, 6.). Quare fratris poëtae uim quasi

diuinam laudans sibi ipse suffragari i. e. suae laudi inseruire poterat uideri.

§. 2. uerum tamen] Alterum uerum — nam duplicata in cod. arch. illa uox fuit — aut correctio est aut mendum ex dittographia natum, id quod uel ex addita particula ita elucet recteque ab omnibus interpretibus post Manutium spretum est. Unus Dau. peruerse coniecit: sit ita sane uelim; optandi enim uis prorsus ab hoc loco aliena, concedendi sola apta est.

dum latinae] Meliorum codicum, qui fere latine tenent, auctoritatem nihil h. l. curo, cum *ae* et *e* uel in optimis codd. usquequaque permutari constet, sententia autem huius loci adiectiui formam flagitet, ut recte post Lamb. et Ern. Bakius uidit, cum reliqui aduerbii formam recepissent. Nam litterae, uniuerse si dicimus, sunt Wissenschaften, quae dici non possunt hoc uel illo sermone loqui; libris continentur et ingeniis hominum. Litterae autem certi cuiusdam populi, ueluti latinae, graecae, sunt ingenii monumenta condita sermone eius populi, qui adiecto nomine designatur. Cf. Brut. 5, 19. ad Fam. V, 19. 2. XV, 4. 12. Madu. de Fin. I, 4. 12. Et has litteras patet per prosopopoeiam quandam non minus recte dici posse uel loqui uel tacere, quam Off. I, 45. 159. facere aliquid dicitur sapientia. Loquuntur autem, quam diu manent, tacent exstinctae. Iam cum Mario quercus Marianae memoriam propagari dicat, uidere licet Quintum Mario fratris aetatem tribuere aequalem litteris latinis.

ut ait Scaeuola] Bakius aduocata Orellii disputatione in Anal. ad Cic. Opp. IV, 2. p. 593. uerbis Scaeuola de fratris mei Mario hanc uim tribuit: Sc. in fratris mei Mario. Sed cadere ista disputatio tantum in uerba uidetur, quae de poëmate possint depromi, ueluti Tusc. V, 23. 53. illa de Andromacha. Off. III, 21. 82. graecos uersus de Phoenissis. Rep. I, 18. 30., aut in eos homines, qui magis persona aliqua suscepta, quam sua ipsorum auctoritate innotuerint, ueluti ille de Homero Thersites, non in homines eos, qui multo plus sua ipsorum auctoritate ualeant, quam eo, quod in carmine loquentes inducuntur. Quapropter haec Scaeuolae uerba cum Turnebo referri necesse est ad epigramma aliquod ab ipso relictum; nam quominus ad uerba eius putemus spectare, quae data occasione dixerit aliquando, uerbum ait prohibet. Canescere autem, quod alibi (Brut. 2, 8.) de orationis maturitate dicitur, non inepte h. l. transfertur ad carminis diutur-

1*

nitatem, si quidem quae canescunt ad summam fere senectutem peruenerunt. Scaeuolam autem intelligi h. l. necesse est pontificem, si quidem ex fragmento quodam Marii apud ipsum Ciceronem de Diu. I, 47. seruato carmen post reditum Marii scriptum esse patet, augurem autem duobis annis ante Marium obiisse constat. Pontifex autem cum quatuor annis post Marium (a. 672.) necaretur, intra annum 668 et 672. Marium a Cicerone scriptum esse perspicitur; quocum optime conuenit, quod §. 4. carmen illud periculum uocatur. Nam M. Tullius, cum Marius a. 668. obiret, iuuenis erat uiginti annorum. Marium ut anno 698. scriptum esse comprobaret, perperam Bakius prouocauit ad Att. IV, 5.

nisi forte] His uerbis exceptio adiungitur, qua una possit infringi quod affirmatum sit; cuius absurditas cum sua sponte eluceat, intellectu facile est, quomodo ironiae uim haec uerba induant. Cf. II, 2. 5. Parad. IV, 1. 2. de Nat. Deor. III, 18. 45. de Fat. 16, 37. pro Mil. 7, 17. Peruerse et Dauisius si pro nisi et Rathius sic certe pro nisi forte coniecit, et Wagnerus denique post uerba stare potuerunt suppleri iussit: idem uero in illa quercu euenire non potuit. Supplenda potius haec sunt: Athenae tuae, qua in urbe etiamnunc illam Mineruae oleam monstrant.

oleam] Olea intelligitur illa, quam Mineruа, cum de Athenarum principatu cum Neptuno contenderet Iupiterque eum urbe potiturum esse pronunciaret, qui optime de ciuibus mereretur, in arce collocasse quaque superior ex certamine discessisse dicitur. Cfr. quos ea de re praeter alios laudat Moserus Her. VIII, 55. Plut. Them. 19. Apoll. III, 14. 1. Ou. Met. XVII, 71. Meurs. Cecr. c. 15. 19. et de regno Att. I, 1. et 10. Et ea quidem etiam posterioribus temporibus durare putabatur. Plin. H. N. XVI, 44. 89. Athenis quoque olea durare traditur in certamine edita a Mineruа.

aut quod Homericus — eandem] Perperam Bakius alteram ironiae partem eodem modo absolui negat, ut priorem. Utriusque enunciati haec communis sententia est: nisi forte olea illa Mineruae aut palma illa Ulixi usque ad hunc diem permansit. Hanc communem autem uerbi notionem ita uariat, ut illam Athenas tenere potuisse neget, hanc monstrari potuisse eandem. Minime uero monstrant eandem idem est, quod monstrant ac si eadem sit, id quod comparato loco libri I, 10. 30. comprobare conatus est Bakius. Monstrabant uidelicet, quasi eadem

esset. Obiecti igitur loco est pronomen. Adiecta autem causa, ut pote absurda, ironiae uis admodum augetur. Quapropter causa nulla est mutandae coniunctionis, pro qua Dau. et A. G. Zumptius quam corrigi uoluerunt. Ceterum Homeri locus, quem spectat, est in Od. κ, 162.

dixit] Exigua duorum codicum (βγ) auctoritate Bakius dicit pro dixit scripsit. Neglexit nimirum uir doctus Homericum Ulixem esse Ulixem ab Homero celebratum, qui non minus recte dicitur dixisse, ut tempus spectetur, quo hoc dixerit, quam dicere, ut uerba eius etiamnunc apud Homerum exstare significetur.

nuntia fulua] Est uersus Ciceronis de Mario depromtus, quem propter quinque uerba in *a* desinentia recte Wagnerus ait κακόφωνον esse. Finxerat scilicet Tullius aquilam ex alta quercu praetereunte Mario euolauisse Mariumque hinc faustum augurium suscepisse. Cf. de Diu. I, 47. 106. Per aues autem dare deos indicia rerum futurarum trita Romanorum opinio erat, satellesque Iouis aquila, quae ei sacra habebatur, etiam in uersibus appellatur, quos Cic. l. l. ex Mario nobis seruauit. Noli autem cum Mosero putare fuluam aquilam h. l. dici, ut ab aquila fusca et nigra distinguatur. Obuersabatur sane poëtae animo id aquilarum genus, cui color fuluus est et quod reliquis generosius habitum esse Moserus ait. Sic factum est, ut adiectiuum, quo aquilam ornaret, ei hoc tribueret; ne de nigra quis cogitaret, cauere certe noluit.

Marianam quercum] Substantiua apud latinos scriptores post pron. relat. saepe uel perspicuitatis causa repeti constat uel propterea, ut notio rei, quam attendi uolumus, magis acuatur. Quoniamque in legibus iurisque formulis spectari id debet uel maxime, ut res, qua de agatur, teneatur firmissime, in his eiusmodi repetitio frequentissima est. Cf. praeter alios Kritz. ad Sall. Cat. 51, 40. Beier. pro Tull. p. 61. Ellendt. ad Cic. de Or. I, 38. 174, qui et alios eius rei auctores laudauit et magnam exemplorum copiam collegit. Sed horum neutrum hunc in locum cadere uidetur, quo plenior oratio uidetur usurpata esse, quia extra sermonis perpetuitatem non Marianam, sed quercum Marianam dici oportebat, ut procliue sane esset eam uocem repetere, nec causa ulla sit, cur alterum quercus uocabulum cum Man. Lamb. Ernestio expellamus.

uocent] Haec mendi (uocant) quod in cod. arch. fuit, correctio pridem tentata omnibusque probata prorsus necessaria est, si quidem genus quoddam quercus Cicero definit, quod sola cogitatione Romani complectuntur. Cf. Cic. Off. I, 11.

34. Liu. 24, 37. Uide de re notissima Madu. de Fin. I, 4. 10. II, 5. 15.

§. 3. sed hoc] Mendum est, quod codd. plures occupauit et cum Uict. Stephanus retinuit, haec. Necessarium est hoc, quia pronomen ad unam rem refertur ab Attico quaesitam.

certene non longe] In cod. arch. procul dubio fuit, quod praeter alios quosdam codd. C et Gd. 2. tenent certe non longe, plerisque illud editoribus probatum; nam praua est correctio, quae est in plerisque deteriorum, certe num longe: qua non multo probabilior est Ernestii coniectura certe num non longe. Sed nec negandi particula a Lambino in edit. 1566. omissa (is enim scripsit certene longe) nec interrogandi uocula in hac suspensa interrogatione, quae uno membro absoluitur, deesse potest; nec quicquam profecit Goerenzius directae interrogationis exempla in medium afferens, ut interrogandi particulam deesse posse demonstraret, ueluti Suet. Aug. 33. certe patrem tuum non occidisti? Non magis profecto h. l. ista abesse potest, quam Cic. Tusc. V, 11. 33. non ego h. l. id quaerendum puto, uerumne sit, quod Zenoni placuerat. Quae cum ita sint, amplectenda est ut et facilis et necessaria correctio, quae tentata iam est in cod. Par. A. certene non longe: quam paene eandem (certen' non longe) Camerarius et Wagn. proposuerunt et Moserus deprauauit pro certene scribendo certone. Certo dicere si recte diceretur, uim haberet pro certo dicendi, ut id quod dixerit Proculus nullo modo dubium fuerit, quemadmodum certo scio dicitur, ut id quod sciatur certum esse declaretur. Hoc autem loco certumne sit quaeritur eum dixisse, id quod altera aduerbii forma certe indicatur, quae ad dicendi modum spectat. Cf. I, 10. 30. ratio — certe est communis (ist sicherlich gemeinsam). Tusc. V, 5. 12. certe satis i e. certum est satis posse uirtutem. Par. IV, 1. 27. certe negabis i. e. certum est te id negare. Uide de utriusque formae discrimine Klotz ad Cat. M. 1, 2. p. 74. Handii Turs. II. p. 15. Stuerenb. pro Arch. p. 191. ed. 1. Ab hac autem principali huius particulae confirmandi ui orta est uis restringendi, cum aliquam rem ut certam ponimus, reliquas, de quibus item quaeri possit, relinquimus. Ac. II, 32. 105. haec — sint falsa; inuidiosa certe non sunt. Fin. IV, 3. 7. Quam quoniam Bakius ubique huius particulae propriam esse dixit cum Beiero in Iahnii Ann. 1827. I. p. 32, imperite coniecit Romanae non longe cet.

Proculo Iulio] Proculus Iulium patrum impulsu, quo illi a se inuidiam interemti Romuli pellerent, in concione dixisse constat, a se uisum esse in eo colle Romulum, cui nomen Quirinalis fuit, eumque sibi mandasse, ut sibi in eo colle delubrum fieret; se deum esse et Quirinum uocari. Cf. quos alii iam laudarunt Cic. Rep. II, 10. Liu. I, 16. Dion. Hal. II, 63. Plut. Rom. 28. Num. 2. Aur. Uict de uir. ill. 2, 13. Habitauit autem Atticus Romae in colle Quirinali. Nep. Att. XIII, 2. Et Attici domum Quirini templo uicinam fuisse declarat etiam Cic. ad Att. XII, 45. 3. Ceterum eorum, qui in deorum numerum relati erant, nomina mutari esse solita tradit Lact. Inst. I, 21.

et Athenis] Uerumne sit, quod in cod. arch. fuisse codicum paene omnium consensu confirmatur, facile librariorum interpretamentum inde agnoscitur, quod et leuior illa uox friget post grauiorem certumne, nec sustulerit habet, ex quo pendeat, nec denique particula ut, quam de coniectura Bakius post uerumne sit restitui uoluit, ferri potest ullo modo. Accusatiuum c. inf. sequi oportuit, si quidem consecutionis aut effectus, qui semper in talibus exemplis particula ut declaratur, nulla h. l. significatio est. Cf. Madu. de Fin. p. 146. Nec sane molestiae quicquam habet, quod quae de Aquilone quaerit, ad interrogationem praecedentem cum ui quadam propositam referenda sunt, cum et in eodem haec genere uersentur et praeposito Athenarum uocabulo continuari interrogationem satis declaretur.

antiqua] De Orithyia, Erechthei regis filia, ab Aquilone rapta uide quos Moserus laudauit Plat. Phaedr. p. 229. B. ed. Steph. Apoll. Arg. I. 212. Her. VII, 189. Apoll. III, 16. Ou. Met. VII, 683. Ad Ilissum eam raptam esse prodiderunt Paus. I, 19. Dion. Perieg. V, 424. Unde antiquam Attici domum in ea Athenarum parte sitam fuisse non inepte Turnebus collegit, quae propior Ilisso erat. Antiquam autem domum dixit, non ut a recentiore, quam recens aedificatam emisset, distingueret (qualem in Ceramico eum habuisse coniicere licet ex Cic. ad Att. I. 10. 1.), sed ut antiquioribus iam temporibus aedificata propius eum raptu Orithyiae coniuncta esse uideretur. Nugatur uero Bakius, qui antiqua negauit ferendum esse, quia Atticum, cum ubique domos laute aedificatas incoleret et antiquas Athenarum domos humiles uilesque fuisse constaret, ista humilitate contentum fuisse non esset ueri simile. Attica quidem, quod ipse coniecit, uel propterea probari non potest, quod Athenis domum illam fuisse iam ante declaratum est.

§. 4. sint prodita] Pro coniunctiuo, qui codicum

auctoritate uel maxime nititur, perperam cum Lambino Bakius indicatiuum ex paucis quibusdam codd. deterioribus restituit, coniunctiuo significari dicens esse posse, quae isto modo tradita essent. At uero genus describitur rerum memoriae proditarum, non res certae quaedam spectantur. Cf. quae dixi ad §. 2.

et a nonnullis] Sententia peruertitur omissa particula et, quam Turn. in comment. primo omittendam esse dixerat. Non enim omnes, qui fictane an uera sint quaerunt, quae isto modo memoriae sint prodita, in recenti memoria et in homine arpinati uel seueritatem postulare dicit, sed nonnullos tantum eo procedere affirmat, ut uel minima ad ueritatem exigi uelint. In hoc enim seueritatem a nonnullis postulatam cerni puto. Cui interpretationi optime conueniunt, quae deinceps a Marco disputantur. Nimirum omnes res maiores ita se prodidisse significat, ut euenerint, in paruis ac minimis poëtae fingendi quandam libertatem concedi oportere. Ita ueritatem se quidem secutum esse dicit nec eam tamen, quam a teste requiras, qui omnia maxima minima ad ueritatem dirigere nec ulla in re fingendi libertate uti debeat. Similiter iudiciorum seueritatem eam dici constat (pro Sull. 33, 92. Uerr. I, 1. 3.), quae nec gratiae nec ignauiae nec corruptioni locum relinquat, sed omnia maxima minima diligentissime explorata ad leges dirigat. Quapropter non opus est coniectura ulla nec Dauisii quam Ern. et Wytt. probarunt ueritas, nec Bakii nil nisi ueritas, nec Zumptii et Hauptii in mus. rhen. IV. p. 150. quod et in recenti memoria et in arpinati homine uersere, ueritas a te postulatur, quam Halmius in Schneid. Phil. I. p. 173. ita assumsit, ut pro uersere commendaret uersetur. Et sunt sane omnes istae coniecturae languidiores, quam ut placere possint.

in recenti memoria] Cum Marius anno 668. a. u. obiisset paucis annis post augurium susceptum, Marius autem proximo quadriennio a Cicerone scriptus esset (cf. §. 2.) sermoque hic haberetur a. 702: et Marii et augurii, praesertim ad antiquissimas illas fabulas, sane recens memoria erat, ut uerum facile exquiri posset.

in arpinati homine] i. e. in homine, qui eiusdem tecum municipii est, ut uel propterea res accuratissime explorare et ad ueritatem exigere potueris.

et mehercule] Particula et, qua est annectendi ui, popularium auctoritati Marcum accedere significat, modo ne, ut nonnulli isti, iniqua postulent. Similiter et scilicet dicitur (I, 13. 36. de Fin. II, 31. 102.), cum aliquid respon-

detur cum irrisione quadam, quod cum eis, quae dicta sunt nec improbantur, coniunctum sit, itemque et quidem, cum aliquid ita conceditur, ut simul eleuetur. Cf. quae dixi ad III, 10. 24.

Tite noster] Pronomen noster in uetustis Iuntae, Stephani, Manutii editt. iam expressam ut recte reuocatum a Bakio existimem, plurimorum optimorumque codicum facit auctoritas, qui aut integrum pronomen tenent, aut non uel nostri eius loco substituunt. Ceterum pro Tite ex codd. E et Gd. 2, quibus procul dubio accedit δ, recipere debebam Attice, Cf. §. 1. manet uero, Attice noster.

periculo] Periculum (einen Versuch), quem simpliciter libellum esse male Ernestius ait, carmen suum modeste uocat, quoniam id, ut omnia sua poëmata, ingenii periclitandi causa condiderat. Quae quidem modestia in Cicerone ne tum quidem miranda esset, si serio eum aliter sensisse constaret. Quamuis enim lubenter laudem suam aliis tribuat, tamen semper fere modeste de se ipse loquitur. Inficeta est coniectura a Uict. Steph. Man. recepta opusculo, nec uero ullo modo probabilis aut Wyttenbachii coniectura uersiculo aut Bakii in isto miraculo; nec enim de uno uersiculo nec de re ipsa sermo est, sed de rei enarratione.

ut a poëta] qui licet omnino ueritatem sequi debeat, quaedam tamen concedere debet delectationi.

ut a teste] qui uel in minimis ueritatem sequi nec ulla in re fingendi libertate uti debet.

cum Egeria] Colloqui se noctu cum Egeria nympha Numa Romanis persuaserat eiusque admonitu se facere omnia. Liu. I, 19. Hor. Ep. II, 27. Ou. Met. XV, 484. sqq. — Pileum Tarquinio Prisco Romam primum aduenienti ab aquila esse impositum et a coniuge inde regnum esse praedictum tradunt Liu. I, 34. Aur. Uict. de uir. ill. 6. Dion. Hal. III, 47. Apex autem fuit pileus altus in figuram metae fastigiatus. Dion. Hal. II, 70.

§. 5. obseruandas] Utrumque Ciceronis consuetudine firmatum est et seruare leges et obseruare. Cf. Cic. de Or. I, 21. 97. Off. II, 11. 40. ad Fam. II, 17. 2. Ad factum magis illud, ad animum hoc spectat. Hoc loco obseruandas tuetur meliorum codicum auctoritas, quibus haud pauci accedunt deteriorum.

quippe cum in illa] Duo haud scio an iam in cod. arch. fuerint peccata et in praepositio ante illa omissa et in hac scriptum pro in hoc. Utrumque merito pridem correctum est. Reliqua in codd. sunt integra, licet a uiris doctis uarie sint tentata. Et Bakius quidem conieeit: quippe

*

cum illa ad ueritatem, Quinte, referatur, in hoc ad delectationem pleraque, concinnitatem orationis isto modo turbari non sentiens; Dauisius et Moserus ex nescio quo Ursini libro scripserunt: cum in illa ad ueritatem quaeque referantur, in hoc ad delectationem pleraque; quam coniecturam ne ab Ernestio quidem improbatam Halmius in Schneid. Phil. I. p. 172. ita amplexus est, ut pro uitioso pronomine quaeque, id quod Camerarius iam suaserat, commendaret cuncta. Et ante iam de Ernestii sententia Wagnerus scripserat: cum in illa ad ueritatem, Quinte, referantur omnia cet. At uero pleraque in utraque sententiae parte recte subiecti locum tenet, si quidem etiam in historia pleraque, non omnia ad ueritatem referuntur, quippe cum etiam ornatu oratorio in ea scribenda uel maxime opus sit (cf. §. 5.); nam pleraque non de ipsis rebus gestis ita dicitur, quasi non in omnibus, sed in plerisque tantum ueritatem sequi necesse sit. Quare ne hoc quidem mirum est, quo post Schuetzium offensus Moserus est, quod uerbis quamquam et apud Herodotum — innumerabiles fabulae exceptio adiungitur, quam addi non potuisse dicunt, nisi omnia ad ueritatem referenda esse ante affirmauerit. De uerborum autem ordine tenendum hoc est, non cum efficacia quadam, ut Goerenzius ait, pleraque in finem sententiae esse reiectum, ueluti omnia de Fin. I, 6. 17. ex quo efficiantur ea, quae sint quaeque cernantur omnia (nam maior utique uis h. l. posita est in contrariis in illa ad ueritatem — in hoc ad delectationem), sed uerba leuiora referuntur et pleraque, ut contraria magis acuerentur, eis esse postposita, ita tamen, ut pleraque quoniam subiecti usque ad finem sustentatur exspectatio, ui sua prae illo emineret.

fabulas] esse rerum gestarum narrationes sermone hominum propagatas, non fictas narrationes tritissimum est et pluribus expositum a Wyttenbachio Philom. I. p. 302.

II. qui litteris] Quod Dau. ex deterioribus aliquot codicibus edidit eorum litteris, qui studia del., id merito spretum est; nam nec litteris quorundam i. e. libris (cf. §. 1.) hoc munus dici potest Tullius debere, nec dici possunt quidam delectari Ciceronis studiis i. e. opera litteris ab eo aut nauata aut nauanda. Nec probo equidem quod post Uict. et Man. denuo Bakius reuocauit qui tuis litteris, quia nec a melioribus codicibus habet auctoritatem (non est enim in codd. C δ Gd. 2. nec, quantum auguror, in cod. E, ut de hoc falsa tradidisse Bakius uideatur, et in codd. AB

11. 65. corrigendo id esse illatum ipsa correctio monstrat in cod. A etiamnunc conspicua), nec ad sententiam satis probabile est. Nam Atticum non solum iis assentiri patet, qui historiam a Cicerone flagitent (isti autem non sunt Tullianarum litterarum studiosi, sed omnino homines litterati), sed aliam etiam causam esse dicit, cur historia scribatur. Itaque opposita sibi h. l. sunt studia litteratorum hominum et ipsa patria.

abest] Haec certissima est mendi ueteris atest correctio. Pro litteris non erat, quod de Creuzeri coniectura a litteris Moserus scriberet. Recte enim abesse alicui aliquid dici de eo, qui re aliqua careat, demonstrauit Bakius collato Cic. Brut. 80, 276. hoc unum, inquit, illi, si nihil utilitatis habuit, abfuit, si opus erat, defuit. Adde Or. 70, 181. nihil est enim, cui nihil àbsit. de Or. I, 11. 48. et quae Ellendtius h. l. disputauit.

unum hoc or. max.] i. e. prae ceteris oratoris est uel oratorium quendam ornatum requirit; nam unus superlatiuo adiunctum excellentiam quandam significat. Cf. Tusc. II, 26. 64. III, 33. 81. Brut. 6, 25. ad Att. VIII, 4. Beier ad Cic. pro Scaur. p. 169. Eadem sententia de scriptoris munere oratorio deprehenditur de Or. II, 15. 62.

§. 6. aut ignoratam aut relictam a Romanis dicit historiam, quia qui scripserant historiam, bene scribendi artem non calluerant, si qui uero calluerant, non attigerant historiam. Cf. exempla a Bakio allata de Fin. I, 6. 18. IV, 3. 7. de Off. III, 2. 9.

post annales] Conficiebantur hi annales a pontifice maximo (Cic. de Or. II, 12. 52.). Recte igitur aut annales pontificum maximorum aut simpliciter annales maximi appellantur, quemadmodum Gellius eos nominat N. A. IV, 5. 6. et appellari eos dicit Cicero l. l. et Macr. Sat. III, 2. fin. Nec uero dici possunt annales pontificum maximi. Nimirum et a pontificum collegio confici dicerentur et praeter maximos alii etiam conscribi ab iisdem uiderentur. Merito igitur spreta est Moseri coniectura annales pontificum maximos.

iucundius] Coniecturam ego in tanto codicum consensu nullam probo, quippe non necessariam, nec Ursini et Gulielmi ieiunius a pluribus, etiam a Niebuhrio in Hist. rom. I. p. 278. ed. 3. probatam, nec Stephani nudius, nec Lambini iuncidius, nec Dauisii denique incomtius uel iniucundius, quorum hoc Ernestio et Zumptio, Bakio illud placuit. Quamquam enim demonstrare aggreditur neminem Romanorum, historiam qui scripserint,

oratoria laude fuisse conspicuum: hoc tamen nihil ad annales pertinet, quippe quibus nihil nisi simplex rerum gestarum enarratio sine nitore ac palaestra esset proposita. Quamobrem mente a dicendi genere auocata non minus h. l. annalium iucunditatem potuit agnoscere, quam de Or. I, 43. 193. iuris ciuilis propter uetustatis quandam effigiem suauitatem. De rerum scriptoribus, qui h. l. commemorantur, uide I. G. Uossium de hist. lat. III. p. 726. Chr. D. Beckium in prooemio ad Fergusoni hist. I. p. 16. Bernhardyi roem. Litter. p. 258.

Fannii autem aetate coniunctus] Nulla h. l. coniecturae necessitas nec Lambinianae aetati, quae a Dau. Goer. Sch. Mos. probata etiam Bakio placuit, nec Turnebianae Fannio autem aetate, quam Manutius amplexus est. Scilicet latine quaedam uerba, quibus fere datiuus adiungi solet, ut ad quem referatur actio indicetur, absolute, ut ita dicam, usurpantur et cum ablatino rei iunguntur, qua id, quod uerba significant, efficiatur. Et ita praeter implicandi (Off. I, 32. 117. Caes. B. G. V, 12. 1. VI, 25. B. C. I, 58. 1.), assuescendi (Tac. Ann. II, 44. Liu. X, 6. XXI, 35. cf. Gron. et Drak. h. l.) et alia uerba iunctus quoque et coniunctus participia usurpari plura Ciceronis exempla luculenter demonstrant. Cf. Cic. pro Cluent. 5, 12. repente exorta est mulieris importuna nefaria libido, non solum dedecore, uerum etiam scelere coniuncta. ad Att. IX, 10. 4. de Or. I, 57. 243. cf. Kritz. ad Sall. Cat. 2, 9. p. 14. Seyff. ad Lael. p. 305. Non eadem prorsus ratio est loci Ciceroniani in Brut. 92, 317. itaque cum Hortensio magis mihi arbitrabar rem esse, quod et dicendi ardore eram propior et aetate coniunctior, quoniam ibi is, cui coniunctior erat, mente supplendus est.

inflauit] Est metaphora a tibicine repetita (Ac. II, 27. 86. simulac inflauit tibicen, a perito carmen agnoscitur), qua maior eius dicendi uis declaratur. Cf. de Or. II, 13. 54. paullum se erexit addiditque historiae maiorem sonum — Antipater.

admonere reliquos] sc. exemplo eius intuendo, quemadmodum similiter pro Scauro §. 4. dixit: primus enim (M. Scaurus) me flagrantem studio laudis impulit. i. e. quemadmodum uere Bakius animaduertit, impulsus sum eius exemplo intuendo, quoniam praesentem nec uidit nec audiuit. Exemplo autem suo etsi non ad orationis elegantiam, tamen ad uires atque neruos praelucebat; quibus tamen spretis qui successerunt relapsi sunt ad languorem superiorum.

Gellii] Codices aut bello aut belli; unde uerius Gulielmus coniecit Gellii, quam Passeratius Gellius. Lambinus uocem belli expellendam iudicauit nulla alia uocula in eius locum substituta. Turnebus, qui bellos dici existimauit Clodium et Aselliohem cum ironia, merito assentientem nactus est neminem. Erant autem Sext. et Cn. Gellii historiarum scriptores (cf. I. G. Uossium de hist. lat. I, 8.), Golliosque, quibus usus sit, item Dion. Hal. I, 7. commemorat.

nihil ad Caelium] Ellipticum dicendi genus saepius a Cicerone in comparando usurpatum. Cic. de Or. II, 6. 25. Tusc. I, 7. 40. pro Dei. 8, 24. et Benecke ad h. l. Gronou. Obseruatt. IV, 6. p. 386. Quo ex genere eximere non debuit Maduigius de Fin. III, 16. 52; Goerenzius in eo non habere de Diu. II, 37. 78. Ac. I, 4. 15., quorum neutro loco comparandi uis elucet. Caelius, qui h. l. nominatur, est L. Caelius Antipater, a quo res belli punici secundi scriptas esse et ex Cic. Or. 69, 240. constat et firmatur eius quibusdam reliquiis etiamnunc seruatis.

Macrum] Est uerissima Sigonii coniectura a Dauisio inde probata ab omnibus. Uide de hoc C. Licinio Macro I. G. Uossium l. l. Attio quidem (Uict. Steph.) uel Accio, (Lamb.) hic locum non esse uere Dauisius contendit, quia Attius uersibus res scripserit, hoc autem loco ii tantum enumerentur, qui soluta oratione usi sint. Cf. Fest. s. u. uastum p. 160. et 277. ed. Lind.

§. 7. in orationibus autem cet.] Loci in cod. arch. haud scio an sic deprauati: in orationibus autem multus et ineptus datio summam imp. probari non possunt correctiones eae, quas adhuc uiri docti proposuerunt, ueluti ea, quam Man. Dau. Ern. Wagn. expresserunt in orationibus autem multas ineptias ad summam impudentiam (Man. imprudentiam), aut quam a Goerenzio et Schuetzio expressam Madu. Emendatt. p. 1. et Orellius probarunt: in orationibus autem multas ineptias, elatio summam impudentiam (Goer. Sch. imprudentiam), aut Zumptii: in orationbus autem multus et ineptus et adeo summa impudentia; Bakii: in orationibus autem multus et ineptus est, clamator summa impudentia; Peteri in diariis antiq. 1847. p. 127: in orationibus autem multus et ineptus, elatus summa impudentia; Halmii in Schneid. Phil. I. p. 173: in orationibus autem multus et ineptus ad summam impudentiam. Ut ego quid sentiam breui complectar, primum orationis concinnitas postulare uidetur, ut Macri lo-

quacitati alia quaedam res, qua insignis fuerit, non ipse opponatur, ut dubitari omnino non queat, quin uerum sit, quod in S. Uict. codice Gruterus inuenisse se dicit et ante iam Steph. ediderat, elatio pro datio. Elatio quidem etsi non uitiosa est, ut uel in uirtute pòni possit, quemadmodum Cicero posuit in Brut. 17, 66: tamen eo ipso in Macro uitiosa euasit, quod ad impudentiam usque processit. Impudentiam enim, non imprudentiam scribi necesse est, quia elatio nihil commune habet cum imprudentia, cum impudentia habet. Eademque orationis concinnitas flagitat, ut in altera sententia elatio opponatur loquacitati, quae in priore sententia subiecti locum tenet, prioris autem subiecti uis non ad alteram etiam sententiam pertineat. His quidem probe ponderatis codicisque arch. uestigiis consideratis facere non possum, quin etiamnunc probem coniecturam a. 1841. in progr. p. 11. a me propositam: in orationibus autem multis et ineptis elatio s. imp. Sic primum loquacitas Macri in historiis argutiarum aliquid, elatio deinde in orationibus summam impudentiam habere dicitur. Namque primum de historica eius arte iudicio facto de oratoria quoque eius facultate, quippe rerum scriptori necessaria, iudicat, sicuti mox de Sisenna et rerum scriptore et oratore iudicat. Orationes igitur, quae h. l. commemorantur, recte uidetur Bakius intellexisse orationis seorsim aut editas aut habitas, non eas, quae historiis eius interpositae fuerint, quales Turn. Wytt. ceteri intellexerunt. De C. L. Macro oratore Cicero iudicat in Brut. 67, 238. Quod autem non diserte Macri loquacitatem in historia, ut mox elationem in orationibus elucere dixit: nemo profecto, cum ante tantum de rerum scriptoribus dixisset, de alia potuit cogitare, quam de ea, quae in rerum enarratione uersaretur; et oppositorum ratio satis declaratur uocabulo orationibus cum particula autem praeposito. Deinde adiectiuorum (multis et ineptis) copulatio perquam trita est. Cf. Cic. de lege agr. II, 2. 5. uersantur enim in animo meo multae et magnae cogitationes. Uerr. V, 45. 119. ad Fam. V, 17. 3. Denique eruditae Graecorum copiae i. e eruditae uerborum copiae oppositae sunt librariolae latinae i. e. latinorum librorum tabernaculae, in quibus latina uerborum copia erat coaceruata. Deminutiuum quod hoc uno loco exstat, id Wyttenbachium et Moserum commouere non debuit, ut de hominibus cogitarent.

eius amicus] Corradus coniecit meus amicus, quod aduersa codicum auctoritate probare non debuit Bakius, quia Brut. 75, 260. Sisennam amicum suum nominat. C. enim

Licinius Macer et L. Sisenna aequales erant, inter quos amicitiam non intercessisse nullo testimonio comprobatum est. Cf. de Sisenna, qui in primis bellum sociale et Sullanum enarrauit, I. G. Uossium I, 10. Uell. Pat. II, 9. Brut. 64, 228.

munus hoc] Merito Bakius, cum ante pronomen ad sequentia uerba relatum esset, ad munus id dixit pertinere. Nimirum tuum pariter atque praecedens pron. pers. eo est acuendum, quod primum locum obtinet.

III. §. 8. capiat] Hanc merito editores alteri scripturae capiatur a Uict. receptae praetulerunt, quia et maiorem habet codicum auctoritatem et scribendi exorsus melius proxime ad Ciceronem refertur, quam uniuerse effertur. Ex consilii autem per coniunctiuum indicati notione (cf. II, 17. 43. Caes. B. G. III, 14. non satis constabat, quid agerent) propter utriusque notionis cognationem facile est supplere eum exordium capere oportere.

aetatis suae] Post Goerenzium denuo Bakius spreta meliorum codicum auctoritate scripsit suae aetatis, quia oppositionis uis postularet, ut pronomen praeponeretur. At uero pronomini suae ut leuioribus uocabulis aetatis et memoriam interposito pondus quoddam addi intellectu facile est; simulque hac uerborum collocatione id efficitur, ut adiectiuum aequabilis ea, qua par est, ui insigniatur. Cf. quae dixi ad II, 4. 9.

memoria atque aetate] i. e. in hac aetate nostra, quam memoria complectimur. Nota est sane ea Romanorum consuetudo, qua duas res, quas nos una notione complectimur, disiunctas iuxta se ponunt. Cf. Brut. 83, 288. de musto ac lacu feruidam orationem. Cat. I, 13. 31. cum aestu febrique iactantur. pro Facc. 2, 5. necessitudine ac uetustate. pro Arch. 6, 13. Uerr. V, 14. 36.

in illum memorabilem] Quod ex quorundam codicum mendo in illum et memorabilem effecerunt de Turnebi coniectura reliqui in illummet memorabilem, id merito Orellius Bakiusque negarunt ferendum esse. Sed quod hic memorabilem ortum esse dicit ex interpretatione uerbi incurret margini adscripta, id procul dubio falsum est. Interpretationi si deberetur, rectius id additum esse diceres pronominis interpretandi gratia. Sed cum non modo in codd. deterioribus, sed etiam in C et Gd. 2. et procul dubio in δ, in quibus est illum memorabilem, nullum interpretationis uestigium exstet nec nouum sit pronomini

ille superaddi adiectiuum Ciceronisque consulatus, quem ipse ad Q. Fr. I, 3. 1. meum illum laudatum consulatum dixit, profecto memorabilis ab Attico uocari possit, si quidem ipsi aequales ei conseruatae patriae testimonium dederunt: nihil in hac et plurimorum et optimorum codicum scriptura mutandum puto.

quae, pro quo in deterioribus quibusdam codd. futilis est correctio quem a Uict. et Lamb. retenta, ad ea refertur, quae eodem cum eis, quae commemorata sunt, genere continentur. Cf. quae dixi I, 14. 40.

ab isto] Temere Bakius pro isto commendauit ipso, cum nulla h. l. sit oppositionis significatio.

de Remo et Remulo] Haec uerba in prouerbium abiisse, quo antiquissimarum rerum enarratio denotetur, elucet ex uerbis ut aiunt, quae addita sunt.

Quem] Recte Bakius maiorem interpunctionem ante quem posuit, quia refutatio a pron. relat. inchoaretur eiusque rei auctorem laudauit Madu. in ep. crit. p. 86. fin. Adde Seyff. ad Lael. 1, 3.

uacuum tempus et liberum] Haec uniuerse primum dicuntur nec attinet alterum referre ad occupatam operam, ad impeditum animum alterum. — Occupata opera i. e. wenn unsere Thaetigkeit (anderweit) in Anspruch genommen ist, quemadmodum similiter pro Planc. 27, 66. occupata tempora dicuntur. Dauisii coniectura occupato non modo non necessaria est, sed orationis etiam concinnitatem turbat.

§. 8. Subsiciua quaedam] Non metaphorae nouitatem, ut Bakius ait, sed indefinitam quasi quandam quantitatem pronomen significat (einige Nebenstunden). Cic. Nat. Deor. I, 24. 66. corpuscula quaedam laeuia, alia aspera, rotunda alia cet. Lael. 13, 44. Quamquam idem alibi, quippe quo certa quaedam, quam tamen non accuratius definias, qualitas declaretur, ita usurpari constat, ut nominis uel substantiui uel adiectiui notio uniuersa certis quibusdam terminis circumscribatur (indiuidualisirt wird). Hinc modo ad metaphoram uel superiectionem mitigandam (Off. I, 15. 47. ardore quodam amoris. Lael. 21, 81. cum quadam similitudine amoris humani. Brut. 1, 4.), modo ad uim nominis augendam ualet. Or. II, 74. 298., excellentis cuiusdam ingenii est ac singularis. Lael. 9, 29. Cf. praeclaram hac de re Seyfferthii disputationem ad Lael. p. 199, qui tamen pronomen adiectiuo praepositum non satis declarauit eodem genere contineri. Adiectiui uel praeponendi uel postponendi causa (nam quidam pron. prae-

positum nunquam ad solum substantiuum pertinet, sed ad notionem ex substantiuo et adiectiuo conflatam) in sola positum est uel adiectiui uel pronominis praecipua notione. cf. de Or. I, 5. 16. quandam incredibilem magnitudinem. ib. II, 74. 299. incredibili quadam magnitudine.

ad eorum numerum] i. e. non maiora suscipio, quam quae paucis illis diebus ad rusticandum mihi datis absolui possint. Non magis igitur h. l. hypallage agnoscitur, quam aut de Diu. II, 9. 16. nec hoc quaero, cur haec arbor una ter floreat aut cur arandi maturitatem ad signum floris accommodet, aut de Leg. II, 8. 20. alios ad dies ubertatem lactis seruanto. Quemadmodum enim illo loco dies, quibus sacra fiant, sunt constituti, ita h. l. constituti sunt dies ad rusticandum dati, ut ad eorum numerum quae scribuntur accommodentur.

praeparato otio] Praeparatum otium recte Bakius dixit opponi temporibus subsiciuis, quae interdum incurrant non quaesita, esseque otium, quod remotis negotiis, quibus a persequenda re suscepta auocemur, nobis ipsi parauerimus.

cum semel cet.] In cod. archetypo, in quo haec erant: cum semel quid orsus si traducor alio turbatam esse orationem nemo non uidet. Quam etsi ita defenderit quispiam, ut Ciceronem, cum temporalem particulam posuisset eamque posteriori sententiae non admodum accommodatam esse sensisset, se ipsum correxisse dicat, hoc tamen in hoc tam breui uerborum complexu non admodum ueri simile est. Nec uero expulsa particula si, cuius sane facillima expulsio est (expulerunt autem post Manut. et Lamb. reliqui omnes) orationis integritas restituitur, si quidem uerba cum semel coniuncta aptissime ad ordiendi uerbum referuntur (Par. III, 1. 20.), non item ad traducendi, in quo conditionis descriptio requiritur. Quare hoc unum reliquum est, ut cum Halmio in Schneid. Phil. l. p. 173. haec sic refingantur: cum semel quid orsus sum, si traducor alio, quod prope idem ante coniecerat Dauisius, qui haec commendauit: cum semel quid orsus sim, si trad. Nam Goerenzii coniectura eum, simul quid orsus sum, traducor alio, qua res celeriter consecutae declarantur, ab hoc loco aliena est. Bakius uero, qui ceteris seruatis sic pro si commendauit, quod idem ante nescio quis coniecisse ab Orellio dicitur, particulae isti uim quandam tribuit (repente enim esse dicit), quam nusquam assumserit. In loco quidem Ciceronis ab ipso allato

(pro Planc. 23, 55.) ita ad quasi spectat estque quod nos dicimus in der Erwartung.

§. 10. ista oratio non est istud scribendi genus, ut Bakius interpretatur comparato Ciceronis loco Or. 11, 37. Nihil aliud his uerbis h. l. significari, quam ista, quae dixisti de historia nec instituenda nisi praeparato otio nec exiguo tempore absoluenda, uel ex ipsius Ciceronis responso elucet, similiterque dicit Tusc. I, 25. 60. quorsus igitur haec spectat oratio? Adde Brut. 40, 150. Inepta est A. G. Zumptii coniectura ista ratio, quam uertendo reddit deine eigenthümliche Art und Weise.

legationem] De legatione libera uide ea, quae dixi III, 8. 18. Legationi autem ut parti adiungitur genus libere Roma cedendi, quae est cessio, non cessatio, id quod cum post Uict. et Manut. ed. 1584. denuo recepisset Orellius commendatum a Madu. Emendatt. p. 89, merito Bakius improbauit. Nam praeterquam quod cessatio non est nisi in deterioribus aut correctis codicibus, ne recte quidem cessatio eius esse dicitur, qui liber rei publicae muneribus in litteris operae collocat uel plurimum; est uero eius, qui nihil omnino agit. Cf. Cic. de Nat. Deor. I, 36. fin. Epicurus nihil cessatione melius iudicat. Itaque nihil cessare dicitur Uarro Ac. I, 1. 2, qui magnum opus in manibus habebat, et cessare Cicero ad Fam. XVI, 22. 1. (quem utrumque locum Bakius suppeditauit), quia ipse nihil scribat. Nec uero apte libera et otiosa uocatur cessatio; cessio autem dubitari non potest quin recte dicatur, cum cedere saepissime de uoluntaria profectione et absentia usurpetur.

aetatis uacationi] Quinquagenario lex dabat uacationem a militia, sexagenario a muneribus senatoriis (cf. Sen. de breu. uitae c. 20. Nep. Att. 7, 1. Magis uero Ciceronem cogitasse de uacatione a causarum opera, quae lege nulla potuit constitui, ex eis apparet, quae Atticus respondet.

in solio sedens] Solio utebantur patres familias atque huc spectant uerba more patrio, wie ein Hausvater. In eodem iuris consulti sedentes consulentibus de iure respondebant. Cic. de. Or. III, 33. 133. Hor. Ep. II, 1. 103.

sic enim mihi] Pro part. enim Bakius lenissima codicum auctoritate nec apta sententia enimuero scripsit.

uberioribus et maioribus] Dicit nimirum philosophiam, cui ab adolescentia operam dederat.

IV. §. 11. istam causam nemo noscat] Causam intelligit eam, quam ab aetate sibi dari existimat. Causam

autem noscere fere idem est, quod causam probare; a quo tamen ita differt, ut illud ad cognitionem, hoc ad iudicium spectet (Notiz nehmen von einer Sache — billigen). Itaque utrumque uerbum apud Ciceronem ad Fam. IV, 4. 1. (illam partem excusationis nec nosco nec probo) disiungitur. Uide ad Att. XI, 7. 5. et quem Bakius laudat Gron. Lectt. Plaut. p. 356.

instituisti genus] Aliud dicendi genus intelligit remissius ac lenius. Instituere de re suscipienda recte dicitur. Cf. I, 3. 9. I, 6. 20. ad Fam. IV, 12, 2. neque tamen cum haec scribebam, eram nescius, quantis oneribus premerere susceptarum rerum et iam institutarum. Errauit igitur Bakius, cui is tantum rem instituere recte dici uideretur, qui primus alicuius rei aut artis auctor esset. Quod ipse coniecit induisti, id incommodum est uel propterea, quia susceptionem indicat extrinsecus et sine opera nostra factam.

cecinerat in cod. arch. fuisse insignis codicum consensus arguit. Sed cum tardiores, etsi in eam sententiam et Reisigius disputauit ad Soph. Oed. Col. p. 278. et Beierus (phil. Litteraturbl. n. 18.), isto uerborum ordine non item ad canendi, ut ad faciendi uerbum possit referri, uerbum requiritur, quo numerum remissiorem esse factum significetur. Quod alii aliud expresserunt. Man. Lall. Goer. Sch. Or. Osann in Anal. p. 26. ceciderat probauerunt, Moserus et Krausius in Iahnii Ann. 1848. p. 464, quia Cicero uerbis compositis uti soleret, codicis Haun. correctionem reciderat amplexi sunt. At primum recidere ita tantum usurpari posse uidetur, ut simul, quo res recidat, indicetur (quapropter Cic. Brut. 91, 316. merito a uiris doctis Lambini probata est coniectura resederat). Ita ne numerus quidem, nedum quisquam numeros recidere recte dicatur. Nec uero ceciderat uidetur probari posse. Nam cum dubium hoc sit, utrum, ut numeri remissio indicetur, recte dicatur cadere numerus (certe uentum cadere apud Liu. XXVI, 39. XXXVI, 43. de uenti fine, et animum cadere apud Cic. Lael. 7, 23. de animo abiecto dicitur, non remisso): tum multo magis hoc debet dubitari, num recte dicatur numerum caedere, cum ne hoc quidem usu comprobatum sit uentum uel animum caedere pro eo, quod est efficere, ut uentus aut animus cadat. Omnium optime, ut mihi quidem uidetur, Lambinus coniecit remiserat (cf. Cic. de Or. I, 60. 254. solet idem Roscius dicere se quo plus aetatis sibi accederet, eo tardiores tibicinis modos et cantus remissio-

res esse facturum); opposita est enim contentioni remissio. Tusc. II, 23. 54. ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt cet. Quint XI, 3. 17. tum intentis tum remissis modis. Leniuerat, quod G. Hermannus in opusc. I. p. 300. coniecit et Ellendtius probauit de Orat. p. 150., id minus placet propterea, quia lenitati opposita est asperitas, non contentio. Roscius autem comoedus clarissimus erat, quo Marcus familiarissime utebatur. Cf. de Or. I, 28. 136. I, 61. 258. Brut. 84, 280.

contentionibus est uetus mendi in cod. arch. exarati (concionibus) et necessaria correctio. Omnia Ciceronem adolescentem sine remissione, sine uarietate, ui summa uocis et totius corporis contentione dixisse, ut amici et medici ei suaderent, ne causas agere pergeret, ipse testatur in Brut. 91. Cum deinde iterum operam dedisset Moloni, qui eum nimis redundantem repressit et quasi coërcuit, nimia uocis corporisque contentio resedit atque deferbuit quasi oratio; quam maturitatem quandam nactam esse ac senectutem tum, cum turbae ciuiles excitarentur, in Brut. 2. testatur.

ut quemadmodum — relaxes aliquid] Recte quid instituto nouo dicendi genere effectum sit, particula ut indicatur. Itaque Bakii coniectura et quemadmodum — relaxas aliquid, quam codicis B auctoritate (is scilicet relaxis habet, with a written above the i) quodammodo firmari opinatur, non modo non necessaria est, sed etiam orationem reddit languidiorem. Nec uero iterata particula ut pluribus uerbis interiectis quicquam molestiae habet: quam ne in breuiore quidem uerborum complexu Cicero uitauit de Fin. V, 2. 4. ita enim se Athenis collocauit, ut sit paene unus ex Atticis, ut id etiam cognomen uideatur habiturus. Ceterum Bakius, qui contra Handium III. p. 139. disputans recte particula iam praesentem rei statum, qualis ex mutato dicendi genere ortus sit, significari ait, parum recte haec comparat cum eisdem uerbis §. 23. Scilicet illic uerba ut iam consecutionem, hoc loco euentum indicant. Goer. ex deteriorum quorundam codicum mendo utinam (commenticium est enim idem esse in Gud. 2.) eliciendum esse putauit ut iamiam.

quod cum] Quod ad leniter dicendi notionem spectat ex uerbis praecedentibus facile mente concipiendam. Et saepe sic Cicero pronomen ad uniuersam rei notionem ex eis, quae praecedunt, facile cogitandam uel praecedente sub-

stantiuo, ad quod aptari pronomen possit, retulit. Cf. I, 16. 45. de Fin. V, 13. 37. in eoque (non in eaque licet praecedat uita beata) summum bonum poni necesse est i. e. in eo, quod uita animi corporisque uirtutibus expleta est. ad Fam. II, 8. 4. complures dies nullis in aliis nisi de re publica sermonibus uersatus sum, quae nec possunt scribi nec scribenda sunt. Uide Scyff. ad Lael. 4, 14. Madu. de Fin. III, 6. 21.

§. 12. id si quidem] Turbatae huic orationi uiri docti parum probabiliter succurrerunt pronominis uel transpositione, ueluti Turn. Man. Rathius (experiundum tibi id censeo), Handius in diariis Ienens. 1810. p. 574. (si quidem id, Quinte, cet.), uel omissione, ueluti Garat. ad Mil. p. 136., Maduigius in Emendatt. p. 3., Orellius. Sed cum additi pronominis causa nulla appareat, merito id nuper delere Bakius dubitauit. Nec tamen aut eis assentior, qui ante Goerenzium id contra latini sermonis naturam a reliquis uerbis seiunctum positum esse dixerunt pro ita facerem, nec Bakio haec sic interpretanti, ut id ad uerba longius remota posse id populo probari dicat pertinere suppletoque uerbo hisce: id si quidem hanc sententiam subiiciat: id si quidem probaretur, reliquis autem (nullum esset in experiundo periculum) apodosin contineri existimet. Isto modo nec orationi consulitur nec sententiae. Quid enim? nullumne erat, si populo iuris responsio probaretur, periculum, ne ad causarum actionem iuris responsio adiungeretur. Sententia uero haec est: experirer equidem, si id ipsum non mihi periculum afferret, ne ad causarum actionem responsio iuris adiungeretur. Hoc ex satis frequenti Romanorum more ita enuntiat, ut sententia primaria, quippe quae ex eis, quae praecedunt, facile audiatur, suppressa conditionem particula quidem addita acuat. Cf. Cic. Nat. Deor. II, 36. 91. pro Mil. 18. 48. Iam cum aut uniuerse experiri aut addita re, quam experiretur, hoc uel id (i. e. ius respondere) experiri periculosum esse posset dicere: hanc h. l. primum rationem secutus est. Nec quemquam admodum moleste haec haberent: id si nullum esset periculum experiri (wenn mit diesem Versuch keine Gefahr verbunden waere). Sed cum conditione per uoculam quidem admodum aucta Quintique nomine interposito inchoatae structurae memoria admodum obscurata esset, ad alteram deinde locutionem transiit. Similiter iam Goer. haec interpretatus est ratione tamen eorum non explicata. Orationis autem subito mutatae haud

pauca in Ciceronis libris philosophicis exempla deprehendimus, non modo in longioribus et impeditioribus, sed etiam in breuioribus sententiis. Cf. Cic. Off. I, 5. 15. uelut ex ea parte quae prima descripta est, in qua sapientiam et prudentiam ponimus, inest indagatio atque inuentio ueri, ubi pro nascendi uerbo, quoad exspectatur, ponitur inesse. de Fin. III, 14. 48, ubi uerbis ratione illorum positis sic deinde perrexit, quasi ista ante non posuisset. de Fin. II, 15. 50., ubi cum post illa idemne quod iucunde? exspectares an populari fama, haec ad proxima accommodans sic scripsit: an nisi populari fama. Uide Madu.

causarum opera] Bakius uerba ad quam ego nunquam, nisi paratus et meditatus accedo delenda iudicauit, quia et causarum opera maximam partem meditatione contineretur et eadem sententia mox repeteretur (sine qua — sum ausus accedere). At primum quid impedit, quo minus causarum opera intelligatur opera in causis dicendis ponenda s. ipsa causarum actio? Quod si ita est, accommodate ad laboris magnitudinem declarandam ipsa dicendi meditatio iam h. l. commemoratur, praesertim cum eiusdem sententiae mox ponendae nondum sibi ansam dari prouideret. Eandem autem sententiam, quia ipsam meditationem grauiorem uideri uoluit, data occasione iterum postea posuit. Quae accidere solent ei, qui celeriter scribens et primo quasi animi impetu abreptus litteris mandat, quae postea non recolat. Cf. similem eiusdem sententiae iterationem apud Cic. Ac. I, 2. 4.

quae — molesta sit] Non causae significatio, ut Bakius ait, h. l. pronomine relatiuo cum coniunctiuo iuncto continetur, sed haec omnia ex Ciceronis uerentis animo suspensa sunt.

§. 13. his subsic.] Non erat, quod Bakius exigua cod. Par. C et Lag. 10. auctoritate arrepta his omittendum esse diceret. Nam illam ipsam rusticationem arpinatem ut ad ius ciuile explicandum adhiberet, Atticum esse cohortatum ex Marci uerbis elucet, quae deinceps sequuntur: in longum sermonem me uocas, quem tamen — suscipiam. Quod autem addit et conscribis de iure ciuili subtilius, quam ceteri, id non ad hanc ipsam rusticationem, sed ad posterius tempus pertinet.

nam a primo] Quod Goerenzio auctore Moserus et Orellius ex deterioribus quibusdam codd. scripserunt nam et a primo, id in codicibus non satis praesidii habet. Granius lapsus est Bakius, qui praepositionem *a* tolli uoluit

propterea, quia seruata illa studium indicaretur perpetuum, quod neque per se neque propter uerba sequentia fieri posset. At uero studiorum uis non intermissorum non ita his uerbis continetur, ut ea nunquam a se intermissa fuisse distincte affirmare non potuerit, praesertim cum uerba interiecta cum ipse etiam ad Scaeuolam uentitarem nos maxime de studiis ab adolescente cultis cogant cogitare? Q. Scaeuolae autem, ut ius ciuile cognosceret, Ciceronem operam dedisse ipse profitetur Brut. 89. 306. et Lael 1, 1.

cum ipse etiam] Causa his uerbis indicatur, cur Ciceronem a primo aetatis tempore iuri studere meminerit, nec quicquam offensionis illud habet, quod Atticus de Ciceronis ad Scaeuolam uentitatione ut de re nota loquitur; quippe sermo inter familiares est, quos hoc minime latebat. Itaque Bakii coniectura quin ipsum etiam ad Scaeuolam uentitare non modo non necessaria, sed etiam inepta est.

In longum sermonem] Sermo spectat ad sermonem, quem de iure nunc habiturus est, id quod moneo, quia a Bakio sermonem referri uideo ad eiusmodi quandam quaestionem, cur de iure ciuili dicere nolit. Ac de iure ciuili ut cogitetur cogunt ea, quae praemissa sunt. Sed progrediente oratione scite rem eo declinat, ut non de iure ciuili, sed de optimis legibus sibi dicat scribendum esse. Quae cum ita sint, reprehensione non uacat Goerenzius, qui uix manum continuisse se dicit, quin reuocas, quod est deteriorum codicum et olim probatum a Lambino est, reuocaret.

§. 14. ambulatum] Post Steph. Man. Dau. Ern. Wagnerum cum Bakio restitui ambulatum, cum Goer. Sch. Mos. Or. scripsissent deambulatum; idque feci uel optimorum codicum auctoritate commotus uel loco Ciceronis, qui est de Or. II, 63. 256, unde deambulare pro simplici ambulandi uerbo Ciceronis aetate — nam Suetonius iam aliquoties eo utitur. Aug. 83. 96 — non sine offensione fuisse colligere licet.

aliud ex alio quaerentibus] Spectant haec ad dialogicam horum librorum formam, non eo, ut, quemadmodum §. 25. ait, aliud ex alio nectatur.

adire si placet] Hanc codicis archet. scripturam, quae cum a deterioribus codicibus, tum a codd. C δ Gd. 2. praesidium habet, improbatam a Lambino et Ernestio, qui adire deleri uolebant, itemque a Dauisio, qui haec coniecit: et haec quidem adite (sc. spatia) per ripam et umbram, merito autem defensam a Wagnero, Goerenzio, Mosero, denuo sollicitari non oportuit a Bakio, qui pro adire coniecit ad Lirem. Etenim et adire sc. ad spatia illa, id

quod Bakius negat, legitimum est (cf. Cic. pro Caec. 29, 82. sum ex proximo uicini fundo deiectus, qua adibam ad istum fundum) et pergamus uel pergemus, quod in uerbis nos uero audiri necesse est, simul ad uerba per ripam et umbram pertinet. Nec denique pron. demonstratiuum hac, quia ad utramque sententiam pertinet (et hac quidem per ripam et umbram pergemus, si hac adire placet) non recte annectitur sententiae, quae praecedit, secundariae.

egone? summos] Haec orationis forma Ciceroni maxime familiaris in codd. melioribus est seruata; in multis deteriorum quod scriptum est ego memini ab Ernestio illud probatum et Wagnero ac nuper a Zumptio, id librariorum commentum facile agnoscitur. Cf. III, 20. 48. de Diu. II, 13. 32. de Nat. Deor. I, 7. 16. Ac. II, 47. 148. Quo dicendi genere qui utitur, is cum admiratione quadam quaerit, num ipsius sententia requiratur, ita tamen ut responso non exspectato statim, quid sentiat, exponat. Plenius igitur haec sic reddi possunt: Egone, quaeris, quid sentiam? quemadmodum ipse Cic. locutus est de Fin. III, 3. 8, ubi recte pleniori huic generi dicendi patrocinatus est Maduigius.

ius ciuitatis iura omnia ciuium romanorum et publica et priuata, ius ciuile priuata tantum complectitur. Uniuersum autem ius est ius in unum quasi corpus collectum (das Recht als ein Ganzes gefasst) non habita ratione singularum partium, ut sententia horum uerborum haec sit: es fehlte ihnen nicht an allgemeiner Rechtskenntniss.

quid autem tam] Bakius cum parum recte de codicibus A B 11.65. sentiret, ex correcta eorum scriptura quam autem tam exiguum temere haec efficienda putauit: quam autem exiguum est munus hoc eorum.

quamquam] Restringitur quodammodo quod de munere eorum, qui consuluntur, fastidiose iudicauit. Itaque necessaria est Turnebi et Canteri coniectura quamquam ex duobus nunc codicibus excerpta et a Lambino inde probata ab omnibus.

fuisse expertes] Hunc uerborum ordinem post Steph. et Manutium cum Bakio et plurimos et optimos codices secutus recepi.

quoad populo praestare] Populus etsi omnes omnino ciues complectitur, non raro tamen ita dicitur, ut multitudinem contineat eorum, qui aliqua re praeter ceteros non emineant. Quemadmodum igitur II, 12. opponitur optimatibus, sic hoc loco opponitur iuris consultis omnesque eos complectitur, qui iuris periti non sunt. Discedendum

mihi fuit h. l. a codicum meliorum scriptura *quoad populum*, quam inde a Dauisio praeter Zumptium et Bakium omnes probarunt, si quidem *populum praestare* est cauere de populo aut nihil, quod legibus ciuitatis contrarium sit, molituro aut id acturo, quod agere debeat; nec ullo modo eam uim habet, quam Goer. et Mos. ei subiecerunt: *populi partes in iudicio agere*. Cf. Cic. ad Q. Fr. I, 1. 3. §. 10. ib. §. 12. III, 3. 3. Recte uero se habere uidetur deteriorum quorundam codicum scriptura, quae correctione translata est in codd. A B 11. 65. et probata olim a Turn. Uict. Steph. Man. Lambino, nuper a Zumptio est *populo praestare* sc. ius ciuile, i. e. cauere, ut ius ciuile, si quando eius usus sit, populo sit paratum (dem Volke sein Recht verbürgen uel sichern). Cf. Cic. ad Att. X, 4. 5. *quibus* (sc. pueris) *interdum uidemur praestare etiam rem publicam debuisse* i. e. cauere, ut eis esset res publica. ad Fam. III, 10. 3. *Pomptinius, qui a te tractatus est praestanti ac singulari fide — praestat tibi memoriam beneuolentiamque* i. e. cauet, ne sua erga te beneuolentia desit. Quodsi in his exemplis *praestare* esse dicunt *conseruare*, id ita uerum est, si nostram sentiendi dicendique rationem sequimur. Romani quidem pro eo, quod ex praestando nascitur, saepe ipsam praestandi notionem substituunt. De Maduigii coniectura *quoad ad populum* iuris consulti ius ciuile ad populum tantum i. e. in populi concione praestare dicerentur. Temeraria uero est Bakii coniectura *quoad populo deberi uiderunt*.

id autem in cognitione] Correctiones haudquaquam ad sententiam probabiles sunt eae, quae sunt in codd. deterioribus: *id autem incognitum est minusque* uel *minus quam in usu necessarium*. Nec quicquam profecit aut Ernestius coniectando *illud seruatis* reliquis, ut pronomen ad *ius ciuitatis* referretur, aut Lambinus (*illud autem incognitum minus est in usu minusque necessarium*), aut Dauisius (*id autem reconditum est minus quoque in usu necessarium*), aut Zumptius (*id autem cognitione est minus, quam usu necessarium*), aut Bakius denique (*id autem in cognitione tenui et in usu uersatur*). Sententia nimirum haec requiritur: ius ciuile, quod iuris consulti tantum ad usum ciuium exercuerunt nec ita tractarunt, ut rationem eius exquirerent — nam hoc modo si ius tractassent, non tenue esset in cognitione — etsi in usu necessarium est, in cognitione tamen est tenue. Declarant hoc et ea quae praecedunt et quae

sequuntur; similiterque de iure ciuili ut de re leuiore, sed ad usum ciuium non inutili loquitur de Fin. I, 4. 12. Hanc autem sententiam Maduigius Emendatt. p. 6. expressit coniectura egregia: id autem in cognitione tenue est, in usu necessarium, quae, ut par est, mendo nititur codicum meliorum (uide annot. crit.) et merito probata est a Krausio l. l. p. 465, et ab Orellio, qui tamen parum recte praepositionem in, ut ex geminatione ortam, omittendam indicauit. Quae, ut saepe, in quo adiectiui uis cernatur, indicat. Cic. pro Caec. 10, 20. gentes in testimoniis religiosae. Rep. I, 8. in disserendo rudes. Cognitionem dicit, quam Graeci θεωρίαν uocant, usum πρᾶξιν. Denique attende duas sententias ex aequo esse positas, quarum nos alteram alteri subiecerimus (das ist aber, während es in der Praxis nothwendig ist, in der Theorie von geringer Bedeutung). Cf. quae dixi III, 20. 49. Madu. de Fin. I, 5. 15.

an ut] Sic scripsi cum Uict. Dan. Bakio meliores codices secutus; reliqui cum deterioribus aut ut, quod licet sic defenderis, ut unam tantum interrogationem mente conceptam esse dicas in duas partes diuisam (hortarisne, ut libros conficiam de stillicidiorum ac parietum iure aut ut — componam?), magis tamen eiusmodi quaedam placet interrogationis geminatio, ut altera alteri opponatur (hortarisne, ut libellos conficiam de stillicidiorum ac parietum iure, an hortaris, ut — componam?) Nec uero stipulationum et iudiciorum formulae, id quod cum Rathio contendit Moserus, in eodem erant genere cum parietum et stillicidiorum iure. Haec ad ius ipsum spectabant, illa ad actiones forenses et contractus, nec iisdem libellis utraque coniuncta esse existimo.

quae et scripta a multis sunt] Hunc uerborum ordinem ex melioribus codicibus recepi cum Bakio, qui tamen ex deterioribus correctisque codd. A B 11. 65. conscripta dedit pro scripta. Reliqui scripta (conscripta Uict. Lamb.) sunt a multis.

quae a uobis] Uobis, quod iam in ueteribus quibusdam editionibus — uide ann. crit. — expressum est pro eo, quod in cod. arch. fuit nobis, merito inde ab Ernestio probarunt omnes. Nam Quintus tantum et Atticus, non alii a Marco quaedam de iure ciuili exspectabant; a nobis autem si scriberetur, in uniuersum significaretur quaedam a Tullio exspectare Romanos.

V. §. 15. si quaeres] Bakius, qui ut ante Rathius pro quaeres commendauit quaeris, quia in hac dicendi formula non locus esset futuro, inscite hoc dicendi genus, quo reuera quempiam sumimus quaerere, confudit cum rhetorico illo, quo tum utimur, cum ei, quem quaerentem fingimus, aut rem aut uerbum suppeditamus. Cic. Off. III, 20. 80. et ea res, si quaeris, ei magno honori fuit. Tusc. III, 29. 73. praeclarum illud est et si quaeris, rectum quoque et uerum cet. de Or. II, 62 254. Cat. Mai. 18. 65. ad Fam. VII, 1. 2. Hoc autem loco cum reuera, quid ipse sentiret, Marcum quaesiturum esse sumeret, aut praesenti tempore uti potuit, ut tunc ipsum, aut futuro, ut post eum quaerentem fingeret, quemadmodum particula si non addita ad Att. IV, 16. 9. ait: quaeris ego ut me gesserim? pro Arch. 6, 12. quaeres a nobis, Grati, cur tantopere hoc nomine delectemur. ibid. 7, 15. quaeret quispiam.

Platonem] Quanta Platonis admiratione teneretur, ipse passim declarauit. Cf. III, 1. 1. ad Att. IV, 16. 3. deus ille noster Plato. Eandem laudem Platoni tribuentem fingit de Nat. Deor. II, 12. 32. Balbum, qui eum quasi deum quendam philosophorum nominat.

ille] Scilicet quae ipse sentiebat Plato hospiti Atheniensi tribuit, qui illis in libris cum Crete Clinia et cum Megillo Lacedaemonio colloquitur.

de institutis] Quod Goerenzius fecit, ut optimis uel ad institutis referret, id nec per grammaticas rationes facere licet (dici oportuit legibus optimis) nec per rem ipsam. Non enim de optima rerum publicarum forma Plato in illis de legibus libris scripsit, sed de certis quibusdam ciuitatum institutis disseruit, Lacedaemoniorum, Cretum, aliorum.

tum autem] Tum actiones h. l. significat se excipientes, non partiendi uim habet, ut dictum sit pro tum ambulantes, tum residentes, id quod Bakius dixit. Nec usquam hanc uim assumit particula tum semel posita; aut actiones significat se excipientes, ut §. 17. tum haec tractanda cet. Ac. II, 37. 138. aut in rerum enumeratione ponitur, ut Ac. II, 1. 1. magnum ingenium L. Luculli magnumque optimarum artium studium, tum omnis liberalitas. de Nat. Deor. I, 16. 43. Off. I, 21. 71. Nec assentior Madnigio, qui de Fin. II, 16. 53. quem ante animi desiderari dicit. Non enim necesse est sic loqui Tullium, ut in priore membro iam alterius exspectatio excitetur. Cf. Stuerenb. pro Arch. p. 179.

§. 16. si ullo in genere cet.] Quae uulgata fere sunt secundum codices deteriores: in nullo genere disputandi magis honeste patefieri, ea neutiquam possunt probari; nec enim in hac disputatione magis ista patefieri recte dicuntur, quam in alia ulla, nec apta est huic loco mentio honestatis, etiamsi honorem cum ipsa patefactione iunctum esse dicas, ut ad ipsum auctorem existimetur redundare nec cum Goerenzio, Mosero, Orellio neglecta latini sermonis natura sic interpreteris, ut magis honeste hoc sit magis in honorem generis humani. Nec uero assumtam aliorum deteriorum codicum scripturam nullo in genere disputandi magis honesta patefieri Zumptius comprobauit ita uertendo: bei keiner Art wissenschaftlicher Eroerterung werden im hoehern Grade Fragen der Sittlichkeit klar gemacht. In qua cum alia displicent, tum illud, quod uniuersae honestarum rerum notioni, quae et ipsa ab hoc loco aliena est, singula, quae patefiunt, sine ulla demonstratione adduntur. Demonstrationem eorum, quae in hac disputatione patefiant, codicum mendo contineri praeclare Halmius perspexit in Schneid. Phil. I. p. 173, qui ex meliorum codicum mendo ingeniose et, ut puto, vere haec effecit: nam sic habetote, si ullo in genere disputandi, in hoc ista patefieri, quid cet. Quibus cum in aliis philosophiae partibus, tum in hac disputatione patefieri declaratur, quid sit homini tributum natura cet. Pronomine demonstratiuo grauiter sequentia monstrari notissimum est. Cic. ad Fam IV, 7. 2. sed idem etiam illa uidi neque te consilium belli ciuilis ita gerendi nec copias Cn. Pompeii nec genus exercitus probare semperque summe diffidere. Cf. Seyff. ad Lael. 2, 8. Dicendi genus ignorarunt Romanis perquam familiare, qui, ut Turn. Lamb. Rathius pro disputandi commendarunt disputationis. Cf. quae dixi ad III, 6. 14. Reliquorum coniecturas haudquaquam probabiles, ne quid desiderari uideatur, simpliciter adiungam. Turnebi et Lambini: nullo in genere disputationis sic patefieri; Dauisii: nullo in genere disputandi magis potest patefieri; Wyttenbachii: n. i. g. disp. illud honestum magis patefieri, quod sit; Orellii: n. i. g. disp. magis manifeste patefieri; Bakii: n. i. g. disputandi nisi hoc uel in hoc patefieri.

quid sit homini a natura tributum] Et uerba haec (editum enim est ab omnibus praepositione omissa natura) et hunc uerborum ordinem, quem olim Uict. Man. Lambinus, nunc Bakius probauit, restitui ex codd. melioribus,

quibus plures accedunt deteriores; reliqui tributum natura. Recte quidem dicitur natura tributum, quemadmodum dicitur de Fin. IV, 7. 17. natura tributum esse. II, 11. 33. III, 20. 66. V, 1. 2. natura datum, nec quicquam tamen impedit, quo minus naturam non causam, sed quasi agentem quandam cogitemus, ueluti Cic. Off. I, 4. 11. generi omni est a natura tributum. de Fin. V, 9. 24. de Leg. I, 12. 33. Ceterum his eisque, quae sequuntur, disputationis summa indicatur, quam inde a cap. 7. instituit. Et quidem quid homini a natura tributum sit, cap. 7. et 8. ostendit; quantam uim rerum optimarum mens humana contineat, cap. 9; cuius muneris colendi nati et in lucem editi simus quaeque naturalis hominum inter ipsos societas sit, c. 10. 11. 12. persequitur.

quae naturalis] Temere Bakius atque coniecit pro quae. Pronomen iteratum maxime conuenit ardori, quo incitatus Cicero haec disserit. Deinde inscite idem explicandis desiderare se dicit pro explicatis, quasi uero non necesse sit harum rerum explicationem praecedere, antequam fons legum inueniri possit.

§. 17. a praetoris edicto] Ueteres iuris consulti ius ciuile explicaturi a tabulis XII exordiebantur, ut S. et L. Aelii, L. Acilius, quorum ipse mentionem fecit II, 23. 59; postea uero quam praetores edicta proponerent, ex quibus per annum suum ius dicerent superiorumque edicta adscisci coepissent a posterioribus, ut certi uim iuris ac perpetui sensim obtinerent, ab edicto praetorio proficiscebantur. Quem morem Ciceronis aetate iam increbescentem praeter alios secuti sunt Ulpianus, qui LXXXIII libros, et Paullus, qui LXXX ad edictum composuit.

non enim] Causa cur nec a XII tabulis nec ab edicto praetorio, sed ex intima philosophia ius repetendum esset, adiuncta satis ea sibi probari significauit, quae Atticus dixisset. Inficete igitur Goer. ad Ac. II, 16. 50. et Moserus non enim dici dixerunt pro non. non enim. Deinde temere Bakius pro id dixit scribi oportere hoc, quia id non posset ad sequentia et praesentia referri, nisi aut qui aut ut sequeretur. At primum ad praesentem rem h. l. non spectat, sed ad rem certo tempore non circumscriptam. Deinde uero nihil interest, utrum pronomen relatiuum, an particula relatiua, qualis est quemadmodum, an denique aliud quid sequatur, (de Fin. V, 7. 19. ut aut id honestum sit facere omnia cet.) Et hac re una illa pronomina differunt, quod id simpliciter rem denotat monstrando, hoc rem indicat ut propius nobis admotam, ueluti de Diu. II,

13, 30. declarari censet haec duntaxat, pabuli genus et earum rerum, quas terra procreet uel ubertatem uel tenuitatem. Id cum deterioribus quibusdam satis tuentur codd. BEδ Gd. 2. Codices A 11. 65. ut multis locis aliis, h. l. correcti sunt ex deterioribus.

quemadmodum caueamus i. e. quemadmodum caueamus, ne in iure aut iudiciorum formulis temere usi aut aduersariorum artibus circumuenti causa cadamus.

ab uno] Intelligitur Seru. Sulpicius, quem Brut. 41, 151. omnium non eiusdem modo aetatis, sed eorum etiam, qui fuissent, in iure ciuili principem fuisse dicit.

tota causa est] Hunc uerborum ordinem (Uict. Lamb. Ern. Wagn. uniuersi iuris est ac legum) inde a Goerenzio merito esse probatum cum plurimorum, tum optimorum codicum auctoritas arguit. Uniuersum ius oppositum est singulis eius partibus, ut uel ius naturae eo contineatur. Cf. §. 14. Causa autem res est qua de agitur. Cic. Ac. II, 13. 40. unius argumenti conclusione tota ab his causa comprehenditur. Totam igitur causam uniuersi iuris complecti hoc est ius uniuersum ita complecti, ut nulla eius pars praetermittatur. Quae cum ita sint, nec epexegesis (qualem Bakius agnoscere uidetur) uestigium ullum est et uerba uniuersus ac totus idcirco inter se disiuncta esse patet, ne uis dicendi, quae in uerbis illis posita est, minueretur.

concludatur.] Naturae, quod in cod. arch. post concludatur fuisse summus codicum consensus arguit, Steph. Man. Sch. Mos. Bakius expulerunt, Goer. et Orellius uncis incluserunt. Et recte quidem improbatum est, quoniam et sententia id respuit et oratio. Nam nec pro naturae iure simplex naturae uocabulum potest usurpari nec in angustum locum iuris naturae ius ciuile concluditur, sed omnino in paruum quendam locum totius disputationis, quae praeter ius naturae etiam leges complectebatur optimas, quibus ciuitates regi deberent, nec negligebat iussa populorum et romani populi iura ciuilia. Quae totius disputationis capita ipse deinceps describit.

nobis est] Pro uulgato horum uerborum ordine explicanda est nobis merito mihi hunc uideor potiore codicum auctoritate cum Bakio restituisse. Incommode pronomen nobis acuitur eo, quod postremo loco ponitur. Temere autem mox Bakius, quia nostri populi iura dicere Ciceronis consuetudini contrarium esset et in cod. γ paullo ante iussa populi populorum scriptum esset pro iussa populorum (quasi uero hoc ad nostra uerba ualeret) con-

iecit nostra iura, populi ex interpretatione natum esse existimans.

VI. §. 18. Non ita est] Pro uulgato uerborum ordine non est ita cum Victorio et Bakio hunc restitui ex codd. cum plurimis, tum optimis. Non enim omnino quicquam esse negatur, ueluti III, 7. 17. de Off. I, 45. 158., sed ita esse negatur, ut antea dictum sit adiuncta statim correctione. Quod etsi uel sic scribi potuit non est ita, quemadmodum scripsit ipse pro Cluent. 59, 162. (non est ita; sed — uoluit eum aliquid acceptum referre liberalitati suae), ut primum simpliciter hoc ita esse negaretur ac deinde correctio adiungeretur praecedentibus uerbis nondum indicata: hoc tamen loco correctionem sequi iam ipso uerborum ordine indicare uoluit. Attigit hoc discrimen quem Bakius laudauit Handius Turs. III. p. 493. Ac pro at, quod ex deterioribus translatum est etiam in codd. ABC11. 65., seruatum est in E δ Gd. 2. Temere deleri id uoluit Rathius. De hoc Romanorum res, quae in aliarum rerum locum substituuntur, annectendi more cum multi, (v. Jordan pro Caec. 20, 58.) tum Seyff. disseruit ad Lael. p. 182.

ignoratio iuris litigiosa est] Quinto affirmanti eos, qui ius non ex fonte repetant, sed singula tantum iura a populis constituta tradant, quemadmodum ii fecerint, qui usque eo ius ciuile scripserint, non tam iustitiae quam litigandi uias tradere, hoc non concedit, sed potius iuris ciuilis ignorationem multarum litium causam esse dicit. Temerariam igitur esse patet Bakii coniecturam ac potius haec iuris ignoratio, quam scientia est.

hoc posterius] Pro eo, quod adhuc uulgatum est, haec cum Dauisio et Bakio ex codd. et plurimis et optimis restitui hoc, ut pronomen ad hoc unum pertineret ignorationem iuris potius quam scientiam litigiosam esse. Idem Zumptio uideo probatum esse.

doctissimi uiri dicuntur philosophi (eodem eos nomine appellat de Off. II. 17. 60. III, 1. 3. de Or. III, 15, 57. Par. V, 1. §. 33.) et Stoici quidem, quos in hac de summa lege disputatione sequitur.

ratio summa insita in natura est ipsa ratio diuina, quam per totam naturam diffusam esse Stoici dicebant, Stoicorum λόγος ὀρθός, κοινὸς νόμος. Cf. Diog. Laërt. VII, 80. ὁ κοινὸς νόμος διὰ πάντων ἐρχόμενος. Cic. Nat. Deor. I. 14. 36. aliis autem libris rationem quandam per omnium naturam rerum pertinen-

tem ui diuina esse affectam putat. Ibid. Zeno naturalem legem diuinam esse censet eamque uim obtinere recta imperantem prohibentemque contraria. Eandem legis definitionem Cicero saepius proposuit. II, §. 8 10. 11. de Nat. Deor. I, 15, 40. Cf. etiam quae cum plerisque eorum, quae ante posui, laudauit Turnebus: Stob. Serm. XLII, 12. *τὸν νόμον σπουδαῖον εἶναι φασὶ λόγον ὀρθὸν ὄντα, προστακτικὸν μὲν τῶν ποιητέων, ἀπαγορευτικὸν δὲ τῶν οὐ ποιητέων.* Digg. I. tit. III. leg. 2. *ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θείων τε καὶ ἀνθρωπείων πραγμάτων· δεῖ δ'αὐτὸν προστάτην εἶναι τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν καὶ ἄρχοντα καὶ ἡγεμόνα καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα εἶναι δικαίων τε καὶ ἀδίκων καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων, προστακτικὸν μὲν τῶν ποιητέων, ἀπαγορευτικὸν δὲ τῶν οὐ ποιητέων.*

eadem ratio] Rationem diuinam per totam naturam pertinentem in homines quoque diffusam Stoici existimabant, quam et ipsam confirmatam et confectam legem appellabant. Cf. praeter II, 5. 11. Tusc. V, 13. 38. humanus autem animus decerptus ex mente diuina cum alio nullo nisi cum ipso deo, si hoc fas est dictu, comparari potest. Hic igitur si est excultus et si eius acies ita curata est, ut ne caecetur erroribus, fit perfecta mens, id est absoluta ratio. Phil. XI, 12. 28. est enim lex nihil aliud nisi recta et a numine deorum tracta ratio imperans honesta, prohibens contraria. Bakii coniectura eademque non modo non necessaria, sed quia nihil noui adiungitur, ne probabilis quidem est; itemque Gulielmi coni. conformata, quam Zumptius probauit, ipsius Ciceronis uerbis quae sunt I, 9. 27. (confirmat ipsa per se rationem et perficit) reprobatur. Cf. praeterea I, 7. 22.

§. 19. prudentiam] Rationem in homine perfectam Stoici etiam *φρόνησιν*, prudentiam uocabant, quam Cic. Off. I, 43. 153. omnium expetendarum fugiendarumque rerum scientiam esse et de Nat. Deor. III, 15. 38. ex scientia rerum bonarum et malarum et nec bonarum nec malarum constare dicit. Cf. I. 23. 60. Eandem I, 7. 22. sapientiam appellat.

eamque rem] Rem addidit Tullius, ut uim et notionem legis (nam saepe res dicitur de rebus mente

comprehensis de Fin. II, 4. 13.) graece a suum cuique tribuendo, latine a legendo appellatam esse declararet. Quare et Vict. et Lamb. in edit. 1584. male rem omiserunt. Nec uero magis h. l. graecum uocabulum νόμον addi oportuit, quod a Lambino additum (is enim scripsit in edit. 1566. eamque rem illi graeco nomine νόμον, in edit. 1584. eamque νόμον illi graeco cet.) probauit Rathius, quam postea latinum legis. Unde res nomen inuenisset, satis erat indicare, nomen ipsum ponere nihil attinebat. Nec graeca uox posita est II, 12. 29., quia focum ista denotari satis erat declarare.

plerumque] Adiecta uocula plerumque hanc Stoicam legis definitionem ita sibi probari significat, ut interdum tamen quaedam de ea dubitatio moueatur. Quam eandem aliis de rebus, in quibus eosdem Stoicos sequebatur, sibi moueri non significauit easque simpliciter probauit, ueluti I §. 24 et 35. Istam autem dubitationis, quae interdum existeret, significationem in Cicerone ut Academico mirari non debemus, quippe qui non unam semper stabilemque sententiam sequi deberet. Praue plerumque et Bakius et Handius Turs. IV. p. 472. interpretatus est, quorum ille id dixit esse uniuerse, hic maximam partem, quasi plurima in hac definitione, non omnia probaret.

iuris exordium h. l. idem est, quod §. 28. principium iuris, quemadmodum similiter dixit de Fin. V, 7. 18. uitae exordium (Lebensprincip) et de Uniu. 2. rationis principium (Vernunftprincip), ut temere Bakius iuris aut tollendum aut in nobis mutandum esse dixerit.

in populari ratione i. e. omnis nostra oratio uersatur in quaestione, quae uniuersum populum attingat. Labitur enim Bakius, qui hanc his uerbis uim subiicit, omnem nostram orationem, id esse sermonem usitatum in uerborum ui definienda et usurpanda totum pendere ex populi iudicio et ratione.

et appellare eam] Vulgatum fere est et eam legem, quae — ut uulgus appellare. Sed cum in cod. arch. ante eam scriptum fuisse appellare codicum, si non omnium, at plurimorum et optimorum auctoritate confirmetur, hoc restitui necesse est. Quo facto appellaret uel appellarit, quorum alterum utrum in cod. arch. fuit, mutari oportet in appellat. Utrumque recte uidit Bakius et ante uiderat Steph. et Lambinus (hic tamen male eam omisit), eaque emendatio etsi non efflagitata ab oratione (cf. §. 49, ubi similiter uerba nullam malitiam in unam

notionem non coalescentia iuxta se posita sunt uerbo in finem sententiae reiecto), haud paruam tamen ab ea commendationem habet. Sic enim uerba eam legem non in unam coalescere notionem statim apparet.

scripto] Codicum meliorum mendum scripta probari non oportuit a Bakio. Diuersa est enim ratio uerborum II, 4. 10. (quae tum denique incipit lex esse, cum scripta est), quae Bakius laudauit. Hoc quidem loco necesse est addi id, quo lex sanciatur, quemadmodum similiter scriptum est §. 20. nec scriptis omnia sancienda, ubi perperam pro scriptis Bakius coniecit scitis, quod uel eo necesse est improbari, quia de legibus a Cicerone scribendis, non de legibus a populo sciscendis sermo est.

iuris constituendi] Jus, quod Bakius de ipsis legibus a Tullio iam describendis dici putat, dicitur de eo, quod iustum sit et quod legibus ab ipso iam constituendis uelit circumscribere. Ad singula iura describenda pertinent demum uerba, quae deinceps posuit: haec, quae quaerimus.

§. 20. sapientius] Quod codd. omnes tenent sapientius, id improbari non oportuit a Steph. et Lambino, qui aptius ediderunt, nec a Dauisio, qui conuenientius commendauit. Praepositio quidem hanc uim habet, ut ad quid spectet sapientia significet. Similiter dicitur II, 13. 33. multa ad ueritatem admirabilia. Verr. I, 21. 58. ornatus ad speciem magnificus. Magnam exemplorum copiam collegit Ellendt ad Cic. de Or. I, 4. 15.

esse faciendum] Equidem potiore codicum auctoritate hunc uerborum ordinem (reliqui faciendum esse) cum Vict. et Bakio recepi, quo uerba acuenda illa ita et faciendum leuiore uocabulo interposito perquam commode disiunguntur.

adscribito] Ex codicis arch. mendo adscribi rectius plerique interpretes effecerunt adscribito, quam Steph. et Dau. adscribe, quo simpliciter significaretur, uelle Atticum nunc fratris sententiae se adscribi, non iniecta simul significatione hoc ad futurum etiam tempus pertinere. Cfr. quem locum Goer. laudauit ad Att. IV. 1. 22. salutem utrique adscribito. Similiter in cod. arch. absorptae sunt syllabae II, 11. 28. manu pro humana; II, 18, 45. cato pro dedicato.

quoniam igitur] Posteaquam Atticus et Quintus uelle se dixerunt iuris ortum a fonte repeti, id se iam facturum esse ait causis simul, cur id facturus sit, allatis. Quae quidem cernuntur in eo, quod leges ab ipso scribendae non

ad ciuitatem quandam uspiam constitutam, sed ad eam sint accommodandae, cuius imaginem Scipio in illis de re publica libris adumbrauerit et quia, si illam intueamur, non omnia scriptis sint sancienda, sed etiam moribus quaedam firmanda. Quod ut fiat, iuris quidam sensus excitetur necesse est, qui facilius excitatur stirpe iuris a natura repetita, quam scriptis legibus. Cf. I, §. 37. itemque de Rep. IV, 6. hanc (uerecundiam) auxit opinionibus perfecitque, ut pudor ciues non minus a delictis arceret, quam metus.

serendi] Serendi uerbum per metaphoram Romanis admodum tritam ad res uarias transfertur. Liu. III, 40. med. discordias ciuiles serere. Suet. Cal. 26. causam discordiarum serere et insolentius etiam Tusc. I, 14. 31. uir magnus leges, instituta, rem publicam non seret? de Rep. II, 3. 5; et simillime Plaut. Trin. II, 4. 531. Hem, istic oportet opseri mores malos, si in opserendo possint interfieri.

nobis omnis est] Potiore codicum auctoritate reuocaui cum Bakio eum uerborum ordinem, quem iam Steph. Man. Dau. secuti erant et pro quo Vict. Ern. Wagn. Goer. Sch. minus recte scripserunt est nobis omnis; rectius, si a codicum auctoritate discesseris, Mos. et Cr. restituerunt omnis est nobis.

VIII. §. 21. Dasne cet.] Ex Attico ut Epicureo quaerit, num deorum immortalium potestate totum mundum administrari concedat, quia Epicurei deos res humanas curare negabant nec ipse in reliqua disputatione progredi potuisset, nisi hoc ipsum ante concessum esset.

noui sententiam cet.] Praepositionem de ante deorum additam in codd. deterioribus, quam tenuerunt Steph. Grut. Goer., correctionem esse haudquaquam probabilem hinc perspicitur, quod qui sequuntur ablatiui ratione potestate ceteri carere non possunt genitiuo deorum immortalium. Merito igitur abest a codd. melioribus. Iidemque codices deinceps uerae scripturae indicium retinuerunt, in quibus est ut natura. In deterioribus mendum apertum sublatum est. Mendum autem illud cum aut sic emendari possit, ut ui natura (male Moserus ui et natura) restituatur, id quod Man. Lamb. Ern. Wagn. amplexi sunt, aut cum Lamb. in marg. edit. 1584., Schuetzio, Bakio ita, ut natura correctionem esse dicas mendi ut ex margine in uerborum seriem illapsam, parum recte hoc ego ipse in contextu probaui hac Bakii disputatione deceptus, nusquam in simili nominum cumulatione naturae uocabulum deprehendi. Nec deprehenditur sane Cic. Nat. Deor. II, 6, 16. ibid. II, 37. 95. alibi.

Sed similiter Cicero dicit de Fin. IV, 5. 12. diuina mente atque natura uniuersum mundum administrari, nec cogit sane quicquam, ut in hac nominum, quae agendi vim habeant, coaceruatione naturam deorum nihil agentem cogitemus. Retinendum igitur natura nunc censeo, quia nec a meliorum codicum scriptura sine necessitate puto discedi oportere, et nomina, quae ad rem apertius declarandam (cf. de Fin. III, 4. 14.) h. l. cumulata sunt, bina uidentur coniuncta esse, ut, si omittatur natura, aequabilitas orationis tollatur. In quo neminem hoc debet offendere, quod nomina eiusdem potestatis ratione mente, potestate numine non sunt coniuncta; nam et chiasmus hoc in genere et anaphora regnat. Cf. Naegelsbach lat. Stilist. p. 342. Danisius, qui in uerborum contextu cum Uict. uocabulo ui omisso scribit deorum immortalium natura, coniecturam hanc tentauit deor. imm. 'cura ratione cet., uir quidam doctus apud Tunstallum ad ep. ad Att. p. 177. natura in nutu mutauit. Denique quod dicitur natura deorum omnem naturam regi, id, quia illud ad uim deorum, hoc ad naturam rerum pertinet, iure offendere potest neminem, praesertim pluribus aliis nominibus naturae uocabulo adiunctis. Sed offendit tamen Bakium, cum ipse exempli simillimi mentionem faceret de Nat. Deor. II, 30. 77. non est igitur natura (sc. deorum) praepotens neque excellens, si quidem ea subiecta est uel necessitati uel naturae.

ab eo] Recte hoc tenent codd. meliores; a deo, quod post Lambinum edidit Goerenzius, praua est correctio deteriorum, cuius absurditatem recte Bakius hinc patere dicit, quod non deos esse Epicurei negauerint, sed omnem naturam dei mente administrari.

strepitumque fluminum i. e. Liris et qui in eum effunditur Fibreni. Cf. II, 3. 6.

uirorum bonorum] Peti patet Epicureos, qui cum leui quadam contemtus significatione, non cum irrisione, ut Bakius ait, uiri boni dicuntur, quemadmodum nostri quoque homines uirum bonum (einen guten Mann) eum uocant, a quo, cum re nulla insignis sit, tamen omnis malitia absit. Cf. Tusc. III, 21. 50. et queruntur quidam Epicurei, uiri optimi (nam nullum genus est minus malitiosum) me studiose dicere contra Epicurum. de Fin. I, 7. 25. Tusc. I, 3. 6.

uiri optimi] Rectius ex codicis arch. mendo capituli post Aldum nepotem, Pearcium, Lallemandum Goeren-

zius, Sch. hos. Or. effecerunt uiri optimi, quam post Uictorium, Manutius, Lambinus, Dauisius, Ernestius, Wagnerus libri optimi. Nam et propius illud, quam hoc ad codicis archet. uestigia accedit, si quidem caput uiri sic notari solebat caputiu et melius uir quam liber optimus uocatur, et scripsit denique quo commode referatur, habet. Quod quia, si liber ante esset commemoratus, non Epicurus, scripsit quo commode referretur non haberet, Dauisius commendauit scribitur. Nec uero improbari illud oportuit a Bakio, qui magistri optimi commendauit, quia sic demum et prodere recte diceretur et criminosum hoc esset, quasi uero non satis apertum sit Epicurum spectari, Epicureorum principem, qui insuper per abusum tantum nominis Attici dici potest magister, et quasi non recte Epicurei, qui κυρίαν eius δόξαν quandam deserant, eam prodere dicantur. Nam caput primum uiri optimi est selectarum breuiumque sententiarum, quas Epicurus κυρίας δόξας inscripsit, Cicero capita appellauit (cf. Ac. II, 32, 101.), sententia prima, quam Epicurus Diog. Laërt. X, 138. auctore his uerbis declarauit: Τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει οὔτε ἄλλῳ παρέχει quamque Cic. Nat. Deor. I, 30. 85. uerbum e uerbo reddens in latinum sermonem sic transtulit: quod beatum est et immortale, id nec habet nec exhibet cuiquam negotium; cumque multis aliis locis (Nat. Deor. I, 17. 45. I, 20. 56. Off. III, 28. 102.) in hac sententia interpretanda Epicurum pressius sequatur, liberiore tamen interpretatione, qualem h. l. deprehendimus, bis utitur de Diu. II, 17, 40. nihil habens nec sui nec alieni negotii et II, 50. 104. Epicurus qui negat quicquam deos nec alieni curare nec sui, ut iniuria de hac huius sententiae ueritate dubitasse uideatur Ualken. ad Xen. Mem. II, 1. 9. Denique ne in uerbis in quo scripsit haereas, recte ista Goer. ita defendit, ut argumentum tantum decreti, non ipsum decretum afferri diceret.

§. 22. a supremo] Pro eo, quod et plurimi et optimi codices tuentur nec loquendi consuetudo respuit (Plaut. Capt. I, 1. 4. Jupiter supreme, serua me. Capt. II, 3. 66. V, 2, 23. Pseud. II, 2. 23.) supremo parum recte Steph. Man. Dau. deteriorum codicum correctionem summo susceperunt; quod licet idem sit apud Lact. IV, 4., non tanta tamen est Lactantii memoriter uerba laudantis auctoritas, ut meliorum nostrorum codicum auctoritati anteponatur. Cf. §. 24. In-

telligitur autem praepotens ille Stoicorum deus, cui dii ceteri pareant. Cf. §. 23.

cum cetera sint] Temere Bakius unius eiusque correcti codicis A scriptura quorum arrepta coniecit quorum cetera sunt omnia expertia. Rationis et cogitationis uerba quia in unam quandam notionem coalescunt, dici certe oportuit cuius. At nec concedendi uis, quae in particula cum inest (da doch), ab hoc loco aliena est et legitimus coniunctiuus.

quae cum adoleuit sc. in homine. Cf. I, 6, 18. II, 5. 11.

§. 23. eaque et in hom.] Nec Wyttenbachii (eaque inest et in homine) nec quae Orellio et Zumptio placuit Maduigii conieeturam (eaque est et in homine Emendatt. p. 7.) necessariam esse patebit, si est quod praecedit uerbum substantiuum, non copulam esse perspexeris (weil nichts sich findet rücksichtlich der Vernunft Besseres, und diese sowohl im Menschen als in Gott); id quod ex ipso uerborum ordine elucet. Copulandi enim uim si Tullius ei uoluisset tribuere, haud dubie scripsisset: quoniam nihil ratione est melius. Alia est ratio loci, qui est II, 19. 47. sed quaedam ars est etiam docendi, ubi merio Lambinus est coniectura restituit. Bakius uero, qui spreta codicum auctoritate ex fortuito codicis C mendo eque et in homine coniecturam hanc elicuit nihil est ratione melius neque in homine neque in deo, plane non uidit illud, in quo pondus quoddam sententiae positum est, non oportere eo eleuari, quod tamquam accidens uerbo adiungitur.

ratio est communis] Codicis archet. mendum ratio et communis est, quod haud scio an ita ortum sit, ut est, posteaquam mutatum esset in et, postremo loco denuo adderetur, ad coniecturam hanc ducit et a me olim et a Bakio commendatam ratio est communis. Similiter II, 13. 32. quod, ortum scilicet ex nota syllabae dis, remansit syllaba dis denuo restituta. Et sic aptissime sane communis disiungitur a uerbis recta ratio, in quibus, quia opposita sunt rationis uocabulo, praecipua quaedam uis posita est, ne ipsum omni dicendi ui exuatur; idemque uerborum ordo et mox et I, 10. 30. deprehenditur. Uide etiam Off. I, 17. 53.

consociati cum Uict. Lamb. Ern. Wagn. ex codicibus et plurimis et optimis restitui pro conciliati, quod post Dauisium et Goerenzium reliqui ediderunt. Idonea ratione caret quod Bakius commendauit conciliati et consociati homines.

quibus autem cet.] Uerba inter eos, quae Moserus et Orellius ut suspecta uncis incluserunt, iure defendit Bakius, quod ante eum fecerat Haase in Reisigii schol. grammat. p. 370. Reciproca quaedam illis denotatur ratio, ad quam declarandam etsi uulgo aut ipse aut pron. refl. adhibetur, ut h. l. aut inter ipsos aut inter se dicendum esset (cf. Cic. Off. I, 17. 53. multa sunt enim ciuibus inter se communia. de Fin. I, 6. 19. de Leg. I, 10. 28. hominum inter ipsos societas. II, 7. 16.): excusationem tamen pron. demonstr. inde habet, quod a nomine suo aliquantisper disiunctum facile ex auctoris sententia poni potuit; nam quibus inter eos dici profecto non potuit. Similiter pro reflexiuo passim usurpauit demonstratiuum, quae eius, de quo diceretur, menti applicanda erant auctoris menti applicans. Cf. Cic. de Or. I, 54. 232. Kritz ad Sall. Jug. 96, 2. Matth. pro Rosc. Am. 34, 95.

ii ciuitatis] In codice arch. scriptum fuisse et ciuitatis plerorumque codicum deteriorum cum melioribus omnibus consensu confirmatur. Nec tamen locus est in hac conclusione particulae et, quae apud Ciceronem ita usurpatur, ut alterum orationis, quae bipartita animo concepta est, membrum aut, quia facile audiri possit, omittatur aut alio quodam modo efferatur. Cf. quae ego disputaui in progr. Ciz. 1841. p. 8. et Madu. in exc. I. editioni de Fin. Bon. et Mal. adiuncto. Sed malo, ut subiectum grauius monstretur, uelut de Diu. I, 52. 118. ea quibus bene praecepta sunt, ii non saepe falluntur. Off. I, 38. 137. I, 35. 127., particulam cum Bakio mutari in ei uel ii, quam cum Goer. Sch. Mos. Or. deleri. Similiter III, 2. 4. in pluribus codd. ei mutatum est in et. Eandem sententiam Stoicorum rationem sequens et Balbus explicat de Nat. Deor. II, 31. 62. et Cato de Fin. III, 19. 64. Uide etiam de Rep. I, 13.

si uero iisdem cet.] Ciuitas non solum legibus, sed etiam magistratibus continetur. Itaque a Cicerone id adiungi patet, unde, si uerum sit, deos et homines multo magis eiusdem esse ciuitatis eluceat idque eum conficere syllogismo hypothetico. In quo assumtio continetur uerbis parent autem — praepotenti deo, absoluitur conclusio uerbis ut iam — existimanda. (Non intellectum id erat a Uict. Steph. Lamb. Ernestio, qui haec expresserunt: si uero iisdem imperiis et potestatibus parent; multo etiam (Steph. iam) magis parent huic caelesti descriptioni, nec perspexit Matthiae, qui in Misc. crit. II. 2. p. 131. hanc coniecturam commen-

dauit: si uero iisdem imperiis et potestatibus parent, parent, et multo etiam magis, coelesti descriptioni). Quae cum ita sint, in codicum meliorum scriptura (uide annot. crit.) praeter mendum aut, ex quo post Turnebum et Manutium Dauisius, Goerenzius, reliqui merito autem effecerunt, nihil puto mutari oportere. Nam ut in concludendo satis frequens est. Cic. de Rep. I, 10. neque leues sunt, qui se duo soles uidisse dicant, ut non tam fides non habenda quam ratio quaerenda sit. Jam autem conclusionem indicat continuo effici ex eis, quae dicta sunt. Cic. pro Cluent. 41, 113. esto: potuit esse innocens. Jam ergo aliquis Oppianicum gratis condemnauit: iam non eos Junius subsortitus est, qui pecunia accepta condemnarent. Cic. Or. 17, 56. diserti deformitate agendi multi infantes putati sunt, ut iam non sine causa Demosthenes tribuerit et primas et secundas et tertias actioni. Quare et praua deteriorum quorundam codicum correctio est unde etiam nec reprehensione Bakii coniectura uacat: praepotenti; ideo etiam uniuersus hic mundus — existimanda est. Denique ne iam quidem particula praecedens (multo iam magis) recte est sollicitata Turnebi coniectura etiam ab omnibus fere probata et a me quoque temere recepta. Etsi enim augendi uis, quae in particula etiam comparatiuo adiuncto inest, sententiae uel maxime est accommodata, non tamen necessaria est. Nimirum particula iam id quod concludatur continuo sequi declarat. Similiter de Rep. I, 32. (multo iam id in regnis minus) itidem in comparatiui uicinia posita est, non ut eius uis augeretur (nam id quidem fieri non potest), sed ut ad nouam eamque maiorem rem indicaretur progressio. Dauisius, quia in Par. et Reg. parent ei reperisse se diceret, (at si reperit, mendum apertum est), inepte scripsit parent ii, multo etiam magis cet. Sequitur in his, ut in ceteris, Stoicorum et maxime Chrysippi rationem, qui auctore Cicerone de Nat. Deor. I, 16. 39. uim diuinam statuebat in ratione esse positam et uniuersae naturae animo ac mente ipsumque mundum deum esse et eius animi fusionem uniuersam. Uide praeterea de Nat. Deor. II, 11. 30. Diog. Laërt. VII, 68. 135. sqq. Nec alium h. l. intelligit praepotentem deum, quem et de Nat. Deor. II, 2. 4. appellat, quam uim istam rationemque diuinam ac necessitatem, cui (de Nat. Deor. II, 30. 77.) deorum natura non praepotens nec excellens subiecta sit quaque coelum, maria, terrae regantur, ut temere post

Uictorium et Lambinum Bakius deo improbauerit, ad quod uel mendum ducit codicum A et Bunde.

uniuersus sit] Sit, quod a cod. arch. iam abfuit nec tamen deesse potest, malui post uniuersus restituere, quam aut cum plerisque interpretibus post ciuitas aut cum Manutio et Wagnero post existimanda, licet in paucis quibusdam codd. deterioribus altero utro sit loco coniectura restitutum. Isto loco si positum fuisse statuerimus, et facilem eius omissionem fuisse patet et exspectatio statim excitatur uerbi eius, ad quod pertineat eoque ipso perquam commode absoluitur sententia. Post ciuitas autem propterea minus commode uidetur collocari, quia nec ad existimanda id pertinere statim sentitur, et primo uerbis una ciuitas communis adiungi uidetur.

et quod in ciuitatibus] Haesitarunt in his uerbis plures, ueluti Ernestius mendosa esse dicens et Schuetzius, qui coniecit: et quod in ciuitatibus fit ratione quadam (de qua dicetur idoneo loco), ut agnationibus familiarum distinguantur status, id cet. Qui autem interpretati sunt, parum recte expediuerunt, ueluti Bakius, qui breuiloquentia notata quod (scilicet pro pronomine relat. habuit) dictum esse ait pro ut. Est sane breuius dicendi genus, quale Maduigius quoque agnoscit in Opusc. p. 514. Etenim accuratius si loqui uellet, loqui eum sic oportuit: et quod fit in ciuitatibus ratione quadam, ut agnationibus familiarum distinguantur status, idem fit in rerum natura in eaque est tanto magnificentius, ut homines deorum agnatione et gente teneantur. Sed omissa comparatione rem ponit, ad quam iudicium quod sequitur referatur; neque haec quicquam differunt ab illis: quod litteras ad me per Curionem dedisti, id mihi pergratum fuit, nisi eo, quod, quia id quod posuisset (familiarum status distingui) propter distinguendi uerbum non satis aptum esse uidebatur ad deorum agnationem declarandam, qua homines tenerentur, pronomini id epexegesin quandam addidit: ut homines deornm agnatione et gente teneantur. Cf. Cic. de Or. III, 44. 173. idque princeps Isocrates instituisse fertur, ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem delectationis atque aurium causa numeris astringeret. Cf. Seyff. ad Lael. p. 151. Idemque epexegesis genus in pronomine relat. notauit Madu. de Fin. II, 4, 12.

agnationibus] Uarias uirorum doctorum interpretationes refutare longum est; ex quibus qui hoc ad patri-

ciarum et plebeiarum familiarum discrimen pertinere existimarunt, longissime a uero aberrarunt. Generatim loquitur de omnibus familiarum statibus (nam cum status uocabulo genitiuum familiarum coniungi oportet, non cum agnationibus, ut quidam uolerunt), qui agnationibus i. e. uirilis sexus origine dicuntur distingui ab aliis familiis, ut qui agnati sunt i. e. per uirilis sexus personas cognatione coniuncti (Gai. Inst. I, 156. 1, 10.), eadem familia contineantur. Cf. quae de hominum deorumque agnatione dixi §. 24.

VIII. §. 24. de natura hominis] Maduigii, Orellii, Bakii auctoritate deceptus, qui post Stephanum et Dauisium pro omni uel commendarunt uel ediderunt hominis, quia iam non de natura uniuersa, sed de natura hominis ageretur nec natura omnis recte diceretur pro natura uniuersa, in uerborum contextu scripsi hominis. Idem in uernacula huius libri interpretatione Zumptius probauit. Quae etsi per se non inepta est coniectura: tamen, quia et aduersis codicibus omnibus nec necessarie facta est, eam me recepisse nunc poenitet. Uerissime sane Madu. Emendatt. p. 7. naturam omnem latine dici negauit pro natura uniuersa i. e. in uniuersum, quemadmodum ii fere interpretati erant, qui omni retinuerant. Sed quid tandem impedit, quo minus naturam omnem eam intelligamus, quae modo rerum natura (Weltall) uocata est (eodem modo uocatur I, 7. 21. natura omnis et III, 1. 3, rerum natura omnis) uerbaque cum de natura omni quaeritur ita capiamus, ut in quaestione de natura omni instituenda hanc quoque de hominis ortu disceptationem tamquam illius partem tractatam esse putemus; id quod eo confirmatur, quod Stoici hanc totius quaestionis partem ab uniuersa illa quaestione non secernebant. Ita non modo necessariam, sed ne aptam quidem esse patet Bakii coniecturam si quaeritur. Quaeritur autem antiqua est et necessaria correctio mendi ueteris quaeruntur; nam quod olim, quia deinceps etiam in codicibus uideram solent esse, commendaui cum de natura omni quaerunt, disputare solent apertius h. l. Stoicos notari arbitratus, id minime nunc ego probauerim, quia nec usquam his in libris tam aperte notantur et disputantur quod sequitur passiuam eiusdem uerbi formam magis quam actiuam commendare uidetur. Ceterum pluralis numeri pro singulari ponendi error facilis fuit et saepius a librariis commissus est (I, §. 62.) et codicis arch. mendum solent natum esse patet ex solet et; quae particula copulatiua pridem a uiris doctis ut necessaria est reuocata et tentata iam correctio est mendo

seruato in quatuor codd. deterioribus. Deinde cum antiquioribus quibusdam editoribus (Steph. Lamb. Ern.) et cum Bakio ex codicibus melioribus reuocaui ita pro eo, quod post Dauisium (et ille quidem scripsit et nimirum ista sunt, ut disputatur) et Goerenzium reliqui expresserunt ista. At si probari a se ista uellet significare, inuerso ordine, ut etiam Goer. uidit, dicere debebat et nimirum sunt ista, ut disputantur. Cf. de Rep. I, 10. Seyff. ad Lael. 2, 6; sin autem Stoica a se proferri, non sua, uoluisset declarare, ne ipse admodum probare uideretur, quae deinceps disputaret, pro particula ut uti debuit pronomine relatiuo (ista sunt quae disputantur. cf. de Leg. agr. II, 26. 70. et nimirum istud est, quod ab hoc tribuno plebis dictum est in senatu.) Nec uero assensionis his in libris cohibendae admodum studiosus est. Cf. I, 13. 35. et quae dixi §. 19. Itaque nihil iam nos morabitur quorundam uirorum doctorum, Manutii, Wyttenbachii, Schuetzii suspicio de his uerbis ut spuriis excitata, nec ulla nobis probabitur coniectura, ueluti quae in Asc. 1. et 2. tentata Wagnero placuit et Rathio (cum de natura omni quaeritur, disputari solent nimirum ista: perpetuis cursibus cet.) aut Moseri (et nimirum ni ita sunt, [certe] ita disputantur uel et nimirum ita ista disputantur).

conuersionibusque] Asyndeton, quod in cod. arch. fuit, ferri non potest, quia caelestibus ad utrumque nomen (cursus et conuersiones) pertinet. Merito igitur de Ernestii coniectura Sch. Mos. Or. Bakius receperunt que, cuius nota ante C facile excidere potuit et multis etiam aliis locis interiit. Cf. I, 13. 35. communemque. I, 13. 37. sanandosque. Goerenzius, qui cursus ad planetas, conuersiones ad reliquarum stellarum cum ipso coelo motum spectare dixit, recte uituperatus est a Bakio, quem tamen et ipsum fugit (nimirum in cumulatione ista poni dixit) cursus esse progressus stellarum (die fortschreitende Bewegung), conuersiones autem motus stellarum circa axem. Non erat igitur, quod Mosero uocabulum cursibus suspectum esset.

exstitisse maturitatem] Stoici deum, quem a mundo non seiungebant (cf. Diog. Laërt. VII, 148. Cic. Nat. Deor. c. 14. 15.), perpetuis motibus et homines et res omnes ex se procreasse putabant, ueluti ex semine, unde ipse deus σπερματικὸς λόγος uocabatur. Diog. Laërt. VII, 136. τοῦτον (τὸν θεὸν) σπερματικὸν λόγον

ὄντα τοῦ κόσμου. Unde et rationis societatem et agnationem, quae homini cum deo esset, repetebant. Cf. §. 23. Memoriter Lact. II, 11. haec sic laudauit: aiunt certis conuersionibus caeli et astrorum motibus maturitatem quandam exstitisse animalium serendorum.

cumque alia, quibus] Ex mendo codicum meliorum quamque aliquibus, cuius praue in deterioribus tentata correctio est (uide ann. crit.), recte de Turnebi coniectura reliqui effecerunt cumque (quomque) alia, quibus. Deinde pro eo, quod in melioribus codicibus est cohaerent, probaui quod est in multis deteriorum et quod inde a Goerenzio editores omnes receperunt cohaererent. Nam indicatiuus nonnisi rei definitionem significaret ab ipso auctore propositam, ueluti de Off. I. 39. 141. (tertium est, ut caueamus, ut ea, quae pertinent ad dignitatem, moderata sint), id quod ab hoc loco uidetur alienum esse, quia quae mox sequitur sententia ut Stoicorum cogitatione concepta proponitur.

animum] Post Manutium Ernestius, Wagnerus, Goerenzius, Schuetzius sine ulla idonea ratione de coniectura tamen post animum intruserunt. Restringendi quidem uis, quae in ista particula inest, non magis huic loco accomodata est, quam concedendi, quae, si illud probaretur, particulae cum h. l. esset tribuenda. Aptissime uero ἐκ παραλλήλου utraque sententia ponitur (und während sie Anderes — aus sterblichem Stoffe angenommen hätten). Eandem sententiam de hominis animo ex diuina mente libato Stoicorum rationem secutus exposuit Quintus de Diu. I, 49. 110. Uide etiam II, 11. 26.

ex quo uere — appellari potest.] Est breuiloquentia ab aliis iam notata; nam cum plene haec sic efferri oporteret: ex quo uere ea, quae nobis cum diis intercedit necessitudo, uel agnatio uel genus uel stirps appellari potest, generali subiecti notione suppressa nomen tantum posuit, quo illud appellaret. Simillimum exemplum Bakius hoc laudauit de Nat. Deor. II, 20. 51. quarum ex disparibus motionibus magnum annum mathematici nominarunt. Dissimilia sunt illa ab eodem laudata de Diu. I, 50. 112. (nullam eorum diuinationem uoco i. e. nihil eorum diuinationem uoco; in quo exemplo non perspexit attractionem, de qua dixi ad II, 2, 5.) et de Fin. II, 5. 16. Dissimilia etiam Wopk. congessit in Lectt. Tull. p. 125. laudatus ille a Goerenzio

et Mosero, qui inter alia hoc prodidit Tusc. IV, 12. 27. ex quo in aliis anxietas — in aliis iracundia dicitur. Nulla nec hoc loco nec de Fin. IV, 9. 22. breuiloquentia est. Quemadmodum enim de Nat. II, 20. 51. dicitur in stellis, quas dicimus i. e. de quibus dicimus: ita h. l. in aliis anxietas dicitur hoc est bei Einigen spricht man von Aengstlichkeit. De simili breuiloquentia dixi ad II, 4. 8.

mansueta] Codicum meliorum scripturam mansueta, quae eadem est apud Lact. III, 10. non temere mihi deserendam putaui. Probarunt Dau. Goer. Sch. Mos.; immansueta reliqui ex codd. deterioribus receperunt, quia parum recte genti mansuetae item ut immansuetae ignoratio, qualem habere deum deceret, tribueretur; eamque uerborum structuram eo conantur confirmare, quod laudato Ochsnero ad Cic. Ecl. p. 22. per cumulationem ea etiam disiungi dicunt, quae generis eiusdem sint. Et disiunguntur sane per istas particulas non solum ea, quae re ipsa, sed etiam ea, quae nonnisi contemplatione diuersa sint (cf. Cic. Off. III, 8. 36. Par. I, 1. 6. de Uniu. 3.), nec ista si praedicati locum tenere iudicaueris, ab oratione quicquam dubitationis habeant. Sed ipse uerborum ordo eam uerborum structuram commendare uidetur, ut adiectiua illa apposita sint gentis uocabulo. Quod si est, uniuersae gentis species quaedam indicantur, quae re ipsa, non contemplatione diuersae sunt. Huc accedit, ut melius in hominibus nulla omnino gens esse dicatur, quae deos esse non sciat, quam nulla tam immanis gens, in quo hoc intelligi necesse sit, si ferae immanique genti dei notitiam esse dicamus, multo id magis cadere in mansuetam. Conficitur res denique eo, quod uerba etiamsi ignoret qualem deum habere deceat a Cicerone tantum ad feram gentem relata esse iudicamus. Cf. locum simillimum ab aliis iam laudatum de Diu. I, 1. 2. gentem quidem nullam uideo neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem atque barbaram, quae non significari futura — posse censeat.

ex quo] Uerba ex quo in primis eo pertinent, quod agnationem homini cum deo intercedere dixit; quae res quippe grauior ea, quam inde effecit, Ciceronis animo etiam nunc inhaeret.

is agnoscat] Huius uerae scripturae in codd. deterioribus seruatae uestigium exstat etiam in codd. melioribus, qui duobus uocabulis in unum conflatis habent ignoscat. Unde parum scite Bakius effici uoluit is noscat. Agno-

scere deum est deum cognoscere talem, qualis est. Cf. Cic. Tusc. V, 25. 70. ut se ipsa mens agnoscat. Tusc. I, 24. 58. Mox ex meliorum codicum mendo recordetur cognoscat (A 11. 65. ut multis locis aliis, ita h. l. correcti sunt ex deterioribus), quia post recordet facile et omitti potuit, effeci recordetur et cognoscat, i. e. recordando cognoscat, quemadmodum Tusc. I, 24, 59. dixit agnoscit reminiscendo. Cf. quae dixi ad I, §. 8. Stephanus, Manutius, Lambinus scripserunt et agnoscat, in quo praeterquam quod agnoscat deteriorum est codicum, repetitum agnoscendi uerbum displicet; reliqui fere, etiam Bakius ac noscat; Schuetz recordetur ac recognoscat. Dauisius uerba ac noscat, quia apud Lact. III, 10. non exstarent, uncis inclusit.

neque alio ullo] Lambinus, Dauisius, Ernestius, Schuetzius leuiore codicum auctoritate et contra Ciceronis consuetudinem ullo alio. Cf. ad Att. V, 10. 1. Verr. IV, 3. 7. At sequente comparatione aut exceptione alter uerborum ordo legitimus est, ueluti neque ullam aliam rem magis timeo, quam illam. Ac. I, 5. 19. neque ulla alia in re nisi in natura quaerendum esse. Deinceps non probo coniecturam ullo in genere, quam primum a Dauisio commendatam Creuzerus, Bakius, Zumptius, Krausius probauerunt. Nam ipsum ingenium, cum semper in eo uirtus eluceat (Ac. I, 5. 20.) sitque ea eorum, quae ingenita sunt, summa perfectio, nihil molestiae habet. Deinde uero quod praepositio omissa est, ne hoc quidem a latini sermonis natura uidetur abhorrere. Quam in plurium nominum coniunctione Romani omittunt, si aut singula ipsis nomina in unam quandam coalescunt notionem generalem (cf. ad III, 6. 14.), aut si magis diuersas nominum uolunt elucere notiones, quam hoc indicare, qua cum reliquis uerbis ratione contineantur. Cic. Off. II, 13. 46. prima igitur commendatio proficiscitur a modestia; tum pietate in parentes, in suos beneuolentia. Unde non insolens est praepositionis omissio in oppositorum descriptione. Cic. Verr. II, 3. 7. ad nostram disciplinam illam ueterem, non hanc, quae nunc increbuit. ibid. IV, 27. 60 uenio nunc non ad furtum, non ad auaritiam, non ad cupiditatem, sed eiusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi atque inesse uideantur. Sed quia hoc maximam partem in sensu cuiusque positum est, modo praepositionem positam uidemus, ubi istam minus exspectaueris, modo omissam, ubi melius expressa ui-

deatur. Quo cautius hoc in genere uersandum est cauendumque, ne quid temere contra codices moliamur.

nisi perfecta] Mendi quod in cod. arch. fuit etiamnunc seruati in codd. melioribus (nihil aliud in se perfecta) correctio haud sane probabilis ea est, quae est in codd. deterioribus (quam in se perfecta), quamuis omnes istam ante Bakium editores probauerint. Etenim in se perfecta ita dicitur, quasi etiam de perfectione quisquam possit cogitare, quae extra sit. Nec usquam sic loqui Ciceronem uere Bakius animaduertit. I, 16. 45, ubi item uirtutem interpretatur, simpliciter eam dicit rationem perfectam itemque Tusc. V, 13. 39. perfectam mentem et absolutam rationem. Dicere potuit per se perfectam, quemadmodum §. 27. ait: confirmat ipsa (natura) per se rationem et perficit; sed nihil, qua ui esset perfecta, h. l. attinebat declarare, nec declarauit I, 7. 22. quae cum adoleuit et perfecta est. Facillima in promtu est correctio haec nihil aliud nisi perfecta, quam nuper Bakius proposuit. Cf. Cic. Phil. XI, 12. 28. est enim lex nihil aliud nisi recta et a numine deorum tracta ratio.

quod perspicuum sit] Ex propiore quae hominibus cum diis intercedat cognatione colligit naturam omnia hominibus ad commoditates et usus largitam esse idque ipsam rerum abundantiam ait ostendere, quae tanta sit, ut non fortuito natae, sed donatae consulto uideantur; idque non solum de frugibus et bacis ualere, sed etiam de pecudibus, quia istas partim ad usum hominum, partim ad fructum, partim ad uescendum procreatas esse perspicuum sit. Causam igitur continet sententia secundaria, cur pecudes consulto nobis donatae esse uideantur. Quare et male interpretati sunt Wagnerus ac Goerenzius, quorum ille quod positum esse ait pro ita ut, hic pro ita ut hoc et temere coniecturam tentarunt Dauisius (quas perspicuum sit), Ernestius (quo persp. fit), Rathius (quum persp.), Moserus (quo quidem persp. fit), Bakius denique (quarum persp. sit). Coniunctiuus, ut saepe, modestiam quandam affirmandi declarat. Cf. I, §. 27. Off. I, 44. 157. Idem Stoicorum placitum attigit Cic. de Nat. Deor. II, 53. 133. ibid. 62. 154. de Fin. III, 20. 67.

IX. §. 26. Stoici, qui omnes rerum comprehensiones a sensibus proficisci dicebant (unde eos mentis tamquam ministros ac nuntios appellabant), naturales etiam quasdam esse generum comprehensiones existimabant (φυσικὰς

προλήψεις τῶν καθόλου cf. §. 27.), quae ab interno quodam sensu proficiscerentur, ueluti boni mali, iusti iniusti. Cf. Plut. de Stoic. rep. 17. ibid. 19. Diog. Laërt. VII, 53. Quapropter inepte interpretibus et h. l. et aliis, quibus similiter innatarum intelligentiarum mentio fit (de Fin. III, 21. 59. Tusc. I, 24. 57. cf. etiam Beier ad Off. III, 19. 76.), Stoicorum de innatis intelligentiis sententia ad Platonis de ideis doctrinam accommodari uisa est. Ad uerba quod attinet primum cum Uictorio, Stephano, Dauisio, Bakio (reliqui etiam scripserunt) et particulam codicum auctoritate uel maxime confirmatam restitui, ut utramque sententiam pari dignitate esse pateret. Deinde eorum, quae in cod. arch. erant (uide annot. crit.): et rerum plurimarum obscuras nec satis intelligentias enodauit, ferri duo non possunt: enodauit et nec satis. Nam quid tribuerit natura, quaeritur, non quid aut praetermiserit aut enodauerit. Quorum alterum recte mihi cum Maduigio in Emendatt. p. 10. et Orellio uidetur sublatum esse praeclara Aurati et Lambini coniectura inchoauit, id quod elucet ex uerbis, quae posuit §. 27. (quorum ex prima et inchoata intelligentia genera cognouit) et §. 30. (de quibus ante dixi, inchoatae intelligentiae), quae ita tantum aptissime uidentur posita esse, si ante iam de inchoata intelligentia dixit. Nec uero, quia et praecedat attribuerit et sequatur dederit, opus est simili uerbo, ueluti donandi, quod Krausius mendo isto contineri existimauit, quia intelligentias illas in homine a natura esse inchoatas sua sponte elucet eademque isto modo sententia efficitur, quasi dixerit naturam homini intelligentias tribuisse. Alterum mendum a nemine adhuc puto sublatum esse. Etenim non minus arbitror a recta uia deflexisse eos, qui post uerba nec satis adiectiuum aliquod aut participium, ut claras, apertas, illustratas, enodatas, distinctas excidisse arbitrati sunt, quam eos, qui quod in codices aliquot deteriores illatum est coniectura necessarias amplexi sunt. Incommode enim, cum omnis haec disputatio ad naturae bona commendanda pertineat, naturae uitio uertitur, quod non satis claras inchoauerit intelligentias; nec addidit simile quid Cic. de Fin. V, 21. 59. (ingenuitque sine doctrina notitias paruas rerum maximarum). Sensit id quidem Bakius; sed quod ipse coniecit (rerum plurimarum obscuras, sed certas intelligentias inchoauit, nec ego nec alius, opinor, probauerit. Quomodo enim obscurae intelligentiae certae possint appellari, merito quispiam requisiuerit. Mihi quidem uerba nec

satis intelligentias enodauit uidentur hominis esse haec interpretatori et primum margini adscripta in uerborum deinde seriem ita recepta esse, ut locum occuparent uerborum obscuras intelligentias inchoauit. Uide de codice archet. interpretamentis inquinato quae dixi in praef. p. XVI. Obscuras autem intelligentias rerum plurimarum inchoare in hanc sententiam dicitur: rerum plurimarum intelligentias inchoauit, quae tamen quia non perfectae sunt, obscurae manserunt. Quod nisi probari posse uidebitur, obscuras quoque interpretamenti pars habenda est. Alii quomodo huic loco succurrerint ut sciant ii, quorum ista scire interest, uarias uirorum doctorum coniecturas adiungam. Turnebi: et rerum plurimarum et obscurarum necessarias intelligentias enodauit, quam suam fecit Wytt. et recepit Moserus *), refinxerunt paullisper Manutius (et rer. plur. obscuras et necessarias intelligentias enodauit) et Goerenzius (et rer. plur. obscuras necessarias intelligentias enodauit); Beieri de Off. II. p. 325.: rer. plur. obscuras nec satis illustratas intelligentias enodauit; Lambini: et rerum plurimarum obscuras nec satis apertas intelligentias inchoauit (inchoandi uerbum ab Aurato sumsit), qui Maduigio persuasit et Orellio, quorum tamen ille de Fin. p. 720. pro apertas coniecit claras, hic quid potissimum post uerba nec satis restitui uellet, non definiuit; Pearcii et Lallemandi: et rer plur. obscuras nec satis enodatas intelligentias uerbo omisso; Dauisii: rer. plur. obscurarum necessarias intelligentias adumbrauit; Krausii in progr. 1842. p. 5. et rer. plur. obscuras et (uel sed) necessarias intelligentias donauit; Halmii in Schneid. Phil. I. p. 174: et rer. plur. obscuras nec satis distinctas intelligentias ei donauit. Schuetzius denique uerbis nec satis omissis coniecit: et rer. plur. obscuras intelligentias enodauit.

ad caelique] Confirmatur particula que, quam inde a Lambino usque ad Bakium omnes expresserunt, deterioribus quibusdam codicibus. Quamquam uidetur correctio esse mendi ad coeli uel et coeli **), ut incertum sit, utrum que, cuius ante litteram q facillima omissio erat, an et,

---

*) ipse tamen in annotatione haec tentauit: et rer. plur. obscura nec affatim intelligenda enodauit cet.

**) et coeli, quod est in Gd. 2., item in C et *d* fuisse suspicor.

id quod post Steph. et Manutium Bakius commendauit, Ciceronis fuerit. Eandem hominis praestantiam persequitur de Nat. Deor. II, 56. 140.

ut in ea] Temere Bakius in eo scribi uoluit. Effinxit scilicet, ut in specie oris mores apparerent. Simili errore plerique editores de Diu. I, 30. 62. (tranquillitati mentis quaerenti uera) pro quaerenti optimorum et plurimorum codicum spreta auctoritate scripserunt quaerentis, quasi uero non mens tranquilla diceretur uera quaerere. Cf. etiam Tusc. II, 26. 64. Off. III, 8. 36.

§. 27. affecti sumus] Pro indicatiuo, quem in cod. arch. fuisse certum est (cf. annot. crit.), post Manut. Lamb. Grut. Ern. Wagn. Schuetzium denuo Bakius male reuocari uoluit coniunctiuum. At non pendent uerba ex loquendi uerbo, sed ad omissam demonstrandi particulam pertinent (ita loquuntur, ut affecti sumus); id quod ipsum loquendi uerbum arguit, pro quo, si simus scripsisset, declarandi aut simile aliquod uerbum posuisset. Similiter igitur haec dicta sunt atque illa ad Quint. Fr. III, 9. 9. Ciceronem et ut rogas amo et ut meretur et ut debeo, in quibus nemo aut haesit umquam aut haerebit. Unde simul hoc perspicitur, parum recte Bakium indicatiuo offendi propterea, quod in utraque sententia et subiectum diuersum sit et praedicatum. Cf. Cic. pro Rosc. Am. 30, 83. quaeramus, ubi maleficium est et inueniri potest i. e. quaeramus maleficium ibi, ubi est reuera. Nec recte Bakius cum Maduigio coniunctiuum utantur desiderauit de Fin. IV, 24. 67., ubi non interrogatiuum esse pronomen, sed relatiuum (quo utuntur argumento ad probandum, (id) operae pretium est considerare i. e. id operae pretium est considerare quale sit) recte iam Otto dixerat. At recte coniunctiuum a Lambino iam commendatum et ab Ernestio Zumptius restituit Verr. II, 53. 131. iam censores quemadmodum in Sicilia isto praetore creati sint, operae pretium est cognoscere.

nimis arguti] Mores reconditos ut in specie oris effictos esse demonstret, oculos et uultus tamquam eas oris partes commemorat, in quibus id maxime eluceat. Oculi autem cum non certi quidam quorundam hominum, sed uniuersi intelligantur, parum recte nimis arguti dicuntur; quippe quo oculorum argutia a natura tributa uitio uertitur. Quod incommodum sublaturi a recta uia deflexerunt uel Toupius Emendatt. ad Suid. IV. p. 5. oculi limis arguti, uel Schuetzius oculi indices arguti, uel Moserus oculi nimirum arguti, uel Bakius oculi in mini-

mis arguti (dicendum certe erat uel in minimis arguti, ne in minimis tantum uiderentur arguti esse). Oculos, qui uel singulos animi affectus prodant, si argutiores etiam esse reputaueris, quam uultum, qui mores uniuersos indicat, haud inepte conieceris: oculi in primis arguti. Et facile sane ex inprimis (notabatur ipmis) littera p omissa mendum natum est unus, quod est in Gd. 2. uel nimis, quod reliqui habent.

mores unius Gd. 2. auctoritate, in quo scribendi errore omissum est, temere Goer. Mos. Or. expulerunt; nam et incommode repetitur ex uerbis praecedentibus quemadmodum animo affecti simus, nec iidem sunt mores atque animi affectus. Hi cum subiti sint ac breues, mores cernuntur in animi habitu aut perpetuo aut certe diuturniore.

nomen omnino non habent i. e. Graeci nomen non habent, quod prorsus eandem uim habeat atque Romanorum uultus, qui dictus est inde, quod uoluntatem animi indicat. Cfr. Isidor. a Dauisio iam laudatus Orig. XI, c. 1. 34. Nam πρόςωπον, quod in hanc sententiam usurpant, speciem oris denotat sine ulla uoluntatis significatione; itemque reliqua uocabula, quibus ad uultus notionem denotandam Graeci utuntur, ueluti ὄμμα, singulas tantum oris partes denotant nulla adiuncta uoluntatis significatione. Omnino, quod Moserus non admodum desiderari ait, Bakius autem corruptum esse dixit ex uocabulo aliquo, quod eandem uim haberet atque natiuum, negandi uim intendit (einen Namen haben sie dafür gar nicht). Cic. ad Att. III, 23, 2. Or. 5, 18. pro Arch. 8, 17.

in iis libris] Exigua in his rebus est codicum auctoritas. Itaque quia incommode libri de re publica ut auctori propiores monstrantur, cum Lamb. Dau. Ern. Wagn. Bakio pro his scripsi iis.

nunc quoniam] Nunc i. e. ut nunc res est, ad praesentem disputationis statum pertinet (Cic. Ac. II, 33. 106. uera igitur illa nunc sunt omnia); tum uerba sequentia quoniam hominem — ornauit deus non nouam quandam causam continent, sed ad demonstrationem eius rei iam perfectam referuntur, ut ad Fam. XIII, 56. 1. Coniunctiui uim supra attigi §. 25. Deinde pro uoluit temere Bakius et ante uir quidam doctus in bibl. phil. Lips. 1779. Tom. I. pr. coniecit uolui, quasi uero Cicero, non ipse deus hominem reliquarum rerum principem esse uellet. Et hominis prae ceteris animalibus praestantiam a natura

acceptam attigit etiam §. 25 et 26. Denique quod ne quis cum Goerenzio et Mosero interpretetur ideo quod (qualem deus hominem futurum generauerit, non cur generauerit declaratur) aut tentet coniecturam, ut fecit aliquando Lambinus (quem principem) et Dauisius (cui principatum reliquarum rerum esse uoluit), pronominis formam ad nomen sequens, non ad praecedens accommodari legitimum est. Cf. quae dixi II, 2. 5.

intelligentia] Generaliter h. l. dicitur intelligentia, ut singulariter §. 25. intelligentiae. Ad sententiam cfr. quae dixit Cicero de Fin. V, 15. 43.

X. §. 28. complecteris] Complecti in unum comprehendendi uim habet, non breuiter attingendi, ut Mosero uisum est et Goerenzio. Breuiter haec tantum attingi, nec pluribus explicari Marcus demum dixit et erat sane hoc Marci potius, quam Attici, qui modo longe iuris principia a Marco repeti dixerat.

hominum doctorum] Inuerso ordine doctorum hominum Schuetzius, Moserus, Orellius Goerenzio auctore, qui ex Ciceronis usu perpetuo et ex tribus suis codicibus — scilicet deterioribus, si non commenticia tradit — eum restituisse se dicit. At nullus horum uerborum ordo certus est, et recte iam Bakius exposuit postponi h. l. adiectiuum, quia non opus esset insigni doctrinae significatione. Cf. quae dixi I, §. 21. Off. III, 1. 3. sed quia sic ab hominibus doctis (i. e. philosophis) accepimus.

natura constitutum] Inscite Bakius num uerum sit constitutum dubitat. Poterat sane Marcus eo omisso scribere neque opinione, sed natura esse ius, quemadmodum I, 17. 46. scripsit: ipsum enim bonum non est opinionibus, sed natura; sed uariat orationem (§. 34. in natura positum esse ius. §. 35. ex natura ortum esse ius), et ius natura constitutum nihil aliud esse patet, quam ius a natura profectum ideoque in natura positum.

§. 29. quam omnes sunt omnium] Peruerterunt sententiam, qui sunt aut omiserunt, ut Lbinus et Orellius (idem Wagnero placuit) aut eius loco essent substituerunt, ut Gzius, Schuetzius, Moserus. Quippe isto modo generis similitudinem tolli significatur, quam tolli tamen non uult, id quod elucet ex uerbis et antecedentibus (quam omnes inter nosmet ipsos sumus) et subsequentibus. (Quod argumenti satis est nullam dissimilitudinem esse in genere). Sui ipsius homo consuetudinum deprauatione

et opinionum uanitate dissimilis redditur, quippe qui discedens a uera sua natura ac ratione humana non semper sit idem. Cf. Tusc. III, 1. 2. Sententia igitur haec est: Etiamsi non tanta esset animorum imbecillitas, ut consuetudinum deprauatione et opinionum uanitate, quocunque coepissent, flecterentur, non tanta tamen singulorum esset quanta generis similitudo. Ad correctionem uiri docti confugerant, quia quid inter nisi et si non interesset, non satis animaduerterunt. Quorum hoc tum usurpatur, cum rem reuera non esse ponimus (pro Arch. 7, 16. Par. IV, 2. 32. Verr. III, 18. 45.), illud ita, ut conditione cogitando tantum concepta utraque sententia mutuo quodam sententiarum uinculo contineatur, ueluti Off. II, 22. 78. aequitas omnis tollitur, si suum cuique habere non licet (wenn der Fall wirklich stattfindet, dass nicht ein Jeder das Seine behalten darf), at nisi suum cuique habere licet hoc est: es müsste denn ein Jeder das Seine behalten dürfen. Exceptio igitur adiungitur, qua una prior sententia infringatur; ista autem posita est in cogitatione. Deinde quod Steph. iam expressit et Dauisius ac nuper denuo l. l. p. 466. commendauit Krausius opinionum uarietas, id ab hoc loco alienum est. Agitur enim de deprauatione, quae opinionum uanitate efficitur, non de perturbatione, quae efficitur opinionum uarietate. Cf. §. 47. Quare etiam Tusc. III, 1. 2. in simili disputatione opinionum dixit peruersitatem.

quaecunque est] In dubio relinquit, quomodo hominis notio sit definienda (welches auch die Begriffsbestimmung vom Menschen sein mag.) Itaque Bakii non opus est coniectura quae cuiusque est hominis definitio, quae quominus probari possit, uel una, quod sequitur, impedit; requirit enim ista coniectura ea.

§ 30. conficimus aliquid] Parum recte Mosero et Bakio probata est coniectura omni codicum auctoritate destituta, quae est in ed. Asc. I. conficimus aliquid ac concludimus. In hac rhetorica enumeratione ita procedit oratio, ut altera sententia relatiua per quam — concludimus tribus membris absoluatur, quorum alterum continetur uerbis tribus (argumentamur refellimus disserimus), duobus tertium, id quod satis cognitum est post praeclaram Naegelsbachii disputationem in libro, quem inscripsit Lat. Stilistik. In hoc autem genere et synonymorum coaceruatio et asyndeton legitimum est, quamquam non ita necessarium, ut nunquam ab hac ratione discedatur. Cf. quae dixi II. §. 47.

facultate] De sola h. l. agitur ratione, quae qua re et differat et par sit, declaratur. Uide similem locutionem mox sequentem interpresque est mentis oratio, uerbis discrepans, sententiis congruens. Merito igitur spreti sunt Dauisius et Ernestius, quibus codicis Harl. 2. a reliquis discrepantis scriptura placuit: discendi quidem facultas par.

eadem omnia] Ut discendi facultatem parem esse demonstret, quae sub sensus cadant (oppositae sunt inchoatae intelligentiae hominum animis ingenitae), ea sensibus comprehendi dicit et omnia et ab omnibus similiterque inchoatas intelligentias imprimi in animis omnium. Nullam igitur cum Bakio h. l. agnosco breuiloquentiam, qui male haec uerba sic interpretatur: „quae comprehenduntur sensibus, non aliis aliter uidentur, sed eadem omnibus.“ Quamquam similiter interpretatus est Zumptius: alles Sinnliche wird von uns auf gleiche Weisse aufgefasst.

interpresque est] Scribendi errore in codd. melioribus excidisse est seruatum illud in deterioribus, luculenter loci sententia declarat. Etenim quid commune sit hominibus demonstrari potius oportet, quam qua re discrepent, disseri. Discrepantia igitur ita tantum potuit commemorari, ut id, quod commune esset, ea non tolli constaret. Quare ea tantum forma orationis huic loco apta est, qua paullo ante usus est (certe est communis doctrina differens cet.) ac fallitur Bakius, qui scripsit: interpresque mentis oratio uerbis discrepat, sententiis congruens.

§. 31. ducem naturam nactus] Nec secutus, quod Lambinus in aliquot exemplaribus reperiri testatur, nec imitatus, quod Dauisius coniecit, tanto omnium codicum consensu potest probari. Nec denique uerba ducem naturam nactus significant h. l. quia ducem naturam nactus est, quemadmodum cum Wagnero et Mosero interpretatus est Bakius, sed cum ducem naturam nactus est. Nam etsi naturam primum omnes sequuntur, mox tamen et consuetudine corrupti malorum et uoluptate corporis deliniti a natura homines discedunt, ut ad uirtutem peruenire non possint, nisi qui naturam ducem nacti sint. Cf. I. §. 32. Tusc. III, 1. 2. Recte autem Bakius animaduertit hanc de rationis communitate disputationem sic concludi, quia uirtus nihil aliud sit quam ratio perfecta.

XI. in prauitatibus] Probari non potest nec deteriorum codicum scriptura a Uictorio probata et Dauisio prauis actibus nec Krausii coniectura in progr. p. 5. prauis affectibus, quia nec de actionibus hominum

sermo est, nec de affectionibus, quae animi aut corporis ex tempore sunt de causa aliqua commutationes (de Inu. I, 25. 36.), sed omnino de eorum habitu. Nec uero opus est coniectura. Nam et prauitatis uocabulum et de animo et de corpore usurpatur et adiectiuum generis neutrius substantiui natura ascita recte opponitur substantiuo, praesertim cum eiusdem stirpis substantiuum non exstet. Similiter uulgum et intelligentes saepe sibi opponi constat. Brut. 49, 183. 51, 190. Cfr. Dietrich in Jahnii Ann. 1842. p. 495. Haase ad Reisigii schol. grammat. p. 396 et 622.

leuitate est enim] Praua est deteriorum codicum correctio leuitatis est enim et suauitatis delectans; cui qui coniecturam superstruxerunt, a recta uia aberrarunt, ueluti Maduigius, cui (progr. p. 8.) genitiuus ex substantiuo aliquo omisso pendere uisus est. Quid omissum esset, ipse non indicauit. Sed uestigiis eius insistens Bakius coniecit leuitatis etenim (?) et suauitatis delectu sic ab errore mentis tamquam salutare aliquid adsciscitur, itemque Halmius in Phil. p. 174. leuitatis enim et suauitatis delenimentis delectans sic cet. Nec uero Goerenzii probabilis est coniectura leuitatis est enim suauitate delectans. sic cet. Verae scripturae uestigium una cum correctione tenent codd. meliores leuitatis enim et suauitatis es enim et suauitate. Unde elicienda haec sunt: leuitate est enim et suauitate delectans; sic cet., quod prope idem Dauisius coniecit (leuitatibus est enim et suauitatibus delectans; sic cet.). In quibus ne quem offendant uerba est delectans, quae male quidam pro delectat (quod ipsum Steph. expressit) posita esse dixerunt, indicant illa uoluptatis esse naturam, ut leuitate et suauitate delectet. Cf. Cic. Phil. XII, 12. 29. Tusc. V, 14, 42. pro Flacc. 4, 9. Off. III, 33. 116. Sic autem eis, quae praecedant, causam contineri monstrat eorum, quae sequantur (sic fit, ut cet.). Cfr. de Fin. IV, 14. 37. sic igitur in homine perfectio ista cet. Eodem modo ita usurpatur de Nat. Deor. I, 40. 110. II, 33. 83. Tusc. II, 5. 13. Hanc autem potissimum coniecturam ut probarem, non eam, quae plerisque placuit (Lamb. Ern. Or. itemque Man. et Schuetzio, qui tamen lenitate et Mosero, qui pro enim scripsit etenim) leuitate enim et suauitate delectans sic ab errore cet., plura me commouerunt. Et primum quidem es, quod in codd. melioribus post suauitatis exstat, non correctioni uidetur deberi; quod si esset, procul dubio est (ex hoc enim natum est mendum es) post leuitatis

additum esset. Deinde cum uerba leuitate — delectans uerbis accedant proxime praecedentibus tamen habet quiddam simile naturali bono, ea ipsa, quae causam declarant, cur naturali bono uoluptas similis sit, non satis grauiter efferuntur, si sic, ut Brut. 18, 71., ad tamquam referre uolueris. Demonstrari autem particula ea, quae participio sunt declarata, ut grauius efferantur, id Graecorum est (cf. Stallb. ad Plat. Phil. p. 135. Gorg. p. 60.), non Romanorum, qui si quando per istam particulam ea demonstrant, quae praecedentibus quibusdam participiis sunt declarata, id ita faciunt, si implicatior euaserit uerborum structura. Liu. XXXVII, 34. Denique leuitatis, non lenitatis uocem, a Steph. Manut. Sch. Goer. expressam, et codices praestant et sententia ipsa confirmat. Uoluptatis est enim non lenitas, sed leuitas, cui contraria est asperitas.

similique] Cum orationem primum ita instituisset (et uoluptate), tamquam alterum et esset secuturum, ab hac orationis forma propter ea, quae interposita sunt, deflexit; quo de genere uide in primis Madu. Cic. de Fin. p. 729.

cum sua] Quod iam Uict. Lamb. Ern. Wagn. expresserant et codd. meliores tenent cum plerisque deteriorum cum, id recte Bakius reuocauit pro eo, quod Goer. Sch. Mos. Or. expresserunt tum, quod ad tempus tantum spectare acute demonstrauit Stuerenb. pro Arch. p. 164. Cf. etiam Madu. de Fin. p. 73.

§. 32. nec si opiniones] Locum conclamatum recte expediuit Bakius eodem modo, quo ego expediui nondum cognita eius disputatione in Jahnii Ann. 1842. p. 302. Sententia nimirum haec est: Licet aliae sint opiniones apud alios populos, genere tamen superstitionis omnes tenentur eodem, ut ne Aegyptiorum quidem canem et felem ut deos colentium superstitio genere discrepet ab ea, qua ceterae gentes conflictantur. Loquitur igitur h. l. de superstitione generali, quemadmodum §. 29. locutus est de generali hominum similitudine. Qui particulam non ante colunt orationi inseri iusserunt, ut Wytt. Wagn. Mos. Or. ac nuper Krausius in Jahnii Ann. 1848. p. 466., non attenderunt ceterarum gentium nomine tum appellari eas gentes, quae canem et felem ut deos colant, i. e. Aegyptios, id quod fieri nullo pacto potest.

quibus ex rebus] Quae inde a §. 29. disseruntur, eo ualent, ut hominum esse inter ipsos societatem coniunctionemque intelligatur Hoc autem assequi conatur persequendo singula, in quibus similitudo hominum cernatur. Ex

quibus postremum ait hoc esse, quod recte uiuendi ratio homines, qui uel mala consuetudine uel ipsorum cupiditatibus a recta uia deflexerint, meliores reddat. Cf. §. 31. Sic si haec uerba intellexeris, nihil omnino difficultatis habet coniunctio quod, quam tum Romani usurpant, cum rem, quae est reuera, ponunt, ad quam iudicium aliquod referatur. Cf. §. 23. Cic. pro Flacc. 34, 85. relinquitur illud, quod uociferari non destitit non debuisse, cum praetor esset, suum negotium agere aut mentionem facere hereditatis. Cic. Off III, 31. 111. de Diu. I, 15. 27. I, 34. 76. I, 54. 124. Eandem sententiam Wyttenbachius expressit coniectura haudquaquam necessaria; quibus ex rebus cum illud intelligatur genus hominum inter se sociatum esse, quod extremum est, recte uiuendi ratio meliores efficit. Temeraria autem et peruersa est Bakii coniectura: illud extremum est communem uiuendi rationem inter omnes esse, quae id ipsum, unde sociatum inter se hominum genus esse colligit, tamquam effectum disputatione ponit. Ne autem haereas in coniunctione cum, conferas Cic. Off. I, 2. 4. cum multa sint in philosophia et grauia et utilia accurate copioseque a philosophis disputata: latissime uidentur patere ea, quae de officiis ab illis tradita et praecepta sunt. de Leg. I, 24. 62. Atque haec uerborum structura a sententiarum connexu per cum — tum particulas effecto hac una re differt, quod altera sententia non tam grauiter effertur, quam si particula tum adderetur.

XIII. §. 33. alium ab alio] Praepositio ab in codicibus nonnullis praetermissa ante alio deesse non potest, licet hoc ab ipso Maduigio sit probatum in progr. p. 11. Nam alium alio participare, si quidem boni uocabulo praetermisso latine sic dicere liceret, hanc uim haberet: alium alius boni participem reddere. Hoc uero loco id uult colligere natos esse homines, ut alius ab alio participetur iuris i. e. iuris particeps reddatur. Non utitur quidem alibi hoc uerbo Cicero, sed eandem in sententiam Plautus usurpat Cist. I, 3. 17. paternum seruum sui participat consilii et alii scriptores. Zeugma, quod sic existit — nam ius uerbo participandi accommodatum aut genitiui aut ablatiui formam induere oportebat — nihil omnino noui habet. Cf. Matth. ad Cic. Cat. II, 9. 19. Benecke ad Cic. pro Arch. 11, 26. Kritz ad Sall Cat. 13, 2. et Jug. 14, 1. Zumptius sine idonea causa coniecit alium cum alio.

inter omnes] Aut inter se aut inter omnes Tullius scribere potuit; utrumque coniunctum ponere non potuit. Et praestant scripturam inter omnes codices omnes praeter unum cod. A, quem correctum esse patet. Merito igitur scripturam codicis A (inter se omnes), quam in uerborum seriem receperat, in commentariis retractauit Bakius. Mendi autem, quod in cod. arch. fuit, iustos (nam ius hos, quod est in nonnullis codd. deterioribus, uidetur noua deprauatio correctionis hoes i. e. homines esse) facilior est correctio a Dauisio iam, Ernestio, Wagnero, Bakio tentata ius nos, quam Goerenzii, Schuetzii, Moseri, Orellii ius homines. Similiter §. 35. muneribus deorum nos instructos esse dicit. Quod autem pluribus uerbis interiectis a prima persona transitus fit ad tertiam (quodsi homines cet.), id non insolenter factum est.

atque hoc in omni] Colligit primum ex eis, quae inde a §. 29—32. de hominum inter ipsos societate disputauit, homines ad ius inter se communicandum natura esse factos. (Similiter de Fin. III, 20. 66. ex ciuili hominum communitate tamquam ex fonte iustitiam Cato repetiit). Addit deinde hoc ius, ad quod inter se communicandum nati sint homines, natura esse, id quod in hac omni disputatione sic intelligi uelit; nam atque particula orationis progressum indicat, ut male Goer. Mos. Or. haec pro parenthesi habuisse uideantur. Tum huic sententiae homines factos esse ad ius, quod natura sit, inter se communicandum opponi oportuit hanc: mala consuetudine eos a natura abduci, ut uitia sequantur contraria uirtutibus eis, quarum igniculi nobis a natura dati sint. Sed cum Romanorum more ex sententia, quae nostro more primariae sententiae interponeretur, iunxisset reliqua (ueluti Off. I, 15. 48. quodsi ea, quae utenda acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus — i. e. quodsi, ut iubet Hesiodus, reddere debemus — quidnam beneficio prouocati facere debemus), hanc quoque quam opponi oportuit sententiam ex eadem illa sententia iunxit. Lapsi igitur sunt Manut. et Wytt. uerbis quod dicam in suspicionem uocatis; itemque facile hoc perspicitur excidisse nomen, quo id appelletur, quod natura esse intelligi uelit (cf. de Fin. III, 21. 71), ut Pearcio suasore (idem iam ante Lbinus in marg. edit. 1581. coniecerat temere tamen mutatis uerbis quod dicam, pro quibus commendauit id quod dico) Wagnerus, Goerenzius, reliqui ius post uolo restituerint. Parum recte nuper Zumptius coniecit intelligi, quo de dicam, natura

esse. Deinde pro naturam, quod in cod. arch. fuit, restitui necesse est natura, id quod post Lbinum et Schuetzium in Addendis denuo commendarunt Madu. de Fin. III, 21. 71 et Zumptius. Nam recte dicitur ius naturā est. (cf. I, 13. 36. I, 15, 42), non item ius naturā est pro eo, quod alibi ponit ius ex natura ortum est (§. 35.) uel ius in natura positum est (§. 34.); et quem locum ad codicis arch. mendum tutandum attulerunt (de Fin. III, 21. 71. ius autem, quod ita dici appellarique possit, id naturam esse), is recte a Maduigio emendatus ita est, ut pro naturam restitueret natura, id quod ipsum pronomen id luculenter arguit. Nec Dauisii suspicio sic intelligi uolo optimam ducem naturam esse, nec Bakii coniectura sic intelligi uolo commendatricem naturam esse quae refutetur digna est.

igniculi] Simili metaphora saepius Cicero utitur. Cfr. quae omnia Goer. laudauit: Cic. de Fin. V, 7. 18. V, 15. 43. Tusc. III, 1. 2., qui locus etiam ad sententiam nostro simillimus est.

quomodo est natura] Locum satis expeditum impediuit Bakius iudicio putare negans bene latine dici commendansque iudicio probarent, ut sententia haec esset: si uita factisque probarent se nihil humani a se alienum iudicare. At aliud est uita factisque iudicare, ueluti dicit Cic. de Off. I, 43. 154. re ipsa ostendit et indicat, aliud iudicio probare. Facto, quia a iudicio proficiscitur, iudicium declarari potest, iudicium per se positum non potest simul ad factum referri. Non dicitur quidem alibi iudicio putare; hoc loco oppositum natura efficit, ut aliter dici nequeat. Opponi enim oportuit id, quod natura esset, ei, quod iudicio contineretur (der objective Sachverhalt der subjectiven Auffassung) nec cum natura congrueret (§. 29. Tusc. III, 1. 2.). Uerba sunt Terentii in Heaut. I, 1. 25: homo sum; humani nihil a me alienum puto, quorum sententiam Cicero ipse explanauit de Fin. III, 19. 63. et de Off. I, 9. 30.

a natura] Praepositionem a Man. et Lamb. omissam meliorum codicum auctoritate retinui. cf. §. 16.

ergo et lex] Orationem cum primum ita instituisset, quasi ex eadem propositione duo quaedam, quae pari dignitate essent, confecturus esset (et lex et ius), leuiter ita inflexit, ut noua conclusione alterum ex altero conficeret (si lex, ius quoque).

et omnibus] His uerbis assumtionem patet contineri.

Quae etsi semper fere particulis at uel atqui declaratur, interdum tamen simpliciter per particulam et adiungitur, non opponitur. Cf. Tusc. V, 4. 9. qui autem in morbo sunt, sani non sunt: et omnium insipientum animi in morbo sunt: omnes igitur insipientes insaniunt. Tusc. V, 17, 49. Nat. Deor. III, 13. 33. sin autem quod animal est, id illa necesse est sentiat: et quod illa sentiat, non potest esse aeternum: et omne animal sentit: nullum igitur animal est aeternum. Nec quid h. l. de Heindorfii coniectura recte Schuetz. et Mos. scripserunt, nec recte Or. quod pro pron relat. habuit. Pronomen indef. per attractionem quandam refertur ad sequens substantiuum, quemadmodum similiter dicitur I, §. 49. nullam uirtutem nisi malitiam putent. Bakio excepto reliqui coniecturam at expresserunt haudquaquam necessariam.

recteque Socrates] Haec omnia usque ad uerba ex quo persp. Bakius a Cicerone abiudicauit, quod et disputationis series obstaret, quo minus pro Tullianis possent haberi, et singula quaedam a Tullii consuetudine abhorrerent. At primum quod exsecrari uiolentius esse dixit, quam ut recte illud Cicero dicat Socratem fecisse, non facile quisquam ei largietur, Ciceronem ut Romanum probare non potuisse, quod Socrates uel alibi (de Off. III, 3. 11. Plut. Symp. IV. p. 662. Quaest. I, 3. p. 164. uol. XI. ed. Hutt.) dixisse traditur. Deinde quod hoc pro id Ciceronem scripturum fuisse dixit, quia demonstratione opus esset efficacissima, id parenthesi tantum esset accommodatum: potuit sane Tullius pronomine hoc uti, non debuit. Cf. Tusc. IV, 6. 12. id cum constanter prudenterque fit cet. Nec uero dubitare eum oportuit, num caput exitiorum recte in hac disserendi ratione diceretur. Nec pluralis numerus quicquam noui habet (pro Mil. 2, 3 et 5.) et caput saepe usurpatur ad declarandum id, quod in re quaque praecipuum est (Tusc. V, 34. 98. Lael. 19, 67.). Quid igitur sit, cur caput exitiorum aut poëtarum magis proprium aut certe eloquentiae generi magis accommodatum sit, ego non intelligo, praesertim cum pluralem numerum substantiuorum, quae abstracta uocantur, non minus in disserendo, quam in dicendo frequentari constet, ut res non per se ipsa declaretur, sed in multis aut locis aut temporibus aut hominibus aut rebus denique elucens. Lael. 19, 67. satietates. ib. 69. excellentiae. Off. I, 22. 78. fortitudines. I, 32. 115. nobilitates. I, 36. 131. tarditates, festinationes, celeritates. de Diu. II, 64. 132.

obscuritates. de Leg. I, 11. 32. Denique uerba unde est (uide deinceps disputata) iniuria negat referri posse ad illud Socratis dictum. Quid est enim, cur illius Pythagoreae uocis origo non repetatur inde, quod utilitas a iure non sit seiungenda. Nam ad hanc potius sententiam, quam ad ipsam Socratis exsecrationem ista referuntur. Postremo uocem non ita raro esse dictum (Ausspruch) poterant eum docere loci ab ipso laudati de Or. III, 6. 21. Cat. Mai 9, 27. Adde Lael 11, 37. Denique sententiarum seriem si consideramus, uerba recteque Socrates — unde est illa Pythagorea uox non modo non superflua, sed etiam propter uerba, quae sequuntur, ex quo perspicitur, cum hanc beneuolentiam tam longe lateque diffusam ac deinceps: quid est enim, quod differat, cum cuncta sint paria? necessaria sunt. Non enim iuris uocabulo, id quod opinatus est Bakius, cum haec uerba statim adiungenda esse dixit illis ius igitur datum est omnibus, beneuolentiae uis ita declaratur, ut simpliciter denotari possit monstrando.

a iure] Quae adhuc uulgata est coniectura, tentata iam in codd. *β* et Dr. 2. (a natura) quamque confirmari opinantur uerbis a natura leges et iura seiungere §. 35., ea parum probabilis est. Natura quidem sic est comparatum, ut utilitas cum iure uel, quemadmodum de Off. III, 3. 11. ait, cum honestate cohaereat. Quae si secernuntur, non tam utilitas a natura, quam a iure uel honestate secernitur, ut non idem sit utile, quod iustum aut honestum. Atque etiamsi, quia et utilitas et ius proficiscitur a natura, dicere posses ius a natura seiungere, ut utilitas a prima naturae constitutione recedere uideretur, tamen iuris notio, quae antecedit, paullo intentior flagitaret, ut Socratis illud dictum ad illam referretur. Quapropter non dubitaui recipere, quod Dauisius ex cod. arch. mendo nature expressit ac nuper Zumptius probauit, a iure; idque uel Clementis Alexr. uerbis Strom. II. p. 499. (Κλεάνθης ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ ἡδονῆς τὸν Σωκράτην φησὶ — τῷ πρώτῳ διελόντι τὸ δίκαιον ἀπὸ τοῦ συμφέροντος καταρᾶσθαι, ὡς ἀσεβές τι πρᾶγμα δεδρακότι); uel Theodoreti Therap. XI. p. 153. (Ὁ Σωκράτης ἀσεβεῖς ὠνόμαζε τοὺς τὸ συμφέρον τοῦ δικαίου χωρίζοντας) (utrumque locum Dauisius laudauit) confirmari uidetur. Lbinus, qui ab honestate scripsit, repertum illud in cod. *α*, a codicum uestigiis nimis longe recessit.

§. 34. unde est] Ex codicis arch. mendo unde enim malui cum Man. Dau. Ern. Wagn. efficere quod est in Dr. 1. et pal. 3. unde est, quam cum Goerenzio et reliquis unde etiam, quod in duobus codd. se reperisse Goer. dixit. Multo enim minus h. l. desideratur augendi particula etiam, quam uerbum est. Cf. Tusc. III, 26, 62. (ex hac opinione sunt illa uaria et detestabilia genera loquendi). Ceterum huius Pythagoreae uocis causam inde repetendam esse significat, quod ius natura sit omnibus datum nec utilitas a iure disiungi possit.

illa Pythagorae uox] Uerba, quae in cod. arch. erant, de amicitia locus num locum occupauerint uerborum Ciceronis, quibus illam Pythagorae uocem declarauerit, dubitari potest. Etenim si uerbis latinis eam esset interpretatus, intellectu difficile esset, quomodo uel leuissimum eius rei uestigium euanuisset; nec uero ueri est simile graeca Pythagorae uerba a Cicerone esse usurpata, immixta latinis, id quod plerisque persuasum fuit. Intercidisse enim haec putant τὰ τῶν φίλων κοινὰ καὶ (Lamb. et Mos. et) φιλίαν ἰσότητα. Ut fatear quod sentio, nec latina ego cum Rathio uerba desidero nec graeca, cum et in uulgus nota esset illa uox, quam Timaeus apud Diog. Laërt. VIII, 10. et Donat. ad Ter. Adelph. V, 3. 18. Pythagorae tribuunt, ut solo pronomine possit monstrari (v. II, 17. 42.), nec propter ea, quae sequuntur (quid enim est quod differat, cum sint cuncta paria), de alia possit cogitari nisi illa, quam et Terentius l. l. et Cicero de Off. I, 16. 51. in Graecorum prouerbio fuisse dicunt (communia esse amicorum omnia). Nec tamen ita ex qua scribendum esse Rathio assentior pro ex quo. Pertinet enim pronomen ad sententiam, quam Pythagorea uoce continetur, non ad ipsum uocis uocabulum.

hanc beneuolentiam i. e. eam, quam esse necesse est, si Pythagoream illam uocem sequimur.

quibusdam] Notantur Epicurei, qui amicitiam non per se, sed utilitatis et uoluptatis causa expetendam duxerunt.

nihilo] Pro uerissima hac coniectura, quae et perpetua Ciceronis consuetudine et meliorum codicum auctoritate nititur, Dauisius deteriorum codicum correctionem uti nihil expressit.

quid enim est] Contra codices male Dau. Beier. de Off. III, 9. 38. Mos. quid est enim. Uide quae dixi III, 15, 33. De hac Tulliani sermonis proprietate, qua est quod differat idem est atque discrimen est dixit

Madu. de Fin. III, 15. 50, qui item laudat de Off. I, 28. 99. Temere Bakius et differt requiri dixit et sunt. Inepte sic et differentiam esse significaretur (quid est illud, quod differt?) et certum quoddam tempus describeretur. At generaliter loquitur (in dem Falle, dass alles gleich ist). Ita autem ut ipsum pron. relatiuum, ita particulae relatiuae coniunctiuum asciscunt.

amicitiae iam nomen] Jam, quod Goerenzio auctore Schuetzius, Moserus, Orellius omiserunt, reliqui, etiam Handius Turs. III, p. 114. ante amicitiae posuerunt (Steph. etiam scripsit), ego ex codd. E Gd. 2. (accedunt, opinor, C et δ) post amicitiae restitui, ut amicitiae nomen magis acuatur. Significat autem iam, amicitiae nomen statim occidere, simulac tantulum modo interesse potuerit. Cf. Ter. Andr. V, 1 6. Verr. III, 94. 220. Idem de amicitia tradit Lael. 5, 19.

simulatque sibi alter] Scriptura ad Bakium usque uulgata simulatque sibi aliquid quam alteri maluerit correctio est in deterioribus quibusdam codicibus parum probabiliter tentata; in qua peruerse subiecti locum tenet amicitia; dici certe oportuit simulatque sibi aliquid alter quam alteri maluerit. Sic absolueretur comparatio, ut pro Planc. 24, 59. (quamquam illi omnia malo, quam mihi); sed reticeri h. l. rem, quacum altera comparetur, ut ad Att. II, 16. 4. (in hac re malo uniuersae Graeciae et negotiatoribus), satis plurimorum codicum arguit auctoritas, in quibus comparandi particula non exstat. Merito igitur ex codd. C Gd. 2. 65. et procul dubio δ primus Bakius restituit scripturam a nobis quoque receptam.

ius ciuile] Juris ciuilis notio h. l. latius patet. Quippe naturali oppositum omnia ciuium iura complectitur, ueluti pro Sest. 42, 91. Top. 2, 9.

est nata] Hunc uerborum ordinem a Steph. iam receptum et a Manutio (reliqui cum deterioribus nata est) ex melioribus codd. restitui. Quem in uerborum seriem receptum retractari non oportuit a Bakio in comment. Nam sic omnis, in quo dicendi quaedam uis posita est, copula est interposita magis acuitur.

XIIII. §. 35. scilicet] Notanda est ironia, quae inest in uocula scilicet, quae efficit, ut iam multa de eo dixisse uideatur. Cf. Cic. de Diu. II, 21. 47. de Fin. II, 31. 102. Stuerenb. pro Arch. p. 69. sqq. Madu. de Fin. p. 618.

dixisti adhuc] Nec Atticum Quintus alloqui potest cum Marco colloquens nec Attico soli ea, quae Marcus adhuc disputauit, recte dicuntur exposita esse (cf. §. 32.) nec denique Quintus pro Attico poterat isto modo respondere. Quapropter et ii errarunt, qui ut Goer. Schuetz. Mos. Or. Attico ad dixisti retulerunt, nec audiendi ii sunt, qui ut Gebh. et Ern ad uidetur id pertinere existimarunt. Nec uero satis probabiliter mendum coniectura sustulit aut Manutius (Attico, ut opinor, uidetur) aut Lbinus (Attico, opinor, uidetur) aut Dauisius (Attico, credo, uidetur) aut Ursinus (nisi quid Attico uidetur), cuius inuentum, quod in libro uetere se reperisse dixit, Wagnerus probauit. Equidem ATTICO in cod. arch. natum esse puto ex particula ATHUC. Cf. I, 22. 57. de Fin. V, 9. 27. IV, 16, 44. III, 4. 12. Quam coniecturam Bakiana (quae dixisti, satis uidetur, mihi quidem certe) duco potiorem cum propter maiorem mendi similitudinem, tum quod satis incommode uerbo uideri adiunctum esse uidetur. Et in ipso exemplo eo, quod Bakius ad coniecturam suam confirmandam laudauit (de Fin. V, 32. 96. tum Quintus, mihi quidem, inquit, satis hoc confirmatum uidetur) satis non ad uidetur pertinet, sed ad confirmatum, itemque Brut. 40, 117. satis ad cognitum refertur. Recte se satis haberet, si elucet uel intelligitur uel simile quid adiunctum esset.

ex natura ortum] Nugatur Gzius, qui his uerbis mendi suspicione admota aut oriundum esse dici oportere dixit aut ex natura ortum esse iuris. Cf. quem Bakius laudauit Ciceronem de Off. I, 5. 14. Lael, 8, 27. a natura mihi uidetur orta amicitia.

uideri possit?] Bakium, qui quia Tusc. V, 12. 35. multi codices praeberent possum ac de Fat. 4. sine ulla uarietate indicatiuus legeretur, potest commendauit, fugit Tullium indicatiuo uel h. l. uti potuisse, non debuisse. Per indicatiuum interrogatur id, quod est (findet die Möglichkeit in Wirklichkeit statt?), ut Tusc. I, 27. 67. potesne dicere? Coniunctiuus ad suppressam aliquam conditionem pertinet, ueluti si attineat sententiam dicere. Cf. praeter Tusc. V, 12. 35. etiam Tusc. IV, 21. 48.

haec — perfecta] Capita disputationis eius, quam Marcus absoluit, Atticus h. l complectitur; et quidem deorum muneribus nos esse instructos inde a cap. 7—10. explicat, unam esse hominum inter ipsos parem communemque uiuendi rationem c. 10. et 11., denique omnes inter se naturali quadam beneuolentia societateque iuris contineri c. 12.

secundo autem loco] Etsi recte dicitur secundo, tertio, quarto (nam ne de secundo quidem recte dubitarunt Reisigius in schol. grammat. p. 180. Doederl. Syn. I, p. 181. cf. pro Planc. 20, 50.), ut quo quidque loco aut fiat aut commemoretur, significetur, ueluti tertio factus est praetor, cum tertium praetor factus is dicatur, qui post praeturam bis gestam denuo praetor creatus est: temeritatis tamen est uocem loco cum Steph. Grut. Dau. Ern. Wagn. expellere propterea, quia in paucis quibusdam codd. casu aliquo intercidit. Exemplis a Goer. laudatis Cic. Phil. VIII, 10. 31. pro Caec. 9, 23 Bakius hoc addidit ad Fam. I, 6. 2.

§. 36. res se sic habet] Sic scripsi cum plerisque ex codicibus melioribus; Lbinus, Ernestius, Wagnerus secundum deteriores res sic se habet.

ueterum quidem] Ueterum notionem modo latius patere, modo angustioribus finibus circumscribi recte Bakius animaduertit. Modo enim ueteres esse philosophos Socrate antiquiores, ueluti Ac. I, 12. 44. Tusc. I, 10. 20., modo ueteres dici peculiaris sectae habita ratione, ut ueteres in Academia opponantur Academiae nouae et Stoici antiquiores recentioribus, ut III, 6. 14., modo, ut hoc loco, ueteres Academicos et Peripateticos, quos Tullio quondam eosdem fuisse persuasum fuit. Cf. I, 21. 54. Off. III, 4. 20. de Fin. V, 8. 21 et 23. Qui officinam autem quandam philosophiae instruxerunt, intelliguntur Stoici. Quodcum in officinis omnia modo et ratione peragantur, officina sapientiae est ea disserendi ratio, qua omnia uia ac ratione traduntur (System), a qua alienum est libere et fuse disputare; conuenit autem articulatim et distincte dicere, in quo argumenti in partes distributione utimur, singulas partes inter se disiunctas persequimur, dissimilia disiungimus. Nam distincte dicere non solum ad orationis ornatum, uerum etiam ad disiunctionem rerum dissimilium pertinet. Cf. Tusc. II, 3. 7. sed quia profitentur ipsi illi, qui eos scribunt, se neque distincte neque distribute neque eleganter neque ornate scribere. Nec id fugisse puto Maduigium, qui distincte a Cicerone abiudicans ex peculiari duorum codicum mendo (desecta — deticta) effecit dissecta (progr. p. 8.). In eo nimirum offendit, quod distincte semper in laudem diceretur, hoc autem loco uerbum requireretur, quod ad reprehensionem putidae diuisionis ac minutae et concisae orationis pertineret. At uero nec spectari eius generis reprehensionem nec potuisse spectari, si quidem Cicero ipse hac in re Stoicos sequitur,

recte Bakius contra monuit, idemque ex Tulliana consuetudine duobus aduerbiis fuse ac libere duo alia aduerbia opponenda fuisse significauit.

natura esse ius] In cod. arch. certum est fuisse naturae. Et quidem naturae est ius aut hoc significat: es giebt ein Naturrecht, aut illud: der Natur gehört das Recht an, ut a natura non possit separari, quemadmodum §. 35. dixit: iura et leges a natura secernere qui licet? Uerum cum nec satis distincte sic illud uideatur declarari, ius ex natura ortum esse, nec Stoici umquam φύσεως εἶναι τὸ δίκαιον dicerent, sed φύσει καὶ μὴ θέσει (Diog. Laërt. VII, 128. Stob. Ecl. Eth. p. 184.), Bakio ego assentior et Maduigio (de Fin. p. 473.) probantibus Lambini coniecturam natura, quae eadem Dauisio placuit.

et scilicet (ia freilich) in eodem est genere, de quo dixi I, §. 4. et III, §. 24. Lbini coni. aut scilicet nec necessaria nec per se probabilis est. Cum ironia quadam Quintus haec dicit: disserendi libertatem, qua ut Academicus adhuc utebaris, ut nulla philosophorum disciplina adstrictus non certam semper sequereris rationem, amisisti aut si non certa quadam philosophorum disciplina adstrictus sis, certe aliis obtemperans non tuum in disputando iudicium sequeris.

§. 37. sed iter cet.] Hanc meliorum codicum scripturam improbari non oportuit a Dauisio, qui imperite coniecit: iter huius sermonis quid sit uiden nec a Mosero, qui quia iter sermonis a Cicerone alienum iudicauit, coniecit: sed interest huius sermonis. Uidelicet ad cet. Est uero iter sermonis quod nos dicimus Gang des Gesprächs; idque uel uerbis sequentibus (ad resp. — pergit oratio) uel aliis Ciceronis locis satis firmatur. Cf. de Fin. IV, 14. 37. de Or. II, 57. 234. ib. II, 71, 290. Similiter Platonem Legg. III. p. 688. E. τὴν ὁδὸν τοῦ λόγου dicere Bakius animaduertit. De reliquis uiri docti mirifice dissident. Dauisius, cui Ern. applausit, coniecit ad res publ. firmandas et ad stabiliendas leges sanandos populos; Moserus et Orellius probarunt id, quod Schuetzius coniectura erat assecutus: ad res publ. firmandas, ad stabilienda iura, ad sociandos populos; Lbinus coniecit: ad rei publicae firmandas et stabiliendas uires et ad sanandos populos; Rathius: ad res publ. firmandas et ad stabiliendas, iure sanciendo populorum omnis nostra pergit oratio;

Gzius denique: ad res suas firmandas et ad stabiliendas uires sanandos esse populos. Quarum coniecturarum alia alias ob causas non potest probari. In codicis arch. mendo ad res publicas firmandas et ad stabiliendas uires sanandos populos (nam rei publicae correctio est praue tentata in deterioribus) in cod. igitur arch. mendo quia bis posita est praepositio, satis id declarat duas potissimum res a Cicerone esse positas, ad quas pergeret oratio; tres enim si positae essent pari dignitate, res publicae firmandae, iura stabilienda, populi sanandi, praepositio cum altero loco esset repetita, ne tertio quidem omitti potuit. Quo nomine laudandus est Schuetzius, qui cum tria a Cicerone spectari existimaret, tertio etiam loco praepositionem addidit. Sed quod et contra codices id fecit nec necessarie, reprehensione non uacat. Rectam corrigendi uiam Maduigius (progr. p. 12.) monstrauit, qui Manutii coniecturae (ad res publ. firmandas et ad stabiliendas iure, sanandos populos) insistens haec commendauit: ad res publicas firmandas et ad stabiliendos iure et sanandos populos. Is enim recte duo posuit, ad quae oratio pergeret. Sed quia et commodius sanandi notio tamquam accessio stabiliendi notioni adiungi uidetur, et facilis h. l. ante sequentem litteram p particulae que, quae saepe in cod. arch. intercidit, omissio fuit, scribi malui sanandosque. Littera s uerbi sequentis facile adhaesit uocabulo iure praecedenti. Quo facto procliue sane fuit stabiliendos mutare in stabiliendas. Stabilire autem populos non minus recte, opinor, h. l. dicitur, quam II, 14. 36. dixit firmos populos. Sanandi autem uerbum, quo cum alii tum nuper Bakius offensus est, ut ipse haec tentaret: ad stabiliendos et iure sociandos populos, non potest quemquam offendere, qui meminerit Ciceronem non solum scribendis legibus, sed etiam serendis moribus (I, 6. 20.) rem publ. firmare nec solum populis, sed etiam singulis uiuendi disciplinam dare uoluisse (I, 22. 57.), idemque ad Att. I, 18. 2. dicit corrigere et sanare ciuitatem. Quodsi ita iuris stabiliendi notio (similiter I, 23. 62. dixit stabilire leges) non satis declarari uidebitur, hoc unum reliquum est, ut codicum uestigiis minus accurate pressis scribatur id, quod olim in progr. p. 12. conieci ad res publicas firmandas et ad stabilienda iura sanandosque populos; quo populorum sanationem tamquam leuius quiddam nec idem momenti habens adiungi significatur.

bene explorata principia, quippe a quibus cetera

ducantur. Cf. I, 6. 18. nunc iuris principia uideamus. Off. III, 12. 52. Imprudenter Dauisius deteriorum quorundam codicum scripturam in principio ponantur probauit, quasi quae in principio ponerentur, bene prouisa et explorata esse deberent, quae in medio et extremo sermone explicarentur, non deberent. Quamquam peruulgatum (cf. Madu. de Fin. I, 9. 30. epist. ad Or. p. 66. Zumpt. ad Verr. III, 94. 220.), non tamen necessarium est, quod Bakius tentauit nec diligenter; nam solet interdum negatio semel posita ad plures res referri arctissime ita inter se coniunctas, ut generis quasi partes sint. Cf. Seyff. ad Lael. p. 332. Atque etiam in sententiis integris negatio alteri addita ad alteram interdum pertinet, si utraque arctissimo sententiarum uinculo coniuncta est. Cf. Cic. Lael. 18, 65. neque uero, qui non rebus eisdem mouetur naturaque consentit, aut fidus aut stabilis potest esse.

ut omnibus probentur] Non postulandi, id quod Wyttenbachio uisum est, sed uoluntatis notio ex praecedente uerendi uerbo auditur, ut saepe ex negandi uerbo auditur affirmandi. Cf. de Fin. II, 21. 68. Tusc. V, 40. 116. Madu. de Fin. II, 8. 25. Sententia igitur, si plenam reddere uelis, haec est: nec tamen ea ponere uolo, quae omnibus probentur. Ad euentum indicandum uel praemisso pronomine demonstr. (Cic. Cat. I, 9. 22.) uel omisso (pro Rosc. 12, 33. de Nat. Deor. II, 28. 71.) particulam ut usurpari satis constat. Minus commode Bakius audiri uult ita bene prouisa.

duxerunt] Pro dixerunt, quod leuissima codicum auctoritate post Steph. Manut. Lbinum Gzius, reliqui expresserunt, merito ex codd. cum plurimis tum optimis Bakius reuocauit duxerunt. Quemadmodum dicere ad sententiam uerbis expressam, sic ducere spectat ad opinionem mente conceptam, cuius ab hoc loco non aliena est declaratio. Cic. de Fin. IV, 20. 57. nec uero minoris aestimanda ducebat ea, quae ipse bona negaret esse, quam illi, qui ea bona esse dicerent. Uerbis qui omnia recta — duxerunt generis definitionem contineri recte Bakius animaduertit eiusque generis duas formas subiici, alteram Stoicorum (aut nihil omnino — laudabile esset), Academicorum et Peripateticorum (cf. §. 36.) alteram (aut certe nullum — sua sponte posset).

§. 38. his omnibus] Hi omnes sunt ii, qui aut nihil omnino in bonis numerandum ducebant, nisi quod per se ipsum laudabile esset, aut certe nihil magnum bonum habebant, nisi quod uere laudari sua sponte posset. Legi-

timus orationis progressus hic esset: „nec tamen ea ponere uolo, ut omnibus probentur, sed ut iis, qui omnia honesta per se expetenda duxerunt, siue in Academia uetere cum Speusippo, Xenocrate, Polemone manserunt, siue Aristotelem secuti sunt, siue ut Zenoni uisum est, rebus non commutatis immutauerunt uocabula, siue etiam Aristonis difficilem atque arduam, sed iam tamen fractam et conuictam sectam secuti sunt". Sed post generis definitionem duabus eius formis constitutis, quia et probandi notio nimis iam uidebatur obscurata esse, et singulos, qui formis illis continerentur, accuratius describere uolebat, legitimam uerborum structuram mutauit et sententiam eam, quae, si recte oratio procederet, deberet esse secundaria, ex nexu uindicauit fecitque primariam; simulque ita leuiter inflexit sententiam, ut non quid iis probare uellet, diceret, sed quid iis probaretur ratione habita eorum, quae iam dixisset.

congruentes re] Hunc uerborum ordinem, quem chiasmum uocant (cf. Naegelsbach Lat. Stil. p. 323.), ego cum Bakio restitui ex codicibus; reliquorum scriptura re congruentes a codicibus auctoritatem non habet. Ceterum hac Antiochi sententia, quam suam fecit, saepius Cicero utitur interiorem utrorumque proprietatem parum curans. Acad. I, 5. 15. I, 18. 22. de Fin. IV, 2. 5. Tusc. V, 11. 32. Uide etiam I. §. 53.

iam tamen] Temere Gzius iam, Bakius tamen contra codices expellendum iudicauit. Addidit tamen, ne quis, cum arduam et difficilem sectam dixisset, eam etiamtunc manere existimaret, ut de Off. I, 12. 38. (cum uero — causas) tamen additur ad infringendam eorum opinionem, quibus, cum de gloria decertetur, id aliter possit uideri. Arduam autem et difficilem Aristonis sectam appellat propter difficilem ad eam aditum; uirtutibus enim exceptis et uitiis omnia ei uidebantur in summa aequalitate posita esse, ut nihil plane interesse diceret, utrum adessent necne. Cf. Cic. Acad. II, 42. 130. de Fin. II, 13. 43. III, 11 et 12. IV, 43. V. 73. Off. I, 6.

§. 39. etiamsi uera dicunt] Excludit ab hac disputatione atque ab omni societate rei publicae Epicureos, non quod eorum de summo bono sententiam prauam iudicet, — uerane sit necne, non diiudicat, sed fingit eam ueram esse — sed quia ipsi nec uersati sint in re publica nec uelint uersari. Cf. quem Dau. laudauit Menagium ad Diog. Laërt. X, 119. et Plut. adu. Colot. p. 1127. a Turnebo citatum. Nam quod in hortulis, quos Athenis moriens Epicurus discipulis reliquerat, iubentur dicere, in umbraculis

eos uult delitescere nec ullam rei publicae partem attingere. Dicere autem generaliter etiam de philosophorum oratione dicitur, ut I, 4. 13. tantoque magis conuenit Epicureis, quo minus dialectica arte in disserendo uti solebant. Recentem autem Academiam, quam ipse plerumque sequebatur, quippe quae ius quoddam suum haberet his de rebus disputandi, ab hac disputatione non item ut Epicureos iure quodam suo poterat prohibere. Itaque quia haec omnia, quae disputauerat, perturbare uideretur, (sc. contra omnium philosophorum sententias disputans ipsa non certam quandam normam sequebatur. Cic. Ac. I, 12. 45. de Or. I, 18. 84.) exorauit eam, ut sileret.

nimias] Nulla est causa coniecturae tentandae. Tentauit tamen Dauisius (miseras) et receperunt a nescio quo tentatam (miras) Steph. Man. Lamb. Nimiae uocantur ruinae, quia tantae sunt, ut omnis de legibus disputatio prorsus euertatur.

XIV. §. 40. Difficillimum est, quae aut quam multa h. l. lacuna intercideriat, definire; nec quisquam eorum, qui in hac quaestione uersati sunt, excogitauit quae satis certa essent. Itaque nec de uerbis nec de sententiis, quae perierunt, quicquam affirmauerim. Hoc unum confidenter licet pronuntiare, quae perierint, pariter atque ea, quae usque ad c. 19. disputantur, eo pertinere, ut ius natura esse accuratius demonstretur. Nec taedet tamen repetere, quae Bakius h. l. disputauit. „Cum appareat," inquit, „ea quoque ipsa quae interciderunt pertinuisse ad demonstrationem ius in natura positum esse, quae proxime cum his quae supersunt coniuncta fuerunt, sine dubitatione eo pertinuerunt, ut diceretur, quae uulgo falso poenae et haberentur et constituerentur, eas tum remitti, tum uitari posse omninoque expiari posse delicta nonnullis caerimoniis; quae cum opinionibus continerentur, leges ipsas, unde ista fluxissent, opinionis esse; contra quae uere poenae essent, eas esse in natura positas, necessarias et ineuitabiles; ergo ius quoque, quod uere sic appellari posset, naturae esse, unde illae poenae manarent." Gzio haec uisa sunt dici de mysteriis; Wagnero ea, quae interciderunt, ad sententiam similia fuisse uidebantur eorum, quae a Platone de Legg. IV. p. 713. sqq. X. p. 906. Steph. disputantur. De argumentorum descriptione uide praef. p. XXV.

sine illius] Quis monstretur pronomine, difficile est explicare. Non inepte igitur Dauisius Zumptiusque coniecerunt sine ullis. Quod recipere tamen temeritatis esse putaui, cum, quae proxime praecesserint, nequeat definiri.

scelerum in homines] Bakius auctoritate codicis 39, qui sceleris habet et 10, in quo est impietatis i. e. nulla codicum auctoritate temere sceleris commendauit et impietatis. Cf. quae dixi §. 33. Nec uero prudentius coniecit in animis pro in homines. Scelera in homines (simile exemplum Bakius hoc laudauit Sall. Jug. 33, 4. scelera in patrem fratresque) non ita dicuntur, ut impietatibus aduersus deos opponantur, ut §. 43. obsequiis in homines opponuntur caerimoniae religionesque deorum. Ita in deos addi oportuit, cum impietates et in homines sint et in deos. Opposita esse uidentur scelera et impietates, quarum nulla est expiatio, facinoribus, de quibus ante dixisse uidetur, imprudenter patratis, quae possunt expiari. Cf. II, 9. 22. Et scelera, quae in facinore elucent, et impietates, quae in animo existunt, aduersus homines admissa dici nihil uerborum dispositio uetat. Cf. Off. I, 44. 157. consociatio hominum et communitas. II, 5. 16. conspiratio hominum et consensus.

nulla sunt] quia aut omnino non sunt constituta aut non exercentur. (Cic. Verr. III, 58. 132. qui modo iudicia Romae fore putaret). Sublata autem Romae iudiciorum seueritas ac religio tecte significari uidetur uerbis sequentibus: ubi sunt tamen, persaepe falsa sunt.

ubi sunt] Ubi et codd. tenent et sententia flagitat. Cum enim multifariam i. e. multis locis iudicia nulla esse dixisset, addi oportuit, ubi inuenirentur qualia essent. Recte igitur, qui ubi retinuerunt, ex mendo codicis arch. sit effecerunt sunt. Coniunctiui a Dauisio expressi ratio nulla est. Quam ex deterioribus quibusdam codd. correctionem post Uict. et Lbinum (hic et ut sint) receperunt Goer. Schuetz. Mos. Or. ut sint, ea ita uera esset, si omnino iudicia esse ante negauisset.

sed eos agitant] Ferri nullo pacto potest quae in cod. arch. fuit quaeque et Turnebo in prima comment. editione et Dauisio placuit sententiarum dissolutio non tam iudiciis — falsa sunt, ut (sc. quam esse dicunt) eos agitant insectanturque furiae. Tullius si eo, quo instituit, modo orationem uellet absoluere, sic eam conformare debebat: itaque poenas luunt non tam iudiciis, quam uel leuiter inflexa oratione sed (sc. ita luunt), ut eos agitent insectenturque furiae. Atque illud cum Aldo nepote et Grutero expresserunt Ern. et Wagnerus, hoc Gzius coniecit plaudentibus Schuetzio, Mosero, Orellio. At uero cum nullo in codice nisi in cod. β,

in quo sed ortum est ex coniectura, aut quam aut sed reperiatur melioresque codices non coniunctiuum (agitent insectenturque), sed indicatiuum modum (agitant insectanturque) praestent, Zumptii ego et Bakii potiorem duco coniecturam, qui ut natum esse suspicati ex part. set ita scripserunt: sed eos agitant insectanturque furiae, ut haec non sint opposita solis uerbis non tam iudiciis, sed cunctis illis non tam iudiciis poenas luunt. Similis inchoatae structurae mutatio saepius apud Ciceronem inuenitur post uerba non quo, non quod. Cic. de Or. I, 18. 84. Charmadas multo uberius iisdem de rebus loquebatur, non quo aperiret sententiam suam (hic enim mos erat patrius Academiae aduersari semper omnibus in disputando): sed cum maxime tamen hoc significat. Uide etiam de Or. II, 18. 74. III, 24. 93. de Fin. IV, 5. 11., quae cum aliis laudauit Seyff. ad Lael. p. 210.

non ardentibus] Eandem sententiam saepius expressit. Uide quos locos Wytt. laudauit Cic. in Pis. 20. 46. pro Rosc. Am. 20, 67., quibus plane simillima sunt illa Aeschinis c. Timarch. p. 180. ed Reisk.

aut abnueret aut fingeret] Uel audacissimi, quos poenam propter insignem audaciam contemsisse existimes, aut abnuerunt a se commissum esse facinus aut iusti sui doloris causam finxerunt. Quorum ut illud indicium est, pudorem quendam natura impiis esse insitum, qui quo minus procaciter facinora confiteantur arceat, ita hoc natura esse ius luculenter arguit. Justum dolorem dicit, quo uerum esse animi dolorem significet, non simulatum. Similiter Cicero Brut. 90, 309. iustam eloquentiam eam dicit, cui nihil plane desit, quin perfecta sit. Causa autem iusti doloris non est causa, qua hunc iustum esse dolorem demonstret, quemadmodum Bakius interpretatur, sed est causa facinoris patrati, quod uero, non simulato ipsos dolore afficiat. Cfr. Cic. Verr. III, 85. 195. neque enim est fere quicquam, quod homines palam facere audeant in magistratu, quamuis improbe, quin eius facti, si non bonam, at aliquam rationem afferre soleant. Dolorem igitur nec iram esse Goerenzio concedo, nec indignationem Ochsnero (Cic. Ecl. p. 88.) et Bakio, sed est dolor animi poenitentia sceleris commissi excitatus. Abnueret, pro quo ex cod. AB 11. 65. excerptum est abnuerit, translatum nimirum in illos ex codd. deterioribus pro mendo aperto ob iniuriam, satis firmatur imperfectis sequentibus. Paullo ante Dau. et Zumptius parum recte

deteriorum codicum scripturam iudiciorum pro suppliciorum probarunt.

a naturae iure] In cod. arch. fuit a natura iure aliquo; cuius mendi correctio a naturae iure aliquo i. e. a iure aliquo, quod in natura positum est, cum pridem esset inuenta a superioribus (eadem tentata est in cod. β et 39.), temere improbata est a Bakio, qui peruerse coniecit: a natura et iure aliquo.

quae si] Pronomen relatiuum, quod Bakius uel ad causam doloris uel ad naturam uel ad ius dixit pertinere, pertinet ad res, quae genere eodem continentur, quo ius naturae continetur, a quo defensionem quaerant. Nec raro Cicero genere indicato pronomen ad singulas eiusdem generis res retulit. Cf. Cic. Ac. I, 2. 8. quae (dicuntur uniuerse res philosophicae et dialecticae, non ea, quae in Menippeis illis dicta erant) quo facilius minus docti intelligerent. Lael. 4, 14. de Fin. II, 22. 72. Leg. I, 3. 8. Madu. de Fin. p. 251. Huic contrarium est, si singulis rebus positis genus, quod ex iis efficiatur, per singularem numerum indicatur, ut de Fin. II, 19. 61. de Diu. I, 33. 72. In eodemque non accurate pronominis ad superiora relati genere hoc est, quod interdum pronomen non ad ipsum nomen, quod praecedit, sed ad notionem aliquam uniuerse conceptam refertur, ut Tusc. II, 3. 9. in eo (sc. praecepta philosophorum tradendo) consumsimus. Uide quae dixi I, 16. 45.

aut incauti] Particulam aut in cod. arch. exaratam, pro qua Uict. Dau. Wagn. ex deterioribus quibusdam codd. inficete at incauti potius scripserunt, non est cur improbemus. Absurdum illud consectarium, quo efficere conatur, non poenae metum, sed naturam nos ab iniuria arcere oportere, duplex est. Aut neminem iniustum esse dicit, aut si hoc non probemus atque improbos esse statuamus, incautos potius, non ipsos improbos improbitatis crimine teneri i. e. in cautionis potius defectu cerni improbitatem quam in ipso maleficio, quod et ipsum absurdum est. Recte igitur huius loci sententiam iam Goer. explanauit, nisi quod perperam in particula aut nescio quid ironiae esse putauit, cum meram uim habeat disiungendi. Absurditas inest in ipso consectario, non in particula, cui in continuanda ironia locum esse animaduertit Madu. de Fin. p. 673. uide §. 36. Ernestii Maduigiique coniectura atque itemque Lambini et (idem in marg. ed. 1584. coniecit sed), praeterquam quod sine necessitate codicum auctoritas negligitur, si Maduigii incauti pro praedicato habentis rationem sequeris, uel hoc

habet incommodi, quod improbi uniuersi appellantur incauti, cum ii tantum sint incauti, qui prehendi se in scelere sinunt. Minus etiam probabilis Zumptii est coniectura ut incauti potius habendi sint improbi. Bakius denique et uiolenter et insulse: nemo est iustus aut incauti potius habendi sunt, non improbi.

deserto quo] Quo deteriorum quorundam codicum auctoritate (ε 96. Dr. 1. 2. Cr. W.) omiserunt Man. Lamb. Ern. Wagn.

faciet et metietur] Futurum tempus, pro quo Uict. Dau. Ern. Wagn. praesens substituerunt (facit et metitur) et codices satis tuentur et oratio. Sed pro asyndeto faciet metietur, quod cum Steph. et Madu. Emendatt. p. 12. Orellius et Bakius amplexi sunt, cum plerisque copulandi particulam restitui uel ob maiorem codicum auctoritatem (nam meliorum etiam codicum mendo faciet emetietur ea confirmatur) uel propterea, quia ad hanc sententiarum rationem, in qua nec gradatio elucet nec contrariorum opposito (ut I, 6. 19. recte facere iubeat, uetet delinquere), sed in negatae sententiae locum substituitur alia, parum uidetur asyndeton accommodatum esse. Cf quae dixi I. §. 18. Mox sine causa Lbini coniecturam facturus Bakius probauit. Non enim de singulis istius hominis factis cogitari necesse est, et potius tota eius agendi ratio denotatur (wie er sich verhalten wird).

sed etiam] In codd. C E Gd. 2. et procul dubio in δ nec sed nec uerum comparet. Unde, cum reliqui codices inter utramque particulam fluctuent, non inepte particulam in cod. arch. intercidisse collegeris. Quodcum utrum Cicero ipse scripserit, difficile sit dicere: ex plerisque codicum deteriorum pro uerum, quod adhuc uulgatum est, cum Bakio sed restitui.

XV. §. 42. quae scita sint] In cod. arch. certum est fuisse, quod Lamb. et Dau. retinuerunt nec displicuit Ernestio quae sita sint in populis. Jam etsi situm esse in lege ita recte dicitur, ut idem sit atque positum esse in lege s. in lege tamquam fundamento niti (iniuria hoc negari a Goerenzio documento est Cic. Tusc. I, 26. 64.): ab hoc tamen loco alienum est. Sic enim tum progredi debebat oratio: etiamne, si in legibus tyrannorum? Quod autem scripsit etiamne, si quae sint leges tyrannorum? declarat hoc leges ante negari iustas esse omnes. Uera igitur est coniectura pridem uulgata quae scita sint. Quam praue tamen interpretati sunt Wagn. Goer. Moserus, qui sciscí in legibus eodem

modo dici aiunt atque II, 5. 13. sciscí in populis (nimirum populi ibi nomen, ut saepe, positum est pro ciuitate. Cic. de Diu. I, 41. 90. Tusc. V, 27. 77. V, 36. 105. de Rep. III, 9. 14. pro Arch. 10, 23.). Nec uero recte dicitur sciscí in legibus pro sanciri in legibus uel legibus, ne sciscere quidem legibus, ut probari non possit, quod a Madnigio commendatum in Emendatt. p. 13. placuit Orellio, quae scita sint legibus. Nam ut omittam institutis isto modo uoci legibus inficete adiungi, aut simpliciter populus sciscere dicitur aut leges sciscere. Itaque scribi certe oportuit sancta sunt, quod olim ipse probaui Ernestio assentiens in Jahnii Ann. 1842. p. 299., quo suscepto tamen ne praepositionem quidem cum Ernestio deleri necesse est (cf. Cic. Verr. III, 50. 123. antiquas leges habent, in quibus et eadem sancta sunt et hoc amplius). Uulgatam scripturam nunc ego retinendam puto, quia et aliis horum librorum locis (I. §. 39.) scita in sita mutatum esse uideo et facete sic progreditur oratio ab eis, quae populus sciuit ad ea, quae tyranni constituunt. Praepositio in declarat quae scita sint partes esse generis (institutorum et legum). (Cic. Lael. 4, 15. quo in genere sperare uideor Scipionis et Laelii amicitiam notam posteritati fore). Sententia igitur haec est: Stultissimum est existimare omnia ea ex populi institutis aut legibus, quae scita i. e. populi scito constituta sint, iusta esse.

triginta illi, quos Atheniensibus deuictis Lacedaemonii imposuerunt a. 404. Sall. Cat. 51. Xen. Hist. Gr. II, 3.; quos iniustissime rei publicae praefuisse dicit de Rep. III, 32.

aut si omnes] Futilis est Bakii de Athenione Athenaeum V. p. 211. F. laudantis coniectura: aut si omnes Athénionis delectarentur t. l. et Zumptii etsi pro aut si substituentis ratio. Nihil profecto ista gradatione aptius, per quam a paruo tyrannorum numero progressio fit ad Athenienses omnes et a uiolenta legum impositione ad delectationem, quae est uoluntaria.

eae leges] Pro pronomine haec adhuc uulgato ex melioribus codd. (Bakii deteriores, quos ipse non exceperit, num accedant melioribus dubito) cum Bakio restitui eae. Cum pron. et ad triginta tyrannorum leges et ad tyrannicas leges pertineat, quibus uniuersos Athenienses finxit delectari, non necesse est eas monstrari ut Tullio propius admotas.

interrex noster] L. Ualerius Flaccus interrex legem de Sulla dictatore tulit, ut omnia, quaecunque ille fecisset,

rata essent. Cf. Cic. de leg. agr. III, 2. 5. Uide etiam App. B. Ciu. I, 99. Plut. Sull. c. 33., unde alteram legis partem ad ea pertinuisse patet, quae acturus esset; quod idem et haec uerba indicant et illa in Verr. III, 35. 81. Peruersa est igitur Dauisii suspicio ut qui dictator esset.

indicta causa impune] Hoc, quod a plerisque interpretibus probatum est, paucorum tantum deteriorum codicum auctoritate nititur. In melioribus codd. ante indicta insertum est aut, in deteriorum plerisque ut uel an. Unde quod Gzius et Schuetzius effecerunt uel, id merito spretum est ab Orellio et Bakio. Nam quod impunitas cuiusuis ciuis necandi eo intenditur, quod uel indicta causa id facere potuerit, id ita dicitur, quasi iam dicta causa ciues interficere graue fuerit. Nec uero placet sola particula deleta uerba indicta causa retinere, quia et idem est indicta causa occidere atque impune occidere (hinc nusquam utrumque coniunxit; similiter autem dixit in Verr. V, 65. 168. impune posse praetorem supplicium constituere), nec mendi aut origo perspicitur, nisi uerba aut indicta causa ad uocem impune interpretandam primum margini esse adscripta atque inde in uerborum seriem recepta iudicaueris. Eodem modo uel in cod. archet. uel in singulis quibusdam codd. saepius peccatum est, uelut II. §. 16. in Cr. cogant uel cognoscant. II, §. 38. in α temperata uel moderata. Quare uerba indicta causa expellenda censeo.

constituit una; quae lex] Hanc uulgatam scripturam ex meliorum deteriorumque codicum uestigiis conflatam immerito Bakius deseruit, qui meliores codices hoc quidem loco mendosos secutus scripsit et quod lex constituit, unaque lex, quae est, quia utrumque separatim dicere attineret et unum ius esse, quod lex constitueret, et unam legem. At lex isto modo in sententia relatiua nimis uage dictum esset, nec tam illud attinebat separatim dicere, quam hoc coniunctim; „unum illud ius, quo deuincta esset hominum societas, constitutum esse lege una, quae esset recta ratio imperandi atque prohibendi". Separatim si Cicero utrumque dicere uoluisset, scripsisset profecto: est enim unum ius, quo est deuincta hominum societas, unaque lex, quae ius constituit, quae est recta ratio cet.

ignorat] Qui ignorat ea, quae nosse omnes debeant, is nec probat nec in uita sequitur. Ac non probandi uim ignorandi notioni interdum admixtam esse elucet ex Cic. Phil. VIII, 2. 7. de proximo bello ciuili non lubet

dicere; ignoro causam, detestor exitum. De simili uerborum noscere et nouisse usu uide quae dixi I, 4. 11.

ut iidem dicunt sc. Epicurei. Cf. Cic. Off. I, 2. 5.

eaque quae] In cod. arch. fuit eaque propter. Sed aut particulam et, ut superiores, addi necesse est (et ea quae) aut retenta particula que cum Gzio et reliquis scribendum est eaque quae. Hanc ego ut faciliorem mendi correctionem magis probo, cum ab hac sententiarum nectendarum ratione Cicero non abhorreat. Cf. de Fin. I, 14. 48. III, 1. 3. Lael. 27, 104. Brut. 88, 303. Goer. ad Acad. I, 12. 43. Beier. ad Off. I, 21. 72. Madu. ad Fin. V, 22. 64.

utilitate illa] Hanc codicis arch. scripturam frustra tentarunt interpretes pro illa uel alia coniectando, ut Steph. Ern. Wagn. Or. Madu. (Emendatt. p. 14.), uel ulla aut ipsa, ut Dauisius, uel sublata addendo (utilitate illa sublata), ut Lbinus. Possis etiam ratione habita eorum, quae Cic. in Lael. 9, 32. dixit (nam si utilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata dissolueret) coniicere utilitate mutata. Sed non opus est coniectura. Nemo sane in his offenderet: eaque, quae propter utilitatem constituitur, eadem utilitate (de Fin. II, 24. 78.) uel eadem illa utilitate conuellitur; quae ab illis ita tantum differunt, ut expresso uerbo declaretur, utilitatem illam, qua conuellatur iustitia, esse eandem, propter quam constituatur, id quod uel omisso pronomine facile perspicitur. Nam utilitas pariter hoc loco atque illo de Fin. utilitatem uniuersam significat, non certam quandam utilitatis speciem, ut de Fin. III, 21. 70. Similiterque de Off. II, 15. 52. dicitur benignitas benignitate tollitur; a quo hoc differt eo, quod utilitas ut paullo ante commemorata monstratur. Nihil igitur erat, cur Bakius illa omitti uellet. Insulse Goer. et Mos. utilitatem illam dixerunt eam esse, quae natura esset.

§. 43. confirmatura non erit] Atque, pro quo Uict. Steph. Lamb. Dau. Ern. Wagn. ex deterioribus quibusdam codicibus atqui receperunt, et meliores codices tuentur cum plerisque deteriorum et sententia efflagitat. Progreditur enim oratio ad aliam rem eamque grauiorem nec solum iustitiam, sed uirtutes omnes tolli contenditur, si natura confirmatura ius non sit. Exempla sunt in Handii Turs. I. p. 476. Confirmatura, quod codd. meliores tenent cum quibusdam deterioribus parum recte Bakius, qui cum Uict. Lamb. Dau. Ern. Wagn. Zumptio ex deterioribus

recepit confirmatum, improbauit propterea, quia naturam confirmaturam nec iam confirmasse ius difficile esset assequi. Nihil, credo, haec ei molesta essent: si natura confirmatura ius non est (i. e. si natura non ea est, qua ius confirmari certum uel necesse sit), uirtutes omnes tolluntur. Etenim hoc participium non modo eum significat, qui in eo est, ut aliquid faciat, sed etiam eum, quem facturum esse aliquid eo iam tempore certum sit, quod uerbo finito indicatum est; namque tempus certum non magis hoc participio, quam alio ullo denotari constat. Cic. Cat. Mai. 19, 67. Quid timeam, si aut non miser post mortem aut beatus etiam futurus sum — non ero. Significat illud praesentiam iam nostram beatitudinem praestare. ibid. 22, 81. ad Quint. Fr. II, 16. 1. Primariae autem sententiae uerbo in futurum tempus reiecto item secundariae uerbum in idem tempus reiici necesse est, ut quo tempore uirtutes omnes tollantur, eodem natura ius non confirmatura cogitetur. Tollentur autem pro codicis arch. mendo tollantur, quia dubitationi nihil omnino loci est, merito post Lbinum et Dauisium restituerunt excepto Bakio reliqui. Uerba denique uirtutes omnes, quae desunt in codd. melioribus, sed seruata sunt in plerisque deteriorum, non oportuit a Bakio sollicitari, quia deinceps eas tantum uirtutes commemoraret, quae cum iustitia essent maxime coniunctae neque aut prudentiam aut fortitudinem aut modestiam. Non magis profecto necesse erat hoc loco, quam Ac. II, 16. 140. has uirtutes omnes persequi, quae omnes eodem cum iustitia fundamento nituntur (cf. §. 48.); persequitur autem de Off. III, 33. 117. Bakius ipse coni. uinculum societatis tollatur.

ex eo, quia] Sic Dauisio suasore secundum deteriores quosdam codices recte Gzius et Schuetzius; idem enim confirmatur mendo meliorum qui a natura; unde nouo errore natum est qui natura, correctione simul seruato mendo in C quod a natura. Reliqui ex eo quod. Quod licet longe sit frequentissimum, tamen ne alterum quidem genus exemplis caret. Inter utrumque autem hoc interest, quod quia causam reddit a praecedente sententia magis seiunctam, quod autem propter uim eius relatiuam minus obscuratam arctissime cum pronomine demonstratiuo coniunctum est eique ita innititur, ut ab eo diuelli non possit. Cf. praeter locum a Gzio laudatum Tusc. I, 18. 42. (quod ex eo sciri potest, quia corpora nostra — coalescunt) Ter. Heaut. III, 1. 99. an eo fit, quia in re nostra aut gaudio sumus praepediti nimio aut cupidine.

Similiterque uel idcirco quod uel idcirco quia dicitur. Zumpt. ad Verr. III, 64. 150. Eodemque genere continetur illud, quod post eo sequente comparatiuo et quod et quia ponitur. Cic. Off. II, 13. 45. quod eo firmiore animo facient, quia non modo non inuidetur illi aetati, uerum etiam fauetur.

sed etiam in deos caerimoniae] Bakius obsequia et ad homines et ad deos pertinere arbitratus, ut ante Ernestius, commate post deos interpunxit uerbaque caerimoniae religionesque per epexegesin addita esse dixit, quasi uero illa obsequia essent in deos. Caerimonias religionesque in deos non minus recte dixit, quam de Inu. II, 22. 66. metus et caerimonia deorum et ibid. 53. cura caerimoniaque deorum.

tolluntur] Generaliter loquens recte praesenti tempore utitur; contra codices Lamb. Dau. Ern. Wagn. tollentur.

non metu, sed ea coni.] Inficete ex deteriorum codicum correctione [non] metu et ea coni. Dauisius coniecturam hanc expressit: non metu, at ea coni. Coniunctionem dicit agnationem, quam nobis cum diis intercedere supra dixit c. 7.; ex quo fonte Stoicos pietatem in deos repetiise testis est Sext. Emp. IX, 131. At metu Epicurei deorum religionem suscipi dicebant, si deos omnia curare Stoici uere disputarent. Cic. Nat. Deor. I, 20. 54. Male deinde Dauisio suasore Rathius et Moserus ex deteriorum codd. correctione cum eis effecerunt cum diis. Quemadmodum sing. numerus homo genus significat hominum, ita deus genus significat deorum, ut non necesse sit cogitare de praepopenti Stoicorum deo. Cf. §. 23. eaque et in homine et in deo cet. §. 25. est igitur homini cum deo similitudo.

XVI. principum decreta] Principes (sc. ciuitatis) ii sunt, qui primum in ciuitate locum obtinent. Quorum cum in senatu plurimum ualeret auctoritas eorumque tum omnia uoluntate decernerentur, principum dixit, non senatus decreta. Male haec et Engelbronnerus in disput. Amst. 1802. p. 39. a Cicerone abiudicauit, et Schnetzius ad eas nationes retulit, quae regum imperio parerent. Iura Cicero dixit iura singula, non ius uniuersum spectans. Male igitur Bakius, quia populi tantum iura constituerent, ius commendauit.

falsa testamenta] Simpliciter fere dicuntur testamenta supponi uel subiici. Cf. Par. VI, 1. Phil. XIV, 3. 7. Cat. II, 4. 7. Liu. XXXIX, 18, quoniam quae subii-

ciuntur, sua sponte falsa esse patet. Quemadmodum autem testem falsum subornare dixit pro Rosc. Com. 17, 51. et testem fictum subornare pro Caec. 25, 71, licet pro Deiot. 6, 17. dicat medicum indicem subornare: ita ne hoc quidem loco adiectiuum ex pleonasmo quodam additum ego damnauerim, idque recte defenderunt Bakius et Krausius, cum Mos. Sch. Orellius in contrariam Goerenzii sententiam, alius alio magis inclinassent.

si haec probarentur] Non continetur his uerbis, ut Bakius ait, iteratio conditionis praecedentis. Superior conditio generalis est, posterior specialis. Utraque igitur opus est. Nam etiamsi populorum iussis in uniuersum iura constituerentur, non iam ius esset latrocinari, nisi etiam hoc ipsum latrocinari ius esse suffragiis aut scitis multitudinis probaretur. Cic. pro Rosc. Am. 1, 2. si quis istorum dixisset, quos uidetis adesse, in quibus summa auctoritas est, si uerbum de re publica fecisset, multo plura dixisse, quam dixisset, putaretur. Uide Madu. de Fin. I, 3. 7. Halm pro Sest. p. 160.

§. 44. quodsi tanta] Lbino excepto et Dauisio reliqui ex deterioribus codd. receperunt quae si, ut tanta illa potestas iam eis, quae praecedunt, declarata esse uideatur uerbisque quae tanta addatur epexegesis: ut eorum suffragiis rerum natura uertatur. At cum ex eis, quae praecedunt, temporibus imperfectis eluceat, Ciceronem iussis populorum iudicumque sententiis non tantam tribuisse potestatem, non dubium est, quin meliorum codicum auctoritati sit obtemperandum, ex quibus tamen AB 11. 65., ut saepe, correcti sunt ex deterioribus. Itaque non continuat Tullius eandem argumentationem, id quod Bakio persuasum fuit, sed progreditur in argumentando, ut Lael. 9, 29. De quodsi uide Seyff. ad Lael. p. 150. p. 478.

et salut.] Pro part. ac adhuc uulgata ex plurimis et optimis codicibus cum Uict. et Bakio restitui et.

aut cum ius ex iniuria] Ad Orellium usque omnes ediderunt, quod est in plerisque codicum deteriorum: aut cur, cum ex iniuria. Quod per se ipsum non sane habet, quod reprehendatur, nisi quod particulam cur sententiae primariae praefigi malueris, ut hic sit uerborum ordo: aut cum ius ex iniuria lex facere possit, cur bonum cet. At uero cum codd. meliores (E mendo peculiari h. l. inquinatus est) cum quibusdam deterioribus particula cur omissa haec habeant: aut cum ius ex iniuria lex facere possit, bonum eadem cet., haec potius Ciceronis esse iudicio et cur in deterioribus pariter

ut de Diu. I, 57. 131. correctione puto ortum esse, quae ut tentaretur, haud scio an particula cur praecedens effecerit. Miratur igitur Tullius, cum ius ex iniuria lex facere possit, bonum ex malo eandem facere non posse. Quo de genere cf. Madu. de Fin. II, 3. 10. Seyff. ad Lael. p. 206. Nulla igitur causa Bakio fuit tentandae coniecturae aut cur ius ex iniuria lex facere possit cet. Pro part. aut non desiderabunt an, qui alteram h. l. interrogationem alteri non opponi, sed substitui intelligent, ut Ac. I, 5. 8. Phil. II, 36. 92. Par. III, 1. 21. Ac. II, 7. 21. potestne igitur quisquam dicere, inter eum, qui doleat et eum, qui in uoluptate sit, nihil interesse? aut qui ita sentiat, non apertissime insaniat?

naturae norma] Sic recte C Gd. 2. δ eodemque ducit mendum codicis E (natura norma). Praue cum deterioribus, ex quibus correcti sunt AB 11. 65., Uict. et Lamb. naturali norma; nam naturalis norma i. e. norma aliqua, quae a natura profecta est, opposita est artificiosae, quemadmodum de Diu. I, 6. 12. naturalia opposita sunt eis, quae artis sunt; naturae autem norma est ea norma certa, quam natura suppeditat. Pronomen nos Tullius expressit, ut se suique similes (Academicos, Peripateticos, Stoicos) secerneret ab Epicureis, qui non naturae norma, sed utilitate legem bonam a mala secernebant.

ius et iniuria cet.] Jus et iniuria correctio est necessaria probata ab omnibus, cuius etiamnunc uestigium exstat in codd. melioribus. Cf. annot. crit. Quod Lamb. Ern. Wagn. Schuetzius et coniectura suscepta et mendo codicum deteriorum seruato scripserunt ius et iniuria a natura diiudicantur (typographi errore idem in mea editione expressum est), non animaduerterunt illi, non naturam ius et iniuriam diiudicare, sed ex natura diiudicari ista ab hominibus. Tum diiudicatur cum Uict. Steph. Man. recepi ex melioribus *) codicibus multisque deteriorum; reliqui diiudicantur. Jus et iniuria non tamquam res duae coniunctae cogitantur, ad quas simul diiudicatio pertineat, sed unumquodque et ius et iniuria diiudicatur natura.

et turpia] Particulam et in cod. C E Gd. 2. δ omissam cum Uict. Steph. Bakio restitui ex plerisque deteriorum, ex quibus correcti sunt AB 11. 65.; reliqui ac.

Nam et communis int. nob. not. res eff.] Hunc uerborum ordinem ante uulgatum sine causa deseruerunt

*) num ex Bakii silentio in codd. C et E diiudicantur esse recte collegeris, dubito.

Goer. Mos. Or. (notas nobis res) et ante Lbinus (nobis res notas eff.). De ipsis autem uerbis tenendum primum hoc est, generaliter h. l. ut §. 27. (quorum ex prima et inchoata intelligentia) dici intelligentiam, cum §. 26. singulas rerum intelligentias dixisset, deinde uero per particulam que explicationem adiungi uerborum praecedentium; quo de genere dixit Seyff. ad Lael. p. 151. Cum autem generaliter intelligentia appelletur, et notas nobis res efficere recte dicitur, ut, quid iustum iniustum, aequum iniquum, modestum immodestum, honestum turpe sit, cognoscamus, et in animis nostris res i. e. singulas rerum notiones inchoasse. Nec quicquam obstat, quod §. 26. et 27. intelligentia dicitur a natura inchoata esse, hoc autem loco ipsa dicitur res inchoare. Quemadmodum enim natura inchoat generalem, ut ita dicam, intelligentiam: ita haec ipsa singulas rerum notiones in animis nostris inchoat et ut notae nobis sint, efficit. Inchoasse autem intelligentia res dicitur, non inchoare, quia inchoatio semel fit atque semel facta non continuatur; illud autem, quod res notas nobis efficit, uel facta inchoatione continuatur ac manet. Itaque nec alii inchoat recte ex deterioribus quibusdam codd. assumserunt (Dau. Ern. Wagn.) nec alii effecit (Graeu. in marg. edit. Comm. et Scheffer.). Nec uero ulla opus est correctione nec Turnebi eas quae, nec Pearcii a Goer. Sch. Mos. probata eas quas, nec Dauisii nobis notas rerum effingit eaque in animis nostris inchoat, nec Wagneri nam et comm. int., quae notiones rerum efficit, eamdem in animis nostris inchoauit, nec Zumptii nam et communi intelligentia nobis notas res efficit eas, quas in animis nostris inchoauit, et ut honesta cet., nec Bakii denique nam ita communes intelligentias natura efficit easque in animis nostris inchoauit. Ceterum partitionem patet primum institui orationemque sic formari, quasi alterum et sit secuturum (et honesta ac turpia in opinione existimare, non in natura posita dementis est), inflexam autem deinde orationem alio quodam modo absolui (ea autem cet.). Cfr. Madu. de Fin. p. 801. sqq. Klotz Quaest. Tull. I. p. 7—12. ad Lael. p. 191. ad Tusc. III, 3. 5. Errant, qui h. l. particulam que respondere dicunt particulae et.

§. 45. Ea cum Steph. et Dau. (reliqui haec) ex codd. C E δ Gd. 2. pluribusque deteriorum reuocaui, quia non noua, ut Bakio uisum est, instituitur argumentatio aut confirmatio praecedentis, sed continuatur iam instituta. Cf. exempla ab

ipso Bakio laudata de Off. I, 10. 31. ea cum tempore mutantur. ib. I, 16. 50. eius autem uinculum est ratio et oratio.

in quo abutimur] Abusus nominis dicitur, non quia, ut Bakio uisum est, ex Stoicorum definitione uirtus est perfecta ratio — nihil enim haec Stoicorum definitio ad sermonem quotidianum pertinet, in quo abuti nomine dicuntur — sed quia propter originem uocabuli nec ad bestias nec ad inanimas res uidetur transferri posse.

quod si ita est] Ex codicis arch. mendo quid sit est malui cum Uict. Man. Lamb. Ern. Wagn. Mos. Or. efficere quod si ita est, quam cum reliquis quod si est. Nam et facilior mendi ortus ex illo quam ex hoc erat, et solet Tullius, ubicumque ab assumtione ueri progreditur ad nouam conclusionem, uerbis quod si ita est uti. At quod si est tum ponit, cum assumit esse aliquid, ut Tusc. V, 17. 50., ubi quod si est hanc uim habet: si est aliquid praedicabile in uita aliqua, itemque V, 6. 17. hoc significat: si iste quietus et placatus animi status adest.

quis igitur] Particula igitur id, quod generaliter dictum sit, iam exemplis illustrari significat (Handii Turs. III, p. 190.) idque, quod iam de prudente ex aliqua externa re diiudicando dicat, necessario ex eo sequi indicat, si uniuersa uirtus opinione probetur.

est enim] Confirmatur his uerbis sententia, quae praecedit. Recte igitur Bakius reprehendit Gzium et Moserum, qui enim transeuntis esse idemque significare dixerant, quod iam uero. Quod idem autem uirtus tollendum atque prudentiam subiecti loco habendam esse dixit, non animaduertit sententiam hanc esse: „est enim uirtus, quae tamen habenda est prudentia, perfecta ratio“.

quod certe] Recte contra Gzium et Moserum, qui quod coniunctionem esse dixerant, Bakius animaduertit quod neutrum esse pronominis, quod ad uniuersam notionem (rationem perfiei) referatur. Cic. Tusc. V, 13. 39. Uide de pron. ad uniuersam notionem, non ad certum quoddam nomen relato §. 41. et Madu. de Fin. III, 6. 21. V, 13. 37. Non necessaria est igitur Ernestii coniectura quae.

XVII. Nam ut uera cet.] Nouum argumentum, cur honestas et turpitudo in natura sit posita, repetit ex comparatione uirtutis et uitii cum ueris et falsis, consequentibus et contrariis facta. Recte enim uerbis constans et perpetua uitae ratio Bakius aliam quandam uirtutis definitionem contineri dixit similemque uirtutis definitionem

6*

proposuit Tusc. IV, 15. 34. uirtus est affectio animi constans conueniensque laudabiles efficiens eos, in quibus est. Cf. etiam Par. III, 1. 22. Diog. L. VII, 89. Pro uulgato uerborum ordine quae est uirtus cum Steph. et Bakio reuocaui hunc: quae uirtus est, quia in eis, quae utroque modo recte dicuntur, solam codicum auctoritatem sequendam duxi. Eademque de causa Bakium reprehendo, quod contra codices omnes deinde uerborum ordinem sic mutandum esse dixit quod uitium est. De industria h. l. Cicero inuerso uerborum ordine (chiasmum uocant) usus esse uidetur, ut uirtutis et uitii notio magis acueretur. Cf. de Or. II, 72. 292. si causa est in argumentis —, sin autem in conciliatione aut in permotione causa est.

§. 46. sua natura probauit nos cet.] Locus perquam controuersus, in quo emendando alii aliter sunt uersati. Sententiarum quidem series haec est. Ut omnem honestatem natura iudicari appareat, uirtutem et uitium comparando cum consequentibus et contrariis natura iudicari demonstrat; idque ipsum denuo confirmat eo, quod uirtutes et uitia ab ingeniis existant, ingenia autem certe natura sint diiudicanda; ergo etiam uirtutes et uitia; si haec, honesta quoque et turpia. Jam quia ingenia iuuenum nimis subito inferuntur uerbaque non item sic fere usurpantur, ut uerbum, quod audiendum sit, in eodem sententiarum complexu sit positum (cf. Tusc. IV, 14. 31. et 32. Ac. II, 7. 22. Nat. Deor. II, 24. 62. Or. 43, 147.), partem tantum interrogationis uerbis ingenia iuuenum non item contineri patet, partem exstinctam esse; idque magis etiam eo confirmatur, quod et probandi uerbum parum recte refertur ad uerba inconstantia, quod est uitium, nec pronomen nos habet, quo excusetur. Scite haec incommoda omnia Madu. in progr. p. 12. sustulit coniectura hac: iudicabitur. An arbores aut eculei (uerius haud scio an scripseris equi) ingenium *) natura probabimus, ingenia iuuenum non item?**) Sic primum a re, quam omnes ita esse concedant et quam supra (§. 45.) iam attigit, progressus conficit ingenia iuuenum item natura

*) tollendum est mendum ingenia in annot. crit.

**) Intercidisse patet in cod. arch. totum uersiculum, cuius omittendi causa haec fuit, quod librarii oculus a uerbo natura priore loco posito ad uerbum idem altero loco collocatum aberrauit. Similiter II, §. 5. peccatum est in Gd. 2. uerbis alteram loci patriam omittendis et II. §. 16., ubi in cod. arch. a priore rationis uocabulo librarii oculus aberrauit ad posterius.

iudicari, argumento per connexam interrogationem apte concluso. (Quo genere nihil est frequentius. Cf. I, 19. 51. Tusc. IV, 14. 42. Tusc. V, 14. 42. de Fin. I, 2. 5. I, 4. 12. Nat. Deor. II, 38. 97. de Diu. II, 59. 123. pro Rab. 5, 16. Verr. I, 42. 109. Madu. de Fin. p. 14. Stuerenb. pro Arch. p. 160, qui magnam exemplorum copiam congessit). Ex quo deinde uirtutes et uitia, quia ab ingeniis existant, non aliter iudicari concludit. Quod quoniam itidem interrogando concludit insistens ei, quod superiore interrogatione effectum erat, parum recte uidetur assumtio particula at declarari, ut merito Maduigius et Bakius (idem ego conieci in Jahnii Ann. 1842. p. 298. istorum non cognita disputatione) pro at commendarint an, quod saepe cum part. at a librariis confusum est et recte a Maduigio est restitutum de Fin. I, 8. 28. II, 26. 83. Verr. IV, 45. 102. Sine causa autem Bakius uerba quae existunt ab ingeniis in suspicionem uocauit propterea, quia existere ex uel ab aliquo de iis tantum diceretur, quae subito et inexspectato alicunde prodirent. Cf. Varr. R. R. I, 34. 1. quae a bruma sata sunt, quadragesimo die uix existunt. Cic. Brut. 8, 31. huius ex uberrimis sermonibus uiri doctissimi exstiterunt. Denique denuo insistens ei, quod proxima conclusione effectum erat, eadem connexae interrogationis forma adhibita illud argumentum concludit, cuius causa haec omnis suscepta est argumentatio (honesta et turpia natura iudicari), ut non possit dubitari deteriorum codicum scripturam non aliter quam honesta a quibusdam probatam prauam esse correctionem scripturae uerae in melioribus seruatae. Reliquorum interpretum coniecturas, quas refutare et longum est nec necessarium, simpliciter adiungere iuuat, ut quomodo alii huic loco succurrerint, cognosci possit ab iis, quorum id intersit cognoscere. Steph. Man. Dau. Ern. expresserunt haec: natura probatur. Nos ingenia iuuenum non item ad ingenia: naturā (naturae Ern.) uirtutes et uitia, quae existunt ab ingeniis, iudicabuntur? an ea non aliter? honesta et turpia cet.; nec tamen aut Dau. aut Ern. ista probauit, quorum ille haec commendauit: probatur. Nos ingenia iuuenum confitemur ingenita natura. Uirtutes et uitia, quae existunt ab ingeniis, non ad naturam referri necesse erit? uerbis reliquis expulsis, quia uirtutes et uitia eadem essent atque honesta et turpia; quod secus est. Uirtutes et uitia sunt ingeniorum proprietates (gute und schlechte Eigenschaften), honesta et turpia uniuerse

dicuntur (Tugend und Laster). Ernestius autem haec coniecit: probatur. Nos ingenia iuuenum ad ingenia; non item natura uirtutes et uitia, quae existunt ab ingeniis, iudicabuntur? an ea non aliter? honesta cet. Lambinus: probatur. Nos ingenia iuuenum non opinione, sed natura iudicamus. Cur non item ab ingenita natura uirtutes et uitia, quae existunt ab ingeniis, iudicabimus? An ea aliter, quam honesta cet. De Pearcii coni. Lallem.: probatur. Nos ingenia iuuenum natura iudicamus; non item uirtutes et uitia, quae existunt ab ingeniis, iudicabuntur; an ea non aliter? honesta cet. et sic fere Orellius, nisi quod primum de Goerenzii coni. scripsit probabitur, deinde cum Madu. in Emendatt. p. 23. inuerso ordine iudicamus natura, denique cum Goerenzio an ea aliter. Wagnerus: probatur. Nos ingenia iuuenum nonne confitemur ab ingenita naturae ui esse? Uirtutes autem et uitia, quae existunt ab ingeniis, iudicabunturne ea aliter? honesta igitur et turpia ad naturam referri necesse erit. Schuetzius: probatur. Nos ingenia iuuenum natura, uirtutes et uitia, quae existunt ab ingeniis, aliter iudicabuntur? sin ea non aliter, honesta cet. Goerenzius, cuius rationem probauit Moserus, meliorum deteriorumque codd. scripturis conglutinatis: probabitur. Nos ingenia iuuenum non item? at ingenia natura, uirtutes et uitia, quae exsistunt ab ingeniis, aliter iudicabuntur? An ea aliter, quam honesta et turpia, non ad naturam referri necesse erit? Rathius: Nos ingenia iuuenum non eadem ratione? at ingenia natura, uirtutes et uitia, quae exsistunt ab ingeniis, aliter iudicamus? an ea aliter, quam honesta et turpia? Non ad naturam referri necesse erit? Zumptius: Nos ingenia iudicamus natura. Non item, ut ingenia, natura uirtutes et uitia, quae existunt ab ingeniis, iudicabuntur? An ea, non aliter quam honesta et turpia, ad naturam referri necesse erit? Bakius denique omissis uerbis nos ingenia iuuenum haec tentauit: probabitur. An ingenia natura, non item uirtutes et uitia, quae existunt in ingeniis, iudicabuntur? an ea non aliter, honesta et turpia non ad naturam referri necesse erit?

quod laudabile bonum] Cicero idem (honesta et turpia in natura esse posita) alio quodam modo comproba-

turus, a bono proficiscitur laudabili, quo nomine Stoici honestatem appellabant (cf. de Fin. III, 8. 27. quod est bonum, omne laudabile est; quod autem laudabile est, omne est honestum: bonum igitur quod est, honestum est. Tusc. V, 15. 45.). Cum autem integra syllogismi forma deberet haec esse: quod laudabile bonum est, in se habeat, quod laudetur necesse est; et est honestas bonum laudabile; ergo honesta quoque et turpia ad naturam referenda sunt, aut assumtione omissa argumentum concludi oporteret ex ipsa sumtione (quod laudabile — necesse est): ea quam interposuit confirmatio de ipso bono ad naturam referendo effecit, ut argumentum non ex illa sumtione, sed ex hac generaliore sententia concluderet: bonum et malum natura est. Quae quidem res immerito quibusdam, ut Wagnero, suspicionem mouit laudabile deberi correctioni. Quos recte Bakius eo refutauit, quod eius ipsius uocabuli (laudabile) uis urgeretur uerbis habeat quod laudetur necesse est uerbaque ipsum bonum (Gut an und für sich, Gut im Allgemeinen) indicarent, compositam fuisse notionem illam, ex qua bonum posset segregari. Inutilis est Zumptii coniectura quo laudetur. Manut. denique et Lbinus in opinionibus sed in natura et contra codices nec conuenienter consuetudini Romanorum.

principia naturae. Sine causa Zumptius coniecit natura. Ut ius naturae (§. 40.) est ius in natura positum, ita principia naturae ea sunt, quae posita sunt in natura. Sententia haec est: principia, quibus utrum quid malum, an bonum sit, iudicatur, in natura sunt posita. Alia est ratio uerborum §. 36. natura esse ius.

§. 47. idem contingit in sensibus sc. ut tantopere inter se dissentiant. Male Bakius fortuitum codicis E mendum et hos probauit, ut apodosis inciperet a uerbis: illa quae cet. Opponuntur sibi sensuum et animi perceptiones; non quia certi sint sensus eorumque perceptiones, ea, quae animo comprehendantur, ficta esse dicit.

dicimus] Contra codicum auctoritatem Steph. Dau. Ern. Wagn. Schuetz. Or. parum recte ducimus correxerunt, id scilicet rati necesse esse propter putandi uerbum, quod antecedit. At dicendi notione continetur etiam notio ducendi. Cf. quae dixi I. §. 37. Similiter dicimus ex melioribus codd. Madu. restituit de Fin. IV, 20. 56. quas (res) nos bonas dicimus, concessit ut haberentur aptae.

uel ab iis] Ab iis uel meliorum codicum mendo labiis confirmatur; pro quo parum recte Bakius deteriorum quorundam scripturam ab his commendauit. Nec necesse fuit parentem, nutricem, magistrum monstrari ut qui proxime scriptori admoti essent et inde pron. is commendationem aliquam habet, quod idem in altera sententiae parte sequitur, si quidem illud ipsum, quod antecessit, effecisse uidetur, ut altero etiam loco poneretur. Quo facto fieri non potuit, quin noto attractionis genere uerba imitatrix boni et mater applicarentur ad sententiam relatiuam; ad quae ipsa tum, praesertim interpositum, accommodari oportuit uoluptatis uocabulum. In simili attractionis genere sunt loci de Leg. III, 5. 12. pro Cluent. 42, 117. Cf. Krüger Untersuchungen III, p. 189. sqq. De re uide I, 11. 31.

non cernunt] In cod. arch. fuit cernuntur. Quo cum turbetur oratio, aut singularis cuiusdam negligentiae Cicero est accusandus aut mendum tollendum. Sublatum autem id cum Orellio et Bakio existimo Dauisii coniectura cernunt, quae ipsa nunc excerpta est ex cod. α. Subiecti autem loco habendum est animi, quod cum ui praepositum etiamnunc legentis animo inhaeret, praesertim cum participio corrupti notio eius quodammodo sit renouata. Genera uerbi non ita raro a librariis confusa sunt. Cf. I. §. 24. Reliqui editores minus probabiliter correxerunt cernimus.

XVIII. §. 48. Sequitur] Non nouam demonstrationem institui, quemadmodum Bakio uisum est, sequitur indicat, sed omne ius et omne honestum sua sponte expetendum esse cogitur ex superioribus. Male a Goerenzio id pro subiecto habitum et ad sequitur relatum est, ut uerba et ius — expetendum epexegesin pronominis continerent; pertinent uero pronomina id quod coniuncta ad notionem uniuersam, quae uerbis continetur et ius — expetendum. Cf. Cic. pro Rosc. 9, 26. postremo, id quod facile intellectum est, insidias uitae huiusce Sex. Roscii parare. ib. 9, 25. Verr. I, 14. 36. Beier. ad Off. II, 23. 83. Denique orationem (quod nomen generalius h. l. ut I, 20. 52. de Rep. I, 24. de Fin. IV, 28. 78. alibi ponitur pro disputatione) orationem igitur concludere non est simpliciter orationem finire, sed quod nos dicimus die Erörterung zum Abschluss bringen; similiterque orationem concludere dici uidetur de Fin. IV, 28. 78. Ratio i. e. singularis argumenti conclusio, quod ex deterioribus codd. Ern. Wagn. Goer. Schuetz. receperunt, prorsus ab hoc loco

aliena est. Uerborum cum Rathio sic transponendorum: id quo ante oculos est, ex iis quae causa nulla est.

Etenim] Licet concluserit disputationem, nouo tamen argumento idem confirmare aggreditur. Quo in genere admodum frequens est part. etenim. Cf. quae dixi I, 1. 1. Madu. de Fin. I, 1. 3. Nititur autem hoc nouum argumentum eo, quod et iustitiam et uirtutes reliquas omnes boni uiri suapte ui, non aliena colant.

sit in ea] Ad hanc mendi, quod in cod. arch. fuit, formam parum accurate accommodata est deteriorum quorundam codicum et ea correctio, quam Uict. recepit. (sic et reliquae) et ea, quam Car. Steph. Lamb. Goer. Sch. Or. expresserunt (sic reliquae). Dauisii uero coniecturam, quae Ernestio probata est et Wagnero sin ea, reliquae oratio respuit. Wyttenbachii coniecturam si haec, reliquae per se illam quidem optimam probare difficile est, quia non facile dixeris, quomodo mendum inde ortum sit. Probarunt tamen Moserus et Zumptius. Probabiliorem corrigendi uiam Bakius iniit coniiciens ita reliquae quoque. Notum est enim ita in concludendo usurpari saepissime. Tusc. I, 6. 12. Off. III, 8. 35. Nat. Deor. I, 40. 110. Sed cum eodem modo sic usurpetur (de Fin. IV, 14. 37.) cumque propius ad codicis arch. uestigia accedat, quod ego abhinc decem annos conieci sic iam reliquae quoque, etiamnunc hoc magis probo. Jam id, quod conficitur, continuo sequi indicat. Cf. quae dixi §. 23.

benigna est] Sic recte superiores secundum deteriores codices. Male Bakius probauit mendum meliorum, quod haud scio, an ita natum sit, ut mendo benignus ex uetere scriptura benignast nato adderetur est. Cf. §. 23. Inepte enim cum et ante et post de liberalitate dicatur, hominis liberalis mentio interiicitur. Liberalitas autem, id quod Bakius negat, tam benigna quam gratuita et mercenaria recte appellatur. Omitti hoc adiectiuum, id quod Dauisio auctore commendauit Wagnerus, nec per codices licet nec per sententiam. Potest enim qui sine praemio est, expetere praemium nec tamen adipisci. Nec tamen euentus, sed animus dantis significari debebat. Nec denique recte dicitur aliquis eum mercede esse.

benignusue] Jure non obtemperauit Bakius Gzio, Mosero, Orellio, qui ex deterioribus quibusdam codd. et ex Lact. VII, 11., cuius memoriter uerba laudantis hac in re parua est auctoritas, benignusque restituerunt. Particula ue pro liberali benignum substitui posse significat, ita ut ad rem ipsam id nihil plane intersit. Uide Off. I, 7. 20.

ergo item] Sic recte superiores. Bakius, qui ex mendo codicum meliorum eadem haec effecit: ergo ea demum iustitia, quae, non animaduertit recta uia orationem eo tendere, ut iustitiam nihil praemii expetere, ergo per se expetendam esse intelligatur.

eademque sententia est] Praetermisit haec uerba in interpretatione uernacula Zumptius; casu an consulto nescio. Alii parum recte interpretantur, ut Gzius, qui Turnebo et Wagnero auctoribus uerba causa et sententia h. l. ex re forensi repetita esse dixit. Sententia haec est: Gleiche Bewandtniss hat es mit allen Tugenden, und alle haben denselben Sinn. Causa est igitur fere idem, quod conditio, quocum de leg. agr. III, 2. 9. permutatur in re eadem, contemplatione diuersa, sententia eadem. Cf. Halm pro Sest. 16, 57., qui laudat Madu. de Fin. I, 15. 49. Sententia antem est id, quod in re nominanda sentitur, ut Off. III, 3. 13. de Leg. II, 5. 11.

§. 49. suapte ui] Ex cod. arch. mendo suapte uirtus Steph. Dau. Ern. Wagn. Bakius effecerunt sua sponte uirtus, reliqui deteriorum quorundam codicum correctionem suapte natura uirtus expresserunt. Quorum utrumqne per se recte se habet. Nam quod Bakius negat suapte natura recte dici, quia nulla h. l. conspicua esset oppositio, non animaduertit ille, uerba suapte natura coniuncta opponi posse emolumentis, quemadmodum de Or. II, 23. 98. suapte natura opponitur imitationi aliorum. Sed probabilius tamen Ciceroni restituisse mihi uideor ui, cuius propter litteras easdem, quae sequuntur, facillima omissio fuit. Cic. de Fin. III, 6. 21. II, 26. 82. II, 14. 44. quod sit ipsum ui sua propter seque ipsum expetendum.

una erit uirtus, quae — dicetur] Dicitur, quod est in deterioribus quibusdam codd. propter praecedens fut. tempus (erit) ab hoc loco alienum est. Requiritur aut dicetur, quod codd. meliores tenent cum plerisque deteriorum, aut dicatur, quod aduersis codicibus parum probabiliter Ern. coniecit. Non enim uirtutis quasi qualitatem quandam definiri necesse est; et externo potius uinculo sententia relatiua cum praecedente coniuncta est, ut Lael. 23, 86. una est enim amicitia in rebus humanis, de cuius utilitate omnes consentiunt. Bakius, qui haec coniecit: nulla erit uirtus atque malitia rectissime dicetur, non animaduertit, primum uirtutis, quam modo nominauerat, nomen a Cicerone retineri, deinde nomen, quo uerius appelletur, substitui.

nullam uirtutem i. e. nihil uirtutem putant, genere attractionis perquam noto. Cic. Lael. 5, 18. eam sapientiam interpretantur. Uide quae dixi III. §. 5.

eum ipsi] Restitui quod est in codd. melioribus eum ipsi cern. gr. Reliqui ex deterioribus codd. aut eum ipsum, ut plerique, aut ut Uict. et Man. eum, cui referunt gratiam, ipsi cern. gr. (Lamb. eum ipsum, cui referunt gratiam, cernunt grati). Sed nec transponendi pronominis causa ulla est nec recte h. l. ipse ad pron. demonstr. eum sequente relatiuo applicatur. Ita quemuis alium excludi significaretur, ut oppositum hoc esset: non alium hominem cernunt grati. (Alia est ratio loci a Bakio laudati ad Fam. III, 13. 1., ubi illa res notas indicat). Quod incommodum parum probabiliter tollere conatus est Bakius uerbis sic transponendis ipsum eum cernunt grati. Ipsi h. l. est ultro, sua sponte i. e. non impulsi ui aliena, quae h. l. intelligenda est utilitas. Cf. de Leg. II, 20. 50. Off. I, 22. 76. de Or. I, 24. 111. Matth. ad Cic. Cat. II, 1. Seyff. ad Lael. p. 113. Stuerenb. pro Arch. p. 157.

qui etiam] Dau. coniecit quin etiam. At recte pronomine relat. initium fit prauae sententiae refutandae. Cf. quae dixi I, 3. 8.

XIX. §. 50. Quid uero] Vero in hoc transitu ad nouam eamque grauiorem partem generis recte ponitur. Quare merito nemo obtemperauit Goerenzio, qui quod a tribus codd. (Gd. 2. Br. Vd.) abesset (et de Gd. 2. quidem errauit) et a Ciceronis consuetudine abhorreret, illud expulit. Recteque idem Goer. uituperatus a Maduigio est, quod de Fin. I, 19. 63. eandem particulam deleri iussisset. Cf. Seyff. ad Lael. 20, 69.

an legum et iudiciorum, quibus poena constituitur. Idem igitur h. l. uerbis his infamiae metu an legum et iudiciorum declarat, quod de Fin. II, 22. 73. declarat illis poenae aut infamiae metu. Ceterum petulantia ut modestiae, temperantiae continentiae (Tac. H. III, 11.), ita pudori etiam, uerecundiae pudicitiaeque contrarium est (Cic. Cat. II, 11. 25.).

Innocentes ergo cet.] Non infamiae metu homines non petulantes esse arguit eo, quod cum admiratione quadam quaerendo absurditatem declarat eorum, quae inde sequantur, quod infamiae metu non petulantes esse existimemus. Quorum primum hoc est, innocentiam et uerecundiam i. e. constantem animi habitum suscipi infamiae metu; alterum hoc, erubescere homines, ut rumorem bonum colli-

gant; tertium denique illud, eandem ob causam homines de pudicitia loqui pudere. Quem pudorem, cum omnino ab ingenio humano non abhorreat, ne a romano quidem ingenio abhorrere recte Bakius contra Maduigium disputauit. Uide de simili Romanorum uerecundia in uerborum obscoenitate Cic. de Off. I, 35. Isto igitur pudore, qui homines de pudicitia loqui prohibeat, una cum rubore, qui ori offundatur, cum sermo de rebus impudicis inciderit, hoc dicit luculenter comprobari, uerecundiam et pudorem uniuersum naturalem esse. Quemadmodum igitur Maduigius in progr. p. 13. et Zumptius uerbum erubescunt recte ad praecedentia uerba pertinere dixerunt *): ita reliqua (pudet etiam loqui de pudicitia) male ab illis disiunxerunt. Uterque enim his ipsius Ciceronis pudorem dixit declarari. Quod si ita esset, uerius profecto ex paucis quibusdam codd. deterioribus Maduigius iam scripsisset in hanc sententiam: „si uera ista sunt i. e. si erubescunt, ut rumorem bonum colligant, pudet iam loqui de pudicitia, quae reuera non est pudicitia, sed impudicitiae dissimulatio", quam Zumptius ex melioribus et plerisque deteriorum etiam; quae particula ita uera est, si haec (pudet etiam loqui de pudicitia) tamquam grauiora adduntur superioribus Bakius, qui recte haec omnia erubescunt — pudicitia eo ualere intellexit, ut non infamiae metu homines non petulantes esse pateret, male tamen haec ex interrogationis perpetuitate uindicauit (colligant? Erubescunt, pudet etiam loqui de pudicitia) nec perspexit ita confirmandi certe uoculam uero (Erubescunt uero) fuisse addendam. Sic recte, ut opinor, codicum scriptura defensa nihil attinet refutari nec uulgatam scripturam a plerisque probatam erubescunt pudici etiam loqui de pudicitia nec Dauisii coniecturam erubescunt pudici etiam loqui de impudicitia nec Goerenzii erubescunt pudici etiam impudica loqui nec Lambini erubescunt et pudet impudica loqui, quae omnia a Ciceronis consuetudine abhorrere patet.

ac me istorum] Omissa interrogatione affirmatione iam utens transit ab hominibus, quos loqui de pudicitia pudeat, ad semet ipsum, quem pudeat istorum philosophorum, qui cet. i. e. Epicureorum. Hinc prauam esse patet et

---

*) idem ego in progr. p. 13. eo comprobaui, quod particulam non iteratam fuisse dixi, nisi uerba ut rumorem bonum colligant ad erubescunt potius, quam ad uerba innocentes ergo sunt et uerecundi essent referenda.

deteriorum codicum correctionem ac nimis istorum Gzio, Mosero, Orellio probatam (unde nescio quomodo Zumptius effecit at nimis) et Ernestii, Wagneri, Schuetzii conglutinatam scripturam ac me nimis et coniecturam a Manutio ac Lambino expressam ac me nimirum. Nec uero minus hoc apparet iam in cod. arch. male tentatam esse correctionem hanc qui nullum iudicium uitare nisi uitio ipso multatum putant. Nam nihil Epicurei de iudicio non uitando dicebant. Dicebant uero suapte ui nec appeti uirtutes nec uitia uitari, sed propter damna aut detrimenta. Uide §. 51. de Fin. I, c. 13. Tusc. II, 12. 28. Diog. L. X, 151. Tentata est ista correctio ab eo, cui propter uerba ante posita infamiaene metu — iudiciorum, cum de infamiae metu dictum esset, de metu iudiciorum dicendum esse uideretur. Sed pro hac, quae ad sola iudicia pertineret, sententia substituit Epicureorum sententiam de uitio propterea fugiendo, quia malum inde emanet; eamque, ut de Fin. II, 19. 60. ibid. 22, 73. ad impudicitiam transtulit, id quod luculenter perspicitur ex iis, quae deinde ad hunc Epicureorum errorem redarguendum disseruntur: quae quidem eo tendunt, ut etiamsi quis ex impudicitia nihil mali capiat, tamen eum non pudicum esse demonstretur. Itaque ne nunc quidem me poenitet coniecturae in eodem progr. p. 13. propositae: qui nullum impudicum nisi uitio ipso multatum putant, i. e. qui eum tantum, qui ex ipsa impudicitia damni quid ceperit, non eum, qui impudici sit animi, damni autem inde ceperit nihil, impudicum putant. Multari uel mulctari non raro ita usurpatur, ut non addatur poena, qua quis afficiatur, sed res, ex qua quis damnum capiat. Cic. Rab. Post. 1, 2. ad Fam. VI, 7. 1. Certe non reperi coniecturam probabiliorem. Commemorare tamen praeter uulgatam (qui nullum uitium uitare nisi iudicio ipso notatum putant) iuuat coniecturas Goerenzii: qui nullum uitium nisi iudicio ipso notatum putant; Bakii: qui nullum flagitium in uerbis, nisi uitium ipsum uitandum putant; Maduigii: qui ullum iudicium pertinacius uitio ipso uitandum putant; Halmii in Schneid. Phil. I. p. 175.: qui ullum uitium uitari nisi uitio ipso mutato putant; Krausii in progr. p. 5: qui nullum uitium uitiare nisi iudicio ipso notatum putant.

§. 51. a stupro] Post Lambinum praepositionem deteriorum correctorumque codicum auctoritate parum recte Bakius sustulit.

si — recesseris] Recedere a natura rei, quod

recte Gzius sic explicauit naturam rei non respicere (vom Wesen der Sache absehen), peruerse Bakius nihil esse dixit, quam nisi, excepto.

perspici] Meliorum codd. mendum percipi a Uict. Steph. Dau. expressum merito repudiatum est a reliquis. Nam percipere est mente rem comprehendere, quo hoc efficitur, ut notitiam eius mente quasi inclusam teneamus; quod ab hoc loco alienum esse uerba declarant ex ipsis uitiis. Cic. de Or. I, 28. 127. de Fin. I, 19. 64.

immanius] Dauisius ex uno cod. El. recepit infamius, quod mirum est placuisse Ernestio et Wyttenbachio. Recte immanes uocantur libidines, quippe quibus omnis exuatur humanitas induaturque feritas, et immanes libidines uocari ab ipso Cicerone pro Scauro §. 14. fin. indicauit Bakius.

quod item] Temere Bakius uel contra codices scribendum esse dixit idem. Quod de uitio et ad contrariam laudem in uirtute dicitur, non idem est; sed quod de uitio dicitur, item in uirtute, sed ad contrariam laudem dicitur, i. e. ad laudem uitiorum reprehensioni contrariam. In uirtute (in uirtutem nulla codicum auctoritate Dau. Ern. Wagn. Goer. Sch. idemque placuit Beiero de Off. I, 9. 28. et Heusingero patruo) recte Bakius ita defendit, ut esse diceret cum agitur de uirtute. Exemplis ab ipso laudatis de Or. II, 55. 222. ibid. 61, 248. pro Mil. 12, 32. ad Fam. VI, 6. 10. adde haec de Off. I, 18. 61. (contraque in laudibus quae magno animo fortiter excellenterque gesta sunt ea nescio quomodo quasi pleniore ore laudamus) et de Fin. V, 11. 30. (hoc — cum in uirtutibus dicitur). Praeter Beierum de Off. I, 39. 139. a Bakio laudatum uide Oud. ad Caes. I, 6. 3. Kritz ad Sall. Cat. p. 47. Madu. de Fin. II, 4. 14. Seyff. ad Lael. p. 44.

§. 52. nam si] Mendum puto quod secundum meliores codd. uulgatum est postremo si; pro quo recte post Uict. et Lamb. Bakius nam si restituit ex codd. deterioribus, idemque Zumptio placuit. Non enim plura h. l. enumerantur argumenta, quibus ius et omne honestum per se expeti demonstretur, sed una eademque illud absoluitur argumentatione, in qua ex alio nectuntur alia. Cum igitur suapte ui et turpitudinem uituperari et uirtutem laudari dixisset, iam eius rei rationem addidit.

pecuniamne] Plenam si reddere uellet orationem, sic erat conformanda: pecuniane igitur melior est, an honores cet. Sed uerbo omisso substantiui formam

per attractionem quandam ad superiorem accusatiuum accommodari notissimum est. Cf. Madu. de Fin. II, 27. 88., qui laudat de Nat. Deor. I, 29. 82. Liu. V, 35. Ter. Hec. II, 3. 5. Quod attractionis genus in primis frequens est praecedente acc. c. inf. post pron. relatiuum et post comparandi particulam quam. Cic. Verr. III, 93. 216. Tusc. I, 17. 39. IV, 20. 46. de Fin. IV, 20. 56. Cat. Mai. I, 1. Errant, qui, ut Kuehner ad Tusc. I, 17. 39. ab hoc genere eos locos seiungunt, quibus casu fit, ut idem uerbum, ex quo acc. c. inf. pendet, audiri possit in re comparata, uelut de Fin. III, 19. 64. quod deceat cariorem nobis esse patriam quam nosmet ipsos.

perparua sunt] Peruertit Bakius coniectura perparui fiunt sententiam, quae haec est: „ista et parua per se sunt et minuitur exiguum eorum pretium eo, quod nescitur, quam diu sint adfutura.“ Igitur qualia essent, erat dicendum, non qualia haberentur.

ut ex alio alia] Ex duplici Dauisii coniectura ex aliis alia uel ex alia alia alterum Goer. et Mos. ita probarunt, ut ordinem uerborum sic immutarent alia ex alia, quia in hac uerborum coniunctione et subiectum praemitti dicerent et numerum eundem esse. Atque hoc ita fere esse merito agnouit Beier. de Off. I, 7. 22., eademque paene uerba isto ordine exstant apud Cic. de Fin. III, 22. 74. (quid non sic aliud ex alio nectitur cet.). At h. l. pluralis numerus post singularem eo firmatur, quod ex re una aliqua plures simul res nectuntur. Quapropter et Cic. Verr. I, 22. 59. alia, inquit, (sc. signa) alio in loco lacrimantes intuebantur, quia uno in loco plura signa cognoscebantur, et Liu. XL, 39. omnes illas uictimas — alias alio caedente mactate, quia singuli plures, non singulas mactare dicuntur. Ordo autem uerborum non ita legitimus est, ut nunquam ab eo certa de causa discedatur. Cf. praeter Liuii locum, quem Bakius laudauit Cic. de Off. I, 32. 115. ipsarumque uirtutum in alia alius mauult excellere. Nostro loco alia postpositum est, ut ex una aliqua re plures necti magis appareret; id quod minus eluceret, si pluralem numerum posuisset re una, ex qua illa necterentur, nondum indicata.

XX. cum ista] Hanc scripturam a Uictorio expressam, relictam a posterioribus, merito Bakius reuocauit, quod idem ego ante feceram in progr. p. 14. Eandem nunc uideo probatam esse Zumptio, qui parum recte tamen eam repetitam esse dicit ex codd. melioribus. In his quidem

mendum est quod orationem *). Sed saepius in eis pro cum scriptum est quod. (I. §. 57. quod praesertim pro cum praesertim. III. §. 11. item quod pro item cum). Atque hinc nata est correctio ad orationem male a plerisque suscepta. Nam cum Quintus nesciret, quo frater, nisi se retinuisset, fuisset lapsurus, non potuit dicere, lubenter se cum fratre ad istam orationem esse prolapsurum. Cum ista oratione (i. e. ea, quam de iustitia omnique uirtute per se expetenda habuisti) una cum Marco lubenter se esse prolapsurum recte dicit.

prolaberer] Ueteris mendi prolaber praua correctio est in codd. deterioribus (prolabor); quo Quintus etiamtunc se sperare significaret, Marcum longius esse prolapsurum, cum eum se retinuisse cognouisset. Atque uel sic melius futuro uteretur. Ueram eamque facillimam istius mendi correctionem (prolaberer) unus Bakius improbauit, quem quod ipse coniecit (prolabebar), non addita conditione nonnisi ad praeteritum tempus pertinere fugit. Cf. I. §. 57. at ego huc declinabam nec inuitus.

et cuius apiscendi causa] Mendi ueteris in codd. melioribus seruati (ascindi) omissionem propter exiguam deteriorum correctorumque (A 11.65.) codicum auctoritatem parum recte probarunt Uict. Mos. Or. Bakius. Nec enim correctionem in melioribus tentatam esse ueri simile est, quae denuo deinde sit deprauata, nec recte dicitur finis causa facere omnia pro finis adipiscendi causa. Hoc autem ipsum nihil erat, cur Bakio displiceret; est enim adipisci uirium quadam contentione aut eo peruenire, quo tendas (Plaut. Epid. I, 1. 13.), aut id assequi, quod appetas (cf. Doederl. Syn. III. p. 145.). An summam bonorum (de Fin. IV, 17. 46.) aut principia naturae (de Fin. III, 6. 22.) adipisci, aut summi boni adeptio (de Fin. IV, 17. 47.) recte dicitur, finem bonorum adipisci non item? Itaque hoc unum quaeritur, utrum uerbum simplex apiscendi cum plerisque (Man. et Lamb. asciscendi), an compositum magis probari oporteat. Hoc etsi ipse in uerborum contextu probaui, magis tamen nunc simplex probo, quia et propius ad codicum uestigia accedit et loci h. l. quodammodo elucet notio, quo in genere idem usurpauit ad Att. VIII, 14. 3. occultandi sui causa, an maris apiscendi?

aliquando tamen] Male Bakium ex correctis suis codd. A 11. 65. (correctio etiamnunc in cod. B conspicua

---

*) ex deterioribus correcti h. l. sunt A B 11. 65.

est) pro tamen restituisse iam, ipsa uocula aliquando ostendit.

§. 53. L. Gellius Ciceronis familiaris Catonisque in consulatu contubernalis, cuius mentio fit in Brut. 27, 105. et is, qui in eodem libro 47, 147. Crassi, Antonii, Philippi aetati coniunctus dicitur, merito ab Orellio idem habetur. Nec ueri est dissimile, quod Bakius dicit, hunc esse L. Gellium Poplicolam, qui anno 682. consul cum Lentulo ac biennio post censor fuit. Qui quo anno ex praetura in Graeciam uenerit, i. e. prouinciam obtinuerit, nescitur.

quid tandem] Facilis ante t fuit ortus mendi qui in codd. melioribus, quod Dauisio et Gzio probatum merito repudiarunt reliqui. Nusquam enim nullo modo id ad rem dicitur; igitur ne quî quidem uel quomodo id ad rem? ut simpliciter aliquid ad rem non pertinere dicatur. Recte hoc ita tantum diceretur, ut ex homine aliquid ad rem pertinere affirmante, quomodo id fieri posset, quaereretur. Nec tamen isto modo uerbo carere possemus. Dicendum esset: quî uel quomodo id ad rem potest pertinere?

quoniam] In cod. arch. nec quoniam, quod ex deterioribus quibusdam Bakius excerpsit, nec quia me, quod in plerisque est deteriorum, uidetur fuisse, sed quam, quod cum aliis nonnullis tenent ABEGd.2. Ex quo ut cum Steph. et Bakio quoniam, non cum reliquis quia me putem efficiendum esse cum ipsa harum particularum uis facit (Reis. Schol. gr. p. 463.), tum illud, quod pronomen me, cuius nulla h. l. intendendi causa est, alieno loco positum est. Nec uero rara est omissio pronominis in sententiis iis, in quibus nec ambiguitatis quicquam habeat omissio nec uis quaedam in pronomine posita sit. Cf. III, 10. 23. III, 19. 43. Or. 7, 23. recordor longe unum omnibus anteferre Demosthenem. Madu. Emendatt. p. 111. Exempla suppeditant Ellendt de Or. III, 5. 18. Wopk. Lectt. p. 13. ann. 12. Benecke pro Deiot. 15, 41. Zumpt. Diu. in Caec. 12, 38. Verr. I, 23. 60. II, 33. 81. Quodsi pronomina pers. propter similium litterarum, quae plerumque deprehenditur, uiciniam facile praetermitti potuisse uidebuntur, tamen non ita raro eorundem pronominum pluralis numerus (de Fin. V, 11. 31.) aut pronomen demonstratiuum omittitur (I, 8. 25. III, 8. 19. de Fin. I, 8. 26. pro Sest. 41. 89.). Si tamen aegre careas pronomine, rectius id ante memini restitueris, quam initio sententiae posteris.

Phaedrus nobilis illius aetatis Epicureus fuit, quem unice se diligere Atticus dicit apud Cic. de Fin. V, 1. 3.

Eundem Cicero iam puer Romae audiuerat et postea audiuit Athenis, cum eum familiariter cum Attico uiuentem ut uirum bonum et suauem probaret. ad Fam. XIII, 1. 2.

rem conuenire] Absurda est correctio, quae est in codd. deterioribus cum eo conuenire, cui parum scite coniecturam superstruxerunt Grut. (posse rem tum conu.) et Dau. (posse rem inter eos conu.). Primum scilicet uniuerse rem componi posse dicit ac deinde, ut id inter ipsos fieri possit, operam suam pollicetur. Quod autem aliquid conuenire dicit, id pertinet ad exiguam spem consensionis plane per se conficiendae (dass einiger Maassen eine Einigung zu Stande komme); in quo modestia quaedam elucet. Quare mendum codicis arch. aliquod rectius reliqui in aliquid mutarunt, quam Bakius in aliquando, quo in tempus incertum reiicitur conuentio. Cf. de utraque pronominis forma (aliquod — aliquid) inter se permutata Madu. de Fin. p. 643. Particula si Romani post appetendi et quaerendi uerba ad euentum incertum indicandum haud ita raro utuntur, ubi nos dicimus dass möglicher Weise, ob etwa. Cuius locutionis ratio in eo cernitur, quod duae notiones et conditionis, sub qua aliquid fieri dicitur, et rei appetitae uel quaesitae, quae coniunctiuo indicatur, in unam quandam notionem coaluerunt. Cf. Cic. de Fin. V, 17. 46. (uidesne) ut contendant et elaborent, si efficere possint, ut — non appareat corporis uitium. Brut. 72, 253. Phil. IX, 1. 2. ad Fam. III, 9. 2. ib. XVI, 2. 4. de Inu. II, 45. 131. Caes. B. G. VI, 37. Uide Madu. Emendatt. p. 54. Itaque et futilis est Dauisii coniectura uti posset, nec recte Manut. haec omnia si posset inter eos aliquid conuenire deleri iussit.

antiquam Academiam] Praeter Academicos etiam Peripateticos dici uel ex §. 55. uel ex Fin. V, 3. 7. V, 8. 21. perspicitur. Uide quae dixi §. 36.

§. 54. Ain tandem?] Nititur, ut par est, haec coniectura ab omnibus fere expressa mendo codicum meliorum (an) cum ipsa correctione (tandemne) seruato. Utebantur autem hac uoce Romani, si quando sententia aut consilium, quod non exspectares, expositum esset, quaesituri, num reuera quis istud sentiret. Cic. Tusc. I, 17. 39. V, 12. 35. Ac. II, 19. 62. Imprudenter Dau. coniecit: an inter eos de una re est sol. diss.

unane est solum] Sic recte secundum meliores codices post Stephanum Bakius. Temere et Goer. interro-

gandi particulam ne (una est sol diss.?) omiserat et reliqui deteriorum codicum correctionem secuti erant (una de re — Manut. de una re — est solum dissensio?) Quid enim? si una de re scripseris, una quod altero loco sequitur, ad rem pertinere necesse est efficiturque sententia talis quaedam: una de re, quae quidem ad rem pertineat. At pertinet una ad dissensionem. Quod si ita est, una quoque quod priore loco positum est, ad dissensionem necesse est pertinere; uereque Bakius dixit dissensionem unam (eine einzige Meinungsverschiedenheit) rectissime dici pro dissensione de re una.

antiqui omnes] Bakius uel ut emineret oppositio (nisi quod honestum esset) uel quod nusquam in tali disputatione omnes antiquos diceret, sed simpliciter Zenoni opponeret antiquos, ut §. 55. de Fin. IV, 4. 8., sine codicum auctoritate commendauit omne quod. At nec causa ulla perspicitur, cur omnes antiquos dicere non potuerit et dixit sane Acad. I, 6. 22. omnis illa antiqua philosophia (i. e. Academici ueteres et Peripatetici omnes), itemque de Diu. I, 2. 5. omnesque Socratici (i. e. Academici et Peripatetici). Quod aliis locis, ut de Fin. III, 11. 36. Tusc. V, 41. 119., dicit omne quod honestum est, hinc hoc sequitur, Ciceronem uel nostro loco sic scribere potuisse, non oportuisse.

nihil etiamsi uere tradiderit Gzius esse in Br. et ψ, a cod. arch. abfuisse reliquorum codicum insignis consensus arguit. Sed nec unquam in tali oratione negatio praetermissa est (Tusc. V, 7. 18. V, 9. 27.) nec potest omitti (Kritz ad Sall. Jug. 54, 5.), ut immerito id Turnebus affirmauerit dubiusque Bakius haeserit. Sed quia et facilius nihil ante nisi omitti potuit, nec in uoce nihil maior quaedam uis dicendi uidetur posita esse, nihil uoculae nisi praemisi. Cicero ipse Tusc. V, 7. 18. in eodem sententiarum complexu pro uaria uerborum acuendorum ratione exceptioni et praeposuit nihil et postposuit (nihil bonum esse, nisi quod honestum esset — nisi honestum quod sit, nihil aliud esse bonum).

paruam uero] Sic recte secundum meliores codices cum Steph. Man. Dauisio Bakius; reliqui perparuam. Recte iam Wagnerus laudato Cic. Ac. II, 43. 132. (omnis ratio uitae definitione summi boni continetur, de qua qui dissident, de omni uitae ratione dissident) attendi iubet ironiam; nam quam paruam Atticus dixit controuersiam, eam ei magnam esse uideri atque eam, qua prorsus inter se dissideant, et ipsius uerba declarant

(ac non eam, quae dirimat omnia) et Marci responsum. Male Goer. sic interpretatur: „perparua sane controuersia est, quam dicis, neque eius generis, ut in ea diiudicanda diiudicentur, quae controuersa sunt omnia"; nec melius Zumptius sic uertendo: „das ist in der That ein unbedeutender Streitpunct und nicht von der Art, dass eine Trennung auch im Uebrigen nöthig wäre".

sentires] In cod. arch. fuit sentis; nam sentirent, quod ex AB11.65. est excerptum, coniecturam esse ex ipso cod. B elucet. Uide annot. crit. Illud cum merito Ernestio displiceret, uarie et ridicule defensum a multis est, ut a Mosero, qui probe quidem sentis idem esse dicit atque hoc: „probe ego te sentire dicerem" et a Goerenzio, qui dicendi uerba saepe sic poni existimans tempore praesenti, ut imperfectum subiunctiui sequatur, sic interpretatur: „bene sane pro tua sententia dixisti". At quae ad prauum modorum et temporum usum confirmandum aut afferuntur exempla aut afferri possunt, aut rectius interpretando ex isto genere eximenda sunt, aut coniectura sananda. Recte Maduigius de Fin. IV, 19. 55. (quae cum magnifice primo dici uiderentur, considerata minus probabantur) sustulit mendum probantur, et ante a Dauisio, aliis ibid. I, 8. 26. (alia dixit in physicis nec ea ipsa, quae tibi probarentur) sublatum est dicit. In Cic. autem ad Att. libri VIII. ep. 6, 3. (moriar, si gauderem, si id mihi accidisset) gauderem ad uerba si accidisset refertur, non ad moriar; itemque Tusc. I, 26. 63. (quod si in hoc mundo fieri sine deo non potest, ne in sphaera quidem eosdem motus Archimedes sine diuino ingenio potuisset imitari) coniunctiuus potuisset refertur ad conditionem in uerbis sine diuino ingenio latentem, quae hanc uim habent: „nisi diuino ingenio praeditus fuisset". Nec uero de Leg. III, 17. 39. tolleret, si uerum esset, ex uerbo praecedente continet penderet, sed referretur ad audiendam illam conditionem: „si ualeret". Sed uerius ibi tollat restituisse mihi uideor. Bakius uero, qui indicatiuum saepe sic poni dicit subiectum conditioni incertae *), recte hoc quidem praecipit de modo dicendi (I, 19. 52. Cic. pro Flacc. 5, 12. potest esse infinita sc. oratio mea, si mihi libeat totius gentis explicare uanitatem.

*) nimirum indicatiuus hanc uim habet, ut id, quod consequi uelimus, uerum et naturae consentaneum esse declaremus (auf der Wirklichkeit beruhend).

Verr. II, 1. 60. de quo iudicio si uelim dicere omnia, multi appellandi laedendique sunt. Verr. V, 49. 129. si per Metellum licitum esset, matres illorum miserorum sororesque ueniebant); sed nec temporum rationem perspexit non constare (esse debebat sentiebas), nec uero sentiebas — si dissiderent apta essent ad sententiam eam, quae et sola cogitatione recte comprehendatur et magis ad praesentem rem, quam ad praeteritam spectet. Legitimae uerborum structurae hae sunt: probe sentis, si dissident; probe sentis, si dissideant; probe sentires, si dissiderent; probe sentiebas, si dissiderent. Quarum tamen postremam quoniam ab hoc loco alienam esse uidimus nec dissident, quod Ern. commendauit, probari potest (Antiocho enim, cuius sententiam Cicero sequitur, non placebat ueteres Academicos et Peripateticos cum Stoicis re, non uerbis dissidere): hoc unum reliquum est, ut restituatur sentires, cuius in cod. arch. facillima erat depranatio propter litteras, quae sequuntur, simillimas.

XXI. Antiocho Ascalonitae, quem Cic. Ac. I, 4. 13. scribit e domo noua i. e. ex Academia noua in ueterem rediise et in plerisque Stoicum fuisse (Ac. II, 43. 132.), Stoici cum Academicis et Peripateticis re conciaere uidebantur, uerbis discrepare. Ac. I, 12. 43. Nat. Deor. I, 7. 16. Madn. de Fin. III, 2. 5. IV, 2. fin. Cum Antiocho Cicero sex menses fuit Athenis (Brut. 91, 305.), cum a 675. eo uenisset, eoque familiariter se usum esse scribit etiam Ac. I, 4. 13. Magistrum Atticus, etsi ipse eum audiuerat, non audebat dicere, quia nec ipse ut Epicureus eius praecepta admodum probabat et grauius id ferre poterant Epicurei.

ex nostris hortulis] Epicureos constat conuentus habuisse in horto Epicuri post obitum eius uiri discipulis relicto. Eosdem Epicuri hortos commemorat de Fin. I, 1. 3. Conuellendi uerbum propter iniectam hortorum mentionem perquam commode ab arboribus translatum est ad homines.

perpauculis passibus i. e. ut perpauculis passibus ab Academia abessem. Insolentius ablatiuus interualli, frequens ille quidem in uerbis distandi (Virg. XI, 907. nec longis inter se passibus absunt. Liu. XLV, 28.), deducendi uerbo h. l. adiungitur. Male et Wytt. audiri uult deficientibus, et Bakius comparat Cic. Verr. I, 30. 75. paucis sententiis condemnatus est. Hoc est enim: „paucis sententiis supra numerum eorum, qui

absoluebant, condemnatus est". Est igitur ille ablatiuus qui uocatur instrumenti.

uir iste fuit ille quidem] Errauit in re notissima Krausius, qui in Jahnii Ann. 1848. p. 467. pro iste Dauisii coniecturam Tite commendauit, ipse non definiens, utrum cum eodem quidem omitti uelit necne. At cum ille hominem iam nominatum denuo attendi iubeat, nec quidem, ad quod ipsum sustentandum additur pronomen, deesse potest, et uagius Antiochus simplici uiri nomine apellatur; monstrari eum oportuit tamquam eum, de quo Atticus tunc ipsum dixisset. Uel pronomen hoc in genere superaddi pronomini notum est. Cf. Cic. de Fin. IV, 16. 43. hi autem ponunt illi quidem prima naturae; et quae Madu. h. l. disputauit p. 552. ac Seyff. ad Lael. p. 125. Nec fugit id quidem Krausium; sed pronomina secundae et tertiae personae iste et ille negauit recte coniungi, quasi uero pronomen esset personae secundae. Quemadmodum hic (der hier) rem loquenti propius admotam, ille (der dort) rem longius ab eo remotam indicat: sic iste (der da) sine ulla nec propius rei admotae nec longius remotae significatione alacrius id indicat, quod tamquam ex aduerso positum aut oculis aut animo intueamur. Hinc fit, ut, etsi plerumque de iis rebus usurpetur, quae secundam personam quodammodo attingant, nec tamen ipsum sit pronomen personae secundae (de Leg. I, 1. 4. nonnulli isti sc. quos dicis. Brut. 33, 125. atque istum sc. quem dicis, de superioribus. pro Sest. 45, 97. quis ergo est iste optimus quisque *), tamen ad eas etiam res transferatur, quae eum, quem alloquimur, nihil attingant et quas sine ulla spatii significatione tamquam praesentes et sub oculos positas indicare uelimus. Cic. pro Rosc. Am. 1, 2. si quis istorum dixisset, quos uidetis adesse. Cic. de Or. II, 56. 228. quod isti contigit uni sc. Crasso praesenti. Verr. II, 71. 175. istos ipsos principes equestris ordinis sc. publicanos praesentes; itemque continuo istius, qui legem promulgauit, quia et ipsum praesentem uidit. Temere pronomen quidam sollicitarunt. Atque hinc est, quod reus, etiamsi non appelletur, pronomine iste monstrari solet (Cic. Verr. I, 6. 16. II, 51. 227. et locis sexcentis). Unde profecta est contemtus significatio, quae pronominis haudquaquam ipsa ui sua propria est.

*) respexit nimirum illud, quod aduersarius, quocum ipsi certamen erat, de natione optimatium dixerat.

prudens et acutus] Eadem laus Antiocho tribuitur Cic. de Nat. Deor. I, 7. 16. Ac. II, 35. 113.

§. 55. qui istuc tandem uides?] Sententia planissima, quam omnes intelligant, haec est: „Utrum Antiocho, cui assentiri me ex eis, quae dixi, collegisti, assentiar necne, mox uidero; (nunc) hoc (tantum) dico, totam istam controuersiam posse sedari". Illud igitur in aliud tempus reiicit, hoc affirmat. Atque huius iam rei rationes Atticus quaerit. Merito igitur mendum quin istuc tandem uides? spretum a plerisque est; retinuerunt Uict. et Steph. Bakius uero — incredibile dictu! — coniecit: hoc uideo controuersiam totam istam posse sedari. Att. Qui istuc tandem? omisso uerbo, quia in tali interrogatione non expleri soleret sententia. Cf. I. §. 53. qui istuc fieri potest L. Gellio mortuo?

ut Chius Aristo dixit] Omni codicum auctoritate caret quod olim expressum est a Uict. Steph. Man. Lamb. Dau. Ern. Wagnero: si, ut Chius Aristo dixit, solum bonum esse diceret. Ad sententiam peruersa est correctio haec in deterioribus quibusdam codd. tentata: quia, si, ut Chius Aristo dixit, solum bonum esset, quod — interesset, ualde cet. Codicum scripturam uerissimam illam quidem latini sermonis rationi parum conuenienter Goer. Schuetz. Mos. sic sunt interpretati, ut dixit ad conditionalem sententiam pertinere et pro dixisset poni dicerent. Pertinet uero ad interiectam sententiam ut Chius Aristo, ex qua ipsa per attractionem quandam similem ei, per quam substantiuum ad relat. sententiam applicatur (§. 47.), iuncta sunt, quae ad conditionalem sententiam applicari oportebat. Recte sic Bakius interpretatus est et ego interpretatus eram in Jahnii Ann. 1842. p. 302. Exemplo a Bakio laudato de Off. I, 7. 22. (quoniam — ut placet Stoicis — omnia creari) adde haec: Cic. de Rep. I, 37. 58. Si, ut Graeci dicunt omnes aut Graios esse aut barbaros, uereor, ne barbarorum rex fuerit. de Or. III, 1. 3. de Rep. III, 3. 4. de Fin. III, 2. 5., ubi antiquiorum editorum scriptura haec: et si, quod saepe diximus — nos non modo non uinci a Graecis uerborum copia, sed esse in ea etiam superiores, elaborandum est cet. reuocanda est pro ea, quam plerique interpretes susceperunt etsi quod, ut etsi ad elaborandum est pertineret, et pro Maduigii coniectura et quoniam saepe diximus cet. Quocirca probabilis non est nec Dauisii coniectura: quia, si, ut Chius Aristo, diceret nec Maduigii in Emendatt.

p. 56. quia, si, ut Chius Aristo dixit, dixisset. De simili Graecorum structura uerborum dixit Heind. ad Plat. Soph. §. 105. Herm. ad Uiger. p. 745. ad Soph. Ai. 347. Bernhardyi wiss. Synt. p. 465. ann. 1.

ab illa sc. in qua Xenocrates et Aristoteles sunt. Cf. quae dixi §. 36. Wagnerus, qui illam sic dici putabat, quasi omnibus nota esset, merito uituperatus a Gzio est. Deinde et non hanc quidem uim habet, quam Gzius ei tribuit, ut sit id est; sed singulis quibusdam commemoratis genus ipsum ponit. Quod etsi alibi uocula omnis distinctius solet declarari (Tusc. III, 34. 81. de exitio, de interitu patriae, de seruitute, de debilitate, de caecitate et de omni casu. ibid. V, 4. 10.): non tamen eiusmodi uocula necessaria est, quia totam illam familiam dici per se patet. Liu. III, 25. cum Uirginius maxime et tribuni de lege agerent cet. Ac. I, 6. 23. et earum rerum, quae cet. Inutilis est igitur Dauisii coniectura: et ab omni Platonis familia.

cum decus, quod] In cod. arch. haud scio an haec fuerint: nunc uero quod decus quod antiqui summum bonum esse dixerant. Uide annot. crit. Unde natae sunt reliquae codicum discrepantiae; nam et quod superius loco uidetur depulisse posterius, et cum illud reli- quae orationi parum recte uideretur accommodatum esse, particula cum suscepta est mendo tamen seruato. Et haec quidem mendi facillima correctio est (cf. de utriusque uoculae frequenti permutatione §. 52.). Qua probata reliqui editores merito alterum quod (quod antiqui) retinuerunt; male Gzio auctore Sch. et Mos. sine iusta codicum auctoritate et praua sententia (nam quod decus ita dicitur, quasi non decus uniuersum, sed certa quaedam decoris species dicatur) scripserunt: nunc uero, cum quod decus antiqui cet. Maduigius in Emendatt. p. 57. sine causa longius a codicibus discedens coniecit: nunc uero, cum decus antiqui summum bonum esse dixerint, hic solum cet. Nimirum putabat uir doctus mox parum recte, si praecessisset cum decus quod, orationem sic uariari itemque dedecus illi s. m. h. s. *). Sed effecit et grauius huius sententiae pondus (cum decus hic solum dicat) et contrariorum acuendorum uoluntas, ut mox utramque sententiam, quam, si eo quo coepit modo loqui perrexisset, alteram alteri subiicere deberet, ex aequo poneret. In

*) in uerborum contextu sublato errore typographico scribendum est itemque dedecus illi.

hoc quidem nihil insolentiae; insolentius illud de Off. I, 3. 8. perfectum officium rectum, opinor, uocemus, quod Graeci κατόρθωμα, hoc autem commune officium καθῆκον uocant, quoniam ibi omissa latinorum uocabulorum oppositione graecorum tantum contrariam rationem indicauit. Sed eodem quo Maduigius errore decepti Lamb. Dau. Ern. Wagn. Sch. Mos., cum priore loco quod retinuissent, de coniectura scripserunt itemque dedecus, quod illi cet. Dixerant cum melioribus codd. Uict. Steph. Man. Or. Bakius; reliqui dixerunt. Praeterito tempore utitur, quia antiqui erant Zenone, qui tamen et ipse ante Ciceronem fuit, aetate superiores. Cf. Cic. Fin. IV, 6. 14. cum enim superiores — dixissent, his uerbis tria significari Stoici dicunt. Decus, ut saepe, (Tusc. V, 21. 55. Fin. II, 14. 44. II, 17. 56. Tusc. II, 5. 14.) est honestas, dedecus turpitudo. De sententia cf. Cic. Ac. I, c. 5 et 6. de Fin. IV, 20. 56. sqq. et quae dixi §. 38.

est nata] Sic ex melioribus codd. scripsi cum Uictorio. Bakium in comment. poenitere non debuit huius ordinis in uerborum seriem reuocati.

in qua quoniam] In codicis arch. scriptura hac: in qua quoniam usucapionem XII tabulae inter quinque pedes esse uol. duo sunt, quae ferri nequeant, pridem correcta a superioribus, si quidem et intra pro inter Uictorio excepto et Lbino, et noluerunt pro uoluerunt exceptis eodem Uictorio et Bakio omnes scripserunt. Utraque necessaria emendatio est. Nam lex illa XII tabularum de quinque pedum spatio inter confinium agros relinquendo, quo ire, agere aratrumque uertere uterque dominus posset, non iussit, sed uetuit interuallum illud a quoquam usucapi; quam uetandi uim ipsi praepositioni intra inesse nemo Bakio concesserit. Atque fines denotari oportuit, quibus id, quod usucapi lex uetuit, contineretur. Inepte ex cod. Cass. mendo (inter XII tabulas quinquè pedes) Gzius coniecturam hanc elicuit: usucapionem inter (per anastrophen) XII tabulae quinque pedes esse uoluerunt.

ab hoc acuto i. e. Zenone, non quem Wagnerus dicit, Antiocho. Scilicet de ueterum Academicorum Peripateticorumque et Zenonis agitur discordia. Ingenii acumen saepius Cicero in Zenone laudat (Ac. I, 9. 35. ad Fam. IX, 22. 1.); quae tamen laus h. l. immixta iniustitiae significatione ualde deminuitur.

nec Mamilia] Cum lis de isto quinque pedum interuallo orta ex XII tabulis tribus arbitris esset dirimenda, C. Mamilius, tribunus plebis, a. 589. lege de finibus agrorum regundis lata sanxit, ut lis ista singulis arbitris dirimenda traderetur, praetor autem tum adiretur, si lis ultra quinque pedes esset, quoniam lis non iam ad fines, sed ad possessionem pertineret. Sic recte Wytt., qui laudat Front. de limit. agr. p. 40. Aggenum Urbicum in comment. ad Front. p. 53. Bachium Hist. iur. rom. II. c. 2. §. 11.

sed ex his] Aperto codicis arch. mendo res sublato nihil praeterea opus est corrigere. Nam nec id incommodum est, quod propter praecedens legis uocabulum legibus, non tabulis auditur, et recte XII, cum proxime sint commemoratae, ut Ciceroni proximae monstrantur. Nec tamen abstinuerunt coniectura Steph. et Lbinus in edit. 1566. sed nos tres, Ernestius sed ex illis, Ranconnetus et Lbinus in edit. 1584. sed ex XII; atque hoc ipsum Orellio non displicuit. Male Uict. Dau. Wagn. Sch. ex iis.

§. 56. dicemus] Pro eo, quod in cod. arch. fuit dicimus, expressi cum Goer. Sch. Mos. Or. dicemus, id quod ab Ernestio iam commendatum Gzius in Br. reperisse se scripsit, non quod istius codicis auctoritati aliquid tribuam, sed quia in re, quae non iam hoc ipso tempore agatur, declaranda inepte praesens tempus usurpatur. In futurum tempus istam diiudicationem reiici cum Marci illa uerba declarant nec Mamilia lege — regemus itemque §. 52. sed aliquando tamen iudicandam, tum Quinti haec: quapropter hoc diiudicari nescio an umquam.

pepigerit] Ex codd. melioribus (A et B, ut multis locis aliis, correcti sunt ex deterioribus) cum Uict. et Steph. id, quod Mosero quoque placuit, pro pegerit reuocaui pepigerit. Nam etsi ex Prisc. X, 5. 32. priscam perfecti formam pegi antiquitus usitatam fuisse patet: tamen ex auctore ad Her. II, 13. 20. eam non ita in usum iudicialem uenisse perspicitur, ut altera in iudicio sperneretur. Huc accedit, quod, ut recte Mos. animaduertit, haec non tamquam forma iudicialis proponitur, sed uerbum iudiciale a Tullio assumtum ad ipsius sententiam declarandam adhibetur.

parere] A passiui generis forma saepius ad formam generis actiui transitur. Cf. Cic. Brut. 52, 196. de Or. II, 41. 177. de Inu. II, 40. 117. de Fin. II, 7. 21. Phil. V, 14. 39. Madu. de Fin. p. 178. Wopk. Lect. Tull. p. 307. Held ad Caes. B. G. I, 32. Quapropter probabilis non est

Dauisii coni. parere, praesertim cum in hoc uerbo magis agendi, quam patiendi notionem declarari attineat.

disputationem] Unus Gzius ex paucis codd. deterioribus (pal. 4. Br. OxU. — accedunt nunc γ et M.) temere edidit dubitationem, quae propria est deliberationis, non disputationis, quam Quintus h. l. requirit. Cf. §. 52. est huius uero disputationis proprium id, quod exspectas.

sed certe ita se res habet] Magna est uirorum doctorum in his uerbis uel interpretandis uel diiudicandis dissensio. Alii Marco tribuerunt haec omnia sed certe — perfecturi sumus, alii Quinto, alii denique haec: sed certe — tamquam lege uiuere pro interpretamento habuerunt. Qui quidem Marco ista omnia tribuerunt, ii non attenderunt, ita Marcum, qui supra sedari posse istam controuersiam dixerat, secum ipsum pugnare, nec uero apte ab eo, cum iam terminos requirendos esse dixisset a Socrate constitutos, duplicem Academicorum et Stoicorum summi boni definitionem ita proponi, ut alteram utram ueram esse declararet. Nec quicquam Rathius profecit, qui superiora illa sed certe — lege uiuere Marco, quae deinceps sequuntur: quapropter hoc — perfecturi sumus Quinto tribuit et quia haec ex illis Marci uerbis necti non posse intellexit, inter haec Marci et Quinti uerba excidisse quaedam existimauit. Itaque si ista genuina sunt, Quinto tribuantur necesse est. Ac licet eis omissis uerba sequentia quapropter hoc diiudicari nescio an umquam cet. optime congruant cum illis: nam ista quidem magna diiudicatio est; tamen ista ego non ausim expellere, quae et codicum auctoritate uel maxime sint firmata nec librarii ingenium satis mihi sapere uideantur, praesertim cum in cod. arch. breuioribus quibusdam interpretamentis inquinato amplioris interpretamenti uestigium nullum exstet. Si igitur Quinto sunt tribuenda, patet ab eo Epicureorum rationem excludi atque eas summi boni definitiones poni, quae solae in ista diiudicatione in censum uenire possint, Academicam alteram (ex natura uiuere i. e. uita *) modica et apta uirtute perfrui), alteram Stoicam (naturam sequi cet.). Nam labitur Bakius, qui utramque definitionem Stoicam esse dicit. Ipsum perfruendi uerbum illam Academicam esse definitionem luculenter declarat, cum Stoicis satis esset illa consectari; ac similem Academicorum et Peripateticorum definitionem proposuit de Fin. IV,

*) errore typographico in uerborum contextu omissum est uita.

6. 15. (omnibus aut maximis rebus iis, quae secundum naturam sint, fruentem uiuere) Tusc. V, 30. 84. (nihil bonum, nisi naturae primis bonis aut omnibus aut maximis frui). Quodsi cui id obstare uidetur, quod ipsa uirtus in his definitionibus non nominatur, continetur illa rebus iis, quae secundum naturam sunt (cf. Madu. de Fin. p. 508) et nominatim effertur de Fin. II, 11. 34. (secundum naturam uiuere i. e. uirtute adhibita frui primis a natura datis). Deinde in Stoica summi boni definitione, cuius priorem partem recte Maduigius de Fin. III, 6. 22. expressam esse dicit ex Antipatri Tarsensis uerbis ap. Stob. Eth. p. 136, uerba: quod inter haec — uiuere, quae Dau. et Bakius a Tullio abiudicarunt, addita sunt propterea, ut uirtuti de Stoicorum sententia praecipuum quendam locum dari pateret. Cf. Cic. de Off. III, 3. 13. etenim quod summum bonum a Stoicis dicitur, conuenienter naturae uiuere, id habet hanc, ut opinor, sententiam, cum uirtute congruere semper, cetera autem, quae secundum naturam essent, ita legere, si ea uirtuti non repugnarent. Denique uoculae quapropter ponendae haec ratio fuit. Cum difficilem istam summi boni diiudicationem esse dixisset, sed tamen exclusa Epicureorum sententia solam Academicorum et Stoicorum rationem in censum uenire addidisset, quia difficultatem utriusque diiudicandae non sustulerat, an umquam haec quaestio profligari posset, dubitauit. Itaque pronomen hoc ad solam academici et stoici finis diiudicationem pertinere existimo. Reliqui ad uniuersam diiudicationem retulerunt; quae res Gzium, Moserum, Orellium impulit, ut haec omnia sed certe — uiuere parenthesi circumscriberent. Male Wytt. coniecit probauitque Orellius intra pro inter. Mendum codicis arch. habent inde ab Ernestio merito uiri docti sustulerunt. Pariter Ac. II, 17. 54. Gzio auctore (de Fin. I. §. 25.) Schuetz et Or. pro habeant restituerunt habeat.

apta uirtute] Apta est mendi cod. arch. aperta necessaria correctio. Similiter dixit Cic. Ac. II, 10. 31. ex qua re una (sc. uirtute) omnis uita apta sit et omissa praepositione Tusc. V, 14. 40. rudentibus apta fortuna. Itaque nec Zumptii coniectura apta e uirtute est necessaria nec probabilis Cannegieteri apta uirtuti. Uita apta uirtute est ea, quae ex uirtute pendeat ad eamque tota dirigatur.

quantum in ipso] Quemadmodum post uniuersam

actionis declarationem in annexis sententiis sic tertia uerbi persona usurpatur, ut aliquis audiatur (Cic. de Or. I, 8. 30. neque mihi quicquam praestabilius uidetur, quam posse tenere coetus hominum, mentes allicere, uoluntates impellere, quo uelit. Cf. Wopk. Lectt. Tull. p. 2. Beier. ad Off. p. 256. p. 76. Spald. ad Quint. II, 15. 12. V, 11. 21. Ochsn. ad Cic. Ecl. p. 142): sic etiam eadem in causa pron. ipse ad tertiam aliquam personam ante non definitam refertur eamque alii siue homini siue rei opponit, ut sit einer selbst Cf. de Leg. II, 22. 55. ut neque ipsius neque publicae feriae sint. Brut. 57, 209. cum autem difficile sit in longa oratione non aliquando aliquid ita dicere, ut sibi ipse non conueniat. Tusc. IV, 8. 18. pro Balb. 1, 2. Eodem modo pronomen reflex. interdum ad latentem agentis personam referri Madu. animaduertit de Fin. I, 20. 67.

an umquam] Codicum auctoritatem secutus scripsi umquam. Lamb. in edit. 1584. Dau. Ern. Wagn. Goer. Sch. numquam, idemque Bakio placuit, qui id uel ex cod. A recipiendum fuisse dicit. At nulla istius codicis auctoritas est, si a reliquis melioribus discedit. Si quidem recipiendum est, de coniectura id fieri necesse est; quam eo minus ego h. l. improbauerim, quo magis dubitationem uerbis haud scio an expressam, non uerbi uim, sed tempus attingere patet, quo diiudicetur, ut in unam quandam notionem illa coalescere et uicem aduerbii fortasse obtinere perspicuum sit. Itaque ne possit quidem audiri necesse est. Cf. II, 22. 57. de Off. III, 29. 105. quorum quidem testem non mediocrem, sed haud scio an grauissimum, Regulum, nolite, quaeso, uituperare. Plura suppeditat Hand Turs. I. p. 321.

XXII. §. 57. haec] Dicit eam dissensionem, quae erat inter Academicos et Peripateticos atque inter Stoicos de legis ui non dissentientes. Epicureos leges ad utilitatem illos referentes, quos et Quintus §. 56. excluserat et Marcus §. 39. ab omni rei publicae societate remouerat, non iam curat.

quae a me adhuc] Alii alio modo hanc lacunam explere conati sunt. Omnia, quae a uiris doctis excogitata sunt, persequi longum est. Sed omnium minime uerum assecutus est Gzius, qui uerba Lactantii V, 8. (cf. fragm. I,) huc dixit pertinere Tulliumque rationem exposuisse putauit, cur quae adhuc disputasset rectius praemitterentur, quam si nobilissimorum legislatorum legibus inter se com-

paratis optimam inde legum stabiliendarum rationem elicuisset. Illa enim ratione intelligi, recte uiuendi studio et uirtute homines intime iunctos beatam inter se uitam degere posse. Quod si legum lator tenuerit et si in hunc finem leges suas scripserit, fieri non posse (ipse non posse non), quin optimum consilium sequatur. Quae Lbinus in cod. aliquo reperisse se dixit: e media philosophia ducta sunt. Tu autem alicuius ciuitatis leges fortasse desideras, eorum postrema ne ipse quidem probauit. Est uero foedissimum librarii interpretamentum. Probabilior est Bakii opinio, cui, cum §. 34. Tullius dixerit ad ius ciuile se esse uenturum, cum paucis ius natura esse demonstrauerit, consentaneum esse uidetur, ut iam absoluta illa generali disputatione iste ipse transitus significetur. Et quod mox Quintus Lycurgum excipiat, et reliqua, hinc Marcum uniuerse significasse coniicit, se consideraturum nunc ea, quae supra posuerit c. 5, 17. (tum haec tractanda — iura ciuilia). Mihi quidem talis fere sententia intercidisse uidetur: Quae adhuc a me dicta sunt, ea satis ius natura esse ostendunt legemque esse non eam, quam uulgus appellet, sed caelestem illam, ad quam omnes leges, quae in ciuitatibus constituantur, referendae sint *); ideoque leges a se exspectari oportere, quae ad illam legem sint accommodatae. Quo facto Quintus, ipse quid exspectet, indicat.

Charondas] De Charonda, qui Thuriis, et de Zaleuco, qui Locrensibus, Italiae ciuitatibus, leges conscripsit cf. Diod. Sic. XII, 11—19. Ual. Max. VI, 5. ext. 4. et quos Moserus laudat Bentl. diss. in Phal. p. 337—363. ed. Lips. Heynii opusc. ac. uol. II. Utrumque in legibus scribendis non delectationem, sed publicam utilitatem secutum esse scribit II, 6. 14.

leges uiuendi] Uict. Man. Lamb. sine iusta codicum auctoritate legem uiuendi; quoniamque lex uiuendi recte diceretur, non item leges uiuendi, uerba sic transponi Bakius noluit: leges et uiuendi disciplinam. At quemadmodum lex uiuendi est norma uniuersa, ad quam uita dirigatur, ita leges uiuendi sunt singula, quibus uita conformetur, praecepta. Ceterum haec, quae Quintus se exspectare dicit, cum ipsius Ciceronis consilio congruunt. Cf. I, 6. 20.

---

*) caelestis illius legis in lacuna mentionem esse iniectam inde coniicio, quod mox (§. 58.) simpliciter lex dicitur; quod nego fieri potuisse, nisi eius paullo ante memoria sit renouata.

§. 58. Est huius uero] Male ex deterioribus quibusdam codicibus Dau. scripsit: daturum esse. Huius uero disp. Q. proprium est id; nec probabiliter Manut.: daturum esse. Est huius uero. Languet esse extremae sententiae annexum; nec est in mediam orationem reiici potest, quin asseuerandi grauitas eleuetur. Recte Gzius particulam uero duobus uerbis postpositam esse dixit, quia non solum esse, sed huius esse disputationis confirmare uoluisset.

ita fit, ut] Lex, quae ante nominata est, est recta Stoicorum ratio, quam eandem §. 19. prudentiam, §. 22. sapientiam dixit. Hinc procliuis sane a lege ad philosophiae laudem transitus fuit. Mendi codicis archetypi, a quo sit iam abfuisse uidetur, uarie iam tentata est correctio in deterioribus. Restitui illud oportere perspicuum est. Utro loco restituatur, ante an post sapientia, non magnopere refert. Hoc modo Lamb. Ern. Wagn. Goer. Sch.; sit sapientia Mos. Or. Bakius. Dauisius deterioribus quibusdam codd. deceptus particula ut omissa cum Steph. et Man. scripsit: Ita fit mater omnium bonarum rerum sap. Bonarum artium, quod pro bonarum rerum scripserunt Lamb. Ern. Wagn., a solo cod. 39. i. e. nullam auctoritatem habet. Dixit sane philosophiam de Or. I, 3. 9. omnium laudatarum artium procreatricem et Tusc. I, 26. 64. matrem artium omnium; sed hoc loco, ut de Or. III, 16. 60. (omnis rerum optimarum cognitio atque in iis exercitatio philosophia) ea, quae efficiat sapientia, generalius appellat; similiterque mox dicit: cum ceteras res omnes, tum — docuit.

a cuius] Praepositionem in deteriorum plerisque exstinctam tuentur codd. meliores. Atque melius sane, unde ductum sit philosophiae nomen, declaratur, quam causa accepti nominis significatur, ut Off. III, 31. 112. (torque detracto nomen inuenit, aut assumta praepositione de Diu. II, 32. 69. (ex eo nomen inuenit). Ceterum huius nominis (philosophiae) inuentorem Cic. Tusc. V, 3. 7 Pythagoram nominat, cum antea nominata sit sapientia, itemque philosophi sapientes. Pronomen qua mirum est a Bakio referri ad sapientia, cum ad philosophiae nomen illud referendum esse luce clarius sit. Similiter Tusc. I, 26. 64. philosophia inuentum deorum uocatur.

haec enim una] Dauisius proprio quorundam codicum mendo (Par. Reg. — accedunt nunc Gd. 2. 10.) nimium tribuens una expulit. Sui ipsius cognitionem similiter tradit Tusc. V, 25. 70. nasci ex philosophia.

tanta uis et tanta sent.] Ut cum Dau. et Bakio particulam et reuocarem — reliqui tanta uis, tanta sent. — non ea me causa quae Bakium impulit, qui optimos suos codd. (AB 11. 65.) se secutum esse dicit. Nimirum correcti isti sunt ex deterioribus. Sed cum facile ista: tanta uis et omitti possent in principe meliorum libro, sequendum esse putaui principem deteriorum, in quo particulam exaratam fuisse certum est. Et utrumque nomen coniunctum est II, 5. 11. Uim uero adiectiui tantus asyndeto plus augeri non necesse est, quam augetur ipsa anaphora. Commode Bakius laudauit Cic. de Or. I, 44. 196. cuius rei tanta est uis ac tanta natura.

ut tribueretur] Praeteriti post praesens ponendi, ut recte Bakius animaduertit, haec causa erat, quod a generali sententia transitur ad historiam. Cf. de Leg. III, 6. 14. Verr. II, 78. 191. laudantur oratores ueteres — quod crimina diluere dilucide, quod copiose reorum causas defendere solerent. Eodemque modo rectius explicari puto praeteritum insolentius illud positum apud Cic. Verr. IV, 6. 11. ueri simile non est, ut ille homo tam honestus religioni suae monumentisque maiorum pecuniam anteponeret, quam Zumptius explicauit conditionale id esse dicens. Nec alia est causa praeteriti adiungendi praesenti ei, quo quid etiamnunc in libris scriptum sit, declaretur. Cf. de Fat. 18, 41. Chrysippus autem cum et necessitatem improbaret et nihil uellet sine praepositis causis euenire, causarum genera distinguit. Nat. Deor. I, 15. 40. de Diu. II, 10. 25. de Fin. IV, 6. 14.

homini cuipiam] Hoc praeceptum, quod ab aliis (Plin. H. N. VII, §. 32. Diog. L. I, 16.) Chiloni Lacedaemonio tributum est, Cicero etiam Tusc. I, 22. 52. et Fin. V, 16. 44. deo delphico, cuius in templo et illud et alia sapientium dicta inscripta erant, assignatum esse dicit.

§. 59. qui se ipse] Temere ex paucis codd. deterioribus Bakius reuocauit, quod Uict. expresserat, ipsum. Nullam h. l. obiectorum cogitari necesse est rationem contrariam, ut paullo ante: ut nosmet ipsos nosceremus et de Fin. V, 16. 44. Uide uerba mox posita cum se ipse perspexerit. §. 61. quam se ipse noscet. §. 62. qui se ipsi uelint nosse; quae omnia ne Bakius quidem impugnauit. Cf. Seyff. ad Lael. 1, 5.

se habere sentiet] Lamb. Ern. Wagn. et contra potiorem codicum auctoritatem et uerborum ordine minus idoneo sentiet se habere.

dedicatum putabit] Goerenzii, Schuetzii, Moseri errorem, qui dedicatum non ad uerbum, sed ad simulacrum referendum esse dixerant, pluribus Bakius redarguit; tacite correxerat rectius interpungendo Orellius.

ad obtinendam adipiscendamque] Hysterologia h. l. usus est audaciore, quia obtinendi notio animo eius occurrebat tamquam grauior atque potior. Nam rerum magis grauitate atque dignitate ordo uerborum nititur, quam successione temporis. Mendi eo minus suspicionem moueri oportet, quod paullo ante etiam perspiciendi notionem ex tentando redundantem praeposuit. Ex quo summum quasi philosophiae florem Ciceronis animo obuersatum fuisse apparet. Uana est Ernestii coniectura cum se ipse tentarit totumque perspexerit. Cf. Liu. XL, 21. armauerat contraxeratque Didas. Cic. Diu. in Caec. 2, 6. quis tandem esset, qui meum factum aut consilium posset reprehendere.

principio] Non opus esse coniectura principia, quam tentatam in deterioribus quibusdam codd. et editt. uett. (Venet. 1494. Mediol. Asc.) et Ernestio probatam receperunt Goer. Sch. Mos. Or. Bakius, merito nuper animaduertit Madu. in progr. p. 15., qui principio (quod est ursprünglich Cic. Off. I, 4. 11.) ad uerba quibus illustratis pertinere dixit. Cf. de Leg. III, 9. 19. qui primum — eripuit —; cum afflixisset principum grauitatem cet. et quae ibi dixi. Quamquam eidem non concesserim — idem Bakius sensit — principia omnium rerum per se non recte dici fundamenta scientiae. Sunt sane principia omnium rerum in physicis elementa, in ethicis prima a natura data (cf. Madu. de Fin. p. 828.); atque accuratius si loqui uellet, dicere debebat principia scientiae, quemadmodum I, 9. 26. dixit fundamenta scientiae; sed generalius loqui potuit propterea, quia ex uerbis, quae sequuntur, animo ac mente conceperit, scientiae principia dici satis intelligitur. Atque de Fin. V, 21. 58. (quem locum Bakius laudauit) principia omnium rerum generaliter loquens uirtutes maxime intelligit.

quibus illustratis] Pro mendo cod. arch. illustratus, quod Uict. Lamb. Dau. Ern. Wagn. retinuerunt, merito Man. Goer. Sch. Mos. Or. Bakius restituerunt illustratis. Non enim recte quisquam adumbratis intelligentiis illustrari dicitur, ac potius intelligentiae ipsae, quippe obscurae (§. 26.), ut earum ope ad uirtutem possit perueniri, illustrari debent.

cernat] Cum Tullius obliqua oratione usus haec posuisset quoniam principio — conceperit, ac deinceps orationem legitime sic continuare deberet, ut aut diceret quibus illustratis (i. e. et quoniam iis illustratis) beatus futurus sit, aut ab obliqua oratione ad rectam transiens scriberet quibus illustratis beatum se fore cernet, obliquae orationis formam ad hanc quoque locutionem transtulit. Cf. exemplum omni ex parte nostro simillimum hoc de Fin. V, 3. 8. censemus autem facillime te id explanare posse, quod et Staseam Neapolitanum multos annos habueris apud te et complures iam menses Athenis haec ipsa te ex Antiocho uideamus exquirere. Cf. Madu. ad h. l. et Zumpt ad Verr. II, 46. 133. II, 61. 149.

XXIIII. §. 60. Ab ipsius cognitione, qua quam praeclare a natura instructus sit homo quantaque instrumenta habeat ad uirtutem et beatitudinem adipiscendam, cognoscatur, delabitur primum ad primam philosophiae partem, ethicam, deinde §. 61. ad physicam, denique §. 62. ad dialecticam, quam quaeque uim habeat, declaraturus. Quo facto istarum rerum omnium, quas ii in se inesse perspiciant, qui se ipsi nosse uelint, parentem et educatricem esse philosophiam affirmans eius laudandae finem facit. Quatuor hac §. significantur partes honesti, unde omne officium ducitur, et quidem temperantia his uerbis: cum a corporis obsequio — oppresserit; fortitudo his: omnemque mortis dolorisque timorem effugerit; iustitia his: societatemque — susceperit (nam pietas, ut iustitia et quae cum hac coniuncta est beneficentia, naturali hominum deorumque coniunctione nititur, et pietatem ipse Cicero iustitiae adiunctam esse dicit de Fin. V, 23. 65.); prudentia denique his: et exacuerit — contraria.

labem dedecoris i. e. labem, quam dedecus adspergit. Est igitur genitiuus causae, similiterque dicitur Cic. pro dom. 38, 102. labes turpitudinis. Par. III, 2. 23. labes libidinis. Verr. V, 46. 121. maculae furtorum et flagitiorum. Male Gzius sic interpretatus est: „labes, quae decori i. e. uirtuti adspergitur“ nec melius Bakius ita: „dedecus tamquam labem“. Steph. Manut. Lamb. Dau. Ern. Wagn. de coniectura, quae est in cod. Mon., labem decoris.

cum suis omnesque] Hanc ueterem eamque facillimam ueteris mendi omnibusque correctionem improbari non oportuit a Bakio, qui coniecit coierit cum omni-

bus, quos natura secum coniunxerit. Primum societatem cum suis coire dicitur; qui quia fere dicuntur proximi, cum his autem non satis est inire caritatis societatem: suos omnes habendos esse significat, qui coniuncti natura sint i. e. omnes homines. Cf. quae de naturali hominum inter se coniunctione disputauit c. 10. et 11. Similiter de Fin. II, 14. 45. praecipit, ut homo profectus a caritate domesticorum serpat longius et se implicet primum ciuium, deinde omnium mortalium societate. Uide etiam de Fin. III, 19. 63.

exacuerit] Bakium, qui solus ex deterioribus quibusdam codd. recepit exercuerit, quia acuere ingenium absolute diceretur, ingenium acuere ad aliquid faciendum dici non posset, nec ratio adiuuat et usus redarguit. Cf. Cic. ad Att. II, 7. 2. acueram me ad exagitandam hanc eius legationem. Ceterum cum ab initio animus subiecti locum teneat, paullatim eius ita restingui patet memoriam, ut a parte ad totum i. e. ab animo ad ipsum hominem delabatur; id quod luculentius etiam ex §. 61. apparet.

eligenda] Sic recte Dau. et Bakius, qui apposite laudauit de Fin. II, 12. 38. (at enim statuet nihil esse bonum nisi honestum, nihil malum nisi turpe, cetera aut nihil habere momenti aut tantum, ut nec expetenda nec fugienda, sed eligenda modo aut reiicienda sint) et V, 29. 88. (et si optio esset, eligendam sc. uitam Metelli, Reguli reiiciendam. Unde eligendi uerbum, quod legendi ex pluribus rebus curam quandam et diligentiam declarat, recte usurpari patet in eis, quae Stoici προηγμένα et ἀποπροηγμένα dicebant; itemque dicitur seligi de Fin. III, 6. 20. et 22. Alio modo dicitur de Fin. V, 23. 67. delectus bonorum et malorum, id quod Gzium fugit, qui hunc locum cum similibus citauit, ut hoc in genere deligere, non eligere Ciceronis proprium esse ostenderet.

cogitari, quod ad solum animi motum pertinet, ut Bakio interprete sit animo comprehendere, recte se habet; male excogitari, quod euentum cogitandi significat (de Leg. II, 4. 8.), nulla paene codicum auctoritate Steph. Lamb. Mos. Or. idemque probarunt Beier. de Off. II. p. 243. Matth. Oratt. sel. p. 129. Krausius l. l. p. 468.

§. 61. eaque unde generata quo cet.] Romanos orationis uinciendae studio incensos plura pronomina interrogatiua sibi subiicere notissimum est. Cf. Off. II, 19. 67.

uidemus, quibus exstinctis oratoribus quam in paucis spes, quanto in paucioribus facultas, quam in multis sit audacia. pro Scaur. 7, 13. Brut. 41, 152. Nep. Att. 18. Tim. 2. quem ex quanto regno ad quam fortunam detrusisset. Ceterum nostro loco non quatuor illa omnia sibi subiecta sunt; sed duo postrema quando quomodo pertinent ad obitura.

in his cum Bakio reuocaui pro eo, quod adhuc uulgatum est in iis, potiori codicum auctoritati obtemperans. Tullius, quia pluribus uerbis interiectis pron. is parum grauiter. caelum, terras, maria monstrare uideretur, pronomine hic propius sibi ista admouisse uidetur.

ipsumque] Pron. ipse, quo alii scriptores, in primis Seneca, saepius pro pronomine refl. utuntur, eundem in modum apud Ciceronem tum usurpatur, cum in ipso homine uel re notanda et ab aliis separanda momentum orationis est. Cf. Cic. pro Sest. 14, 32. quis umquam consul senatum ipsius decretis parere prohibuit. Verr. I, 5. 13. Madu. de Fin. p. 415.

prenderit] Sic recte ex codd. melioribus Goer. Sch. Mos. Or. Bakius; reliqui cum deterioribus quibusdam prehenderit. Moserus laudat Schneid. Elementarl. I, p. 187.

seseque non unius] Foedum interpretamentum illud est, quod in plerisque codd. seruatum exstinctum in paucis est popularem alicuius definiti (loci). Quo repudiato et repudiarunt post Dauisium omnes, ut mirandum sane sit repetitum id esse a Zumptio, qui commendat: non unius, circumdatum moenibus, popularem alicuius loci, eo igitur repudiato in codd. haec reliqua sunt: seseque non unis (meliores codd. mendo proprio hominis) circumdatum moenibus loci, sed ciuem totius mundi. Quae uera sunt, si modo pro unis, id quod uerba contraria totius mundi flagitant, ex deterioribus quibusdam codd. scripseris unius. Quod cum merito omnes post Dauisium editores probauissent, Bakius haec coniecit: non unis circumdati moenibus loci, sed cet. At nec ciuis notio ex posteriore parte orationis referri potest ad superiorem et unis moenibus contraria sunt plura. Unius circumdatus moenibus loci est unius loci ciuis. De communi deorum hominumque ciuitate cf. §. 23. de Fin. III, 19. 64. et de mundana Zenonis ciuitate in primis Plut. de Alex. fort. I, 6.

dicuntur] Amplissima quae ducuntur quia ab iis, qui animi sententiam declarant, etiam dicuntur, potiori codicum auctoritati obtemperans seruaui dicuntur. Cf.

§. 37. 47. Steph. Lamb. in ed. 1584 Dau. Bakius ducuntur idemque Ernestio non displicebat.

XXIV. §. 62. sepimento] Repetita est haec similitudo a Stoicis uniuersam philosophiam cum agro fertili comparantibus, cuius sepimentum sit dialectica, fructus ethica, humus physica. Cf. quem Dau. laudauit Diog. Laërt. VII, 40. Addidit Moserus Sext. Emp. VII. p. 374. ed. Fabr. Non eadem est Platonis similitudo de Rep. VII. p. 534. E; ad quam nostram effictam esse Bakius affirmat.

ad ciuilem societatem natum] Cf de Rep. I, 25. Off. I, 45. 158. de Fin. III, 20. 65. Aliter Plato, qui imbecillitatem primam coëundi causam fuisse dixerat. Rep. II, p. 39. C.

iudicandi scientia] Hanc uerissimam scripturam codd. meliores praestant; de quibus quia praua sentiebat Zumptius, mirum illud commentum commendauit: ueri et falsi iudicio, scientia et arte quadam intelligendi. In deteriorum codd. correctione ueri et falsi iudicandi disciplina et scientia, quam Dau. Ern. Wagn. probarunt, disciplina nec ipsum per se potest probari nec propter sublatam orationis concinnitatem. Ceterum haec omnia: ueri et falsi iudicandi scientia — contrarium epexegesin continere uerborum disserendi ratione i. e. dialecticae artis, uere Bakius iudicauit apposite laudato Cic. Tusc. V, 25. 72. sequitur tertia, quae per omnes partes sapientiae manat et funditur, quae definit, genera dispertit, sequentia adiungit, perfecta concludit, uera et falsa diiudicat, disserendi ratio et scientia. Quod autem ab his duobus locis progressus de Fin. II, 6. 18. particulam et ante uerba ratione ac uia delendum esse dicit, non animaduertit ille uerba illa singulis rebus commemoratis complecti genus uniuersum. Cf. quae dixi I. §. 55.

fusa latius perp. or.] Disputationi philosophorum, quae disserit interrogando et respondendo, opposita est perpetua ratio oratorum (Cic. de Fin. II, 6. 17.); subtili autem disputationi, qua singula quaeque subtiliter excutiuntur, perpetua oratio fusa latius, quae conclusae orationis asperitatem reformidans, ut recte Bakius ait, liberior est in argumentandis disponendis, dilatandis, ornandis. Itaque alteri notioni subiicitur altera, ut perpetua oratio dicatur fusa latius, non oratio dicatur perpetua et fusa latius. Quapropter lapsi sunt ii, qui asyndeton hoc esse dixerunt.

praecepta salutis et laudis] Merito praeter unum Steph. editores omnes spreuerunt mendum meliorum codi-

cum proprium laudes, pro quo Dau. inepte uoces coniecit. Sunt praecepta salutis et laudis ea, quibus ciuibus salus et laus paretur. Laus autem h. l. non tam est honestatis (pro Arch. 7, 15. 6, 14.), quam boni ciuis.

factaque et consulta] Etsi alibi historicam artem cum oratoria arte coniunctam esse dicit (cf. I, §. 5. de Or. II, 9. 36.), tamen Bakio assentior, qui haec non ad rerum scriptionem cum Turnebo, sed ad oratoris munus referenda esse cogitandumque esse dicit de instituto orationum litteris mandandarum, apposite laudato Cic. Phil. XIII, 19. 40. quem ego inustum uerissimis maledictorum notis tradam hominum sempiternae memoriae.

quae cum tot res cet.] Horum uerborum rationem non magis perspexit Gzius, qui ut alteram sententiam relatiuam alteri subiici demonstraret, Wopkensium p. 214. laudauit, plane diuersa miscentem, quam Dauisius, qui deteriorum quorundam codd. mendo ascito edidit: quae cum tot res tantaeque sint eaeque in homine cet. et praeterea coniecturam hanc commendauit: quae cum tot res tantaeque in homine inesse perspiciantur. Nostrae quidem consuetudini magis haec essent accommodata: quarum rerum (i. e. et harum rerum), quae inesse in homine perspiciantur ab iis, qui se ipsi uelint nosse, cum tot tantaeque sint, parens educatrixque est sapientia. Sed pronomen relatiuum, quod, si nostram consuetudinem sequeris, ad primarium uerbum referri necesse est, a Romanis saepissime ad secundarium accommodari ingenti exemplorum copia comprobauit is, quem Bakius laudauit, Stuerenb. pro Arch. p. 139. sqq. Cic. Nat. Deor. I, 9. 22. quae ista potest esse oblectatio deo? quae si esset, non ea tam diu carere potuisset pro qua, si esset, non tam diu carere potuisset.

laudata quidem] Mendosam esse patet scripturam codicum, in quibus est non exstat. Aut subiecti notio magis fulcienda est aut addenda copula. Illud cum olim mihi placeret in progr. p. 7., pro ea, quod Moserus coniecit nec Orellio Bakioque displicuit, conieci illa; hoc nunc mihi magis placet propterea, quia et solum laudandi uerbum recte insigniri existimo (quippe oppositum hoc habet: non intelligere, quorsus pertineat) et lenior correctio est. Notabatur enim ē. Ante coniecerat Krausius l. l. p. 468. laudata quidem est a te. Sed isto uerborum ordine quia uerbis grauiter et uere pondus quoddam additur, laudandi uerbum iusto pondere exuitur.

Uide Seyff. ad Lael. p. 509. de uerborum collocatione prudentius disputantem quam Madu. de Fin. p. 772.

hoc] Sic recte secundum meliores codd. Uict. Steph. Dau. Bakius; pertinet enim ad solam laudandi notionem. Reliqui ex deterioribus quibusdam haec, quod referri oporteret ad omnia ea, quae ad philosophiae laudem expromsit.

§. 63. tanta sc. quanta cum maxime. Male Bakius audiri haec iubet: „quam illa, de quibus hucusque egi, non exigua, qualia iuris consulti tractabant.“ Cf. Seyff. ad Lael. p. 135.

non enim erunt] Sunt, quod ex melioribus codd. excerptum Bakius probauit, recte se haberet in sententia communi, et omni et praesenti tempore rata, uelut de Fin. I, 1. 3. tamen nec modus est ullus inuestigandi ueri nisi inueneris; alienum est ab hoc loco, cuius sententia haec est: ea, quae de iure sum disputaturus, non erunt amplissima, nisi ipsius philosophiae, ex qua illa manant, ante patefacta erit amplitudo.

Recte uero facis] Quod in codd. melioribus est uero facis et merito, id etsi Dau. Ern. Wagn. Goer. Sch. Mos. ita probarunt, ut tamen uerba et ipse aduersis codicibus tollerent (Bakius, qui item probauit, haec ipsa retinuit), non magis potest probari, quam deteriorum correctio aut ea, quae Maduigio (Emendatt. p. 58.) et Zumptio placuit (uere facis et merito) aut haec: reuera facis et merito. Marco quidem et libenter et, ut speret, recte se id facere dicenti Atticus merito id eum facere respondet et ipsum (i. e. ultro cf. §. 49.) et fuisse id in hoc sermone faciundum. (De partt. et — que in declaranda partitione leuiter in adiunctionem deflexa dixi §. 42.). Quae si uera sunt, particula et aduerbio merito praemissa, cum uero non pro aduerbio possit haberi, sed uim tantum habeat confirmandi, adiectiuum aliquod excidisse ostendit. Atque ipsius codicis E mendum ne uero, ex quo nata esse uidetur correctio, reuera, recte excidisse indicat. Ita Atticus id ipsum aduerbium, quo Marcus usus erat, ascitum perquam commode amplificat adiungendo alio et eius notionem addita particula confirmat. Lambini coniecturam uero: facis et merito et recte et ipse fuitque miror cum aliam ob causam tum ob male geminatam particulam non displicuisse Orellio.

M. TULLII CICERONIS
DE LEGIBUS
LIBER SECUNDUS.

I. §. 1. Fibreno, pro quo nonnulli codd. habent Fibrino, codicum consensu confirmatum est et apud nostrum II, §. 6. et apud Sil. It. VIII, 398. Erat autem Fibrenus fluuius iuxta Arpinum in Lirem influens.

nam id opinor] Id correctio necessaria est, quam post Manut. Dau. Ern. denuo Maduigius (Emendatt. p. 58.) commendauit, qui Orellio, Bakio, Zumptio persuasit. Sed melius hoc ante opinor Manutins Bakiusque restituerunt, quam reliqui ante illi. (Orellius utro loco restitueret, haesitauit). Nimirum etiamtunc ad Lirem ambulans ad alterum fluuium tendit Fibrenum, de cuius, ut ignobilis nomine, cum Atticus tunc primum eo uenisset, perquam facilis error erat. Quare ueritus, ne in fluuio ignobili nominando errauerit, opinione illud niti adiungit. Praua est Gzii coniectura a Schuetzio probata nam opinor Liri alteri flumini nomen esse eiusque simillima Creuzeri nam opinor illi alteri flumini Liri nomen esse et Moseri nam Liri opinor illi alteri flumini nomen esse; quae hinc nata est, quod Atticum cum Marco et Quinto adhuc ad Fibrenum ambulauisse credebant. At quid tunc de alterius fiuminis nomine quaerere attinebat, cum insulam peterent in ipso Fibreno sitam. Deinde retinui quod in cod. arch. fuit esse, pro quo Dau. et Madu. commendarunt est. Licet enim opinor in interiecta sententia plerumque reliquis uerbis interiiciatur, nihil tamen impedit, quo minus id, quod quis opinetur, ex opinandi uerbo nectatur. Similiter ex credendi uerbo, quod in ironia fere παρενϑετικῶς ponitur, uidemus infinitiuum pendere. Cic. pro

Arch. 5, 10. Rheginos credo — quod scenicis artificibus largiri solebant, id huic summa ingenii praedito gloria noluisse. Verr. V, 30. 78.

siue aut quid scribo] Siue in cod. arch. fuit aut quid scribo, siue in principe tantum meliorum libro, in deteriorum autem principe siue aliquid scribo, hoc tamen ipso illud confirmatur, quod ante commendatum a Danisio recepit Gzius. Nam aliquid, etsi probatum est a Uict. Man. Lamb. Zumpt. Bak. Maduigio (gramm. lat. §. 332.), ab hoc loco alienum est, quia pronominis intendendi causa nulla est. Cf. Madu. gramm. lat. §. 484. Aut particulam Cicero geminatam posuit, ut, cum primum cogitationem atque legendi scribendique operam tamquam duas studiorum partes animo disiunctas comprehendisset, hanc ipsam denuo diuideret, quemadmodum hoc fecit de Fin. II, 23. 107. ad Fam. IX, 20. 3. Nec uero recte aut omisit pronomen Steph. (siue aut scribo aut lego) aut praemisit cum Ern. Wagn. Sch. Mos. Orellius; quippe pronominis interiecti uis ita deminuitur, ut disiunctioni uerborum lego et scribo id nihil omnino officiat.

§. 2. nunc potissimum] i. e. hoc aestiuo anni tempore. Cf. I, §. 15. II, §. 3. Opportune Creuz. laudauit simillimum Platonis locum in Phaedr. p. 229. A. Manut. Lamb. Dau. Ern. Wagn. sine ulla codicum auctoritate nunc primum.

isti] Inuidiose et contemptim petuntur Romani luxuriosi, ut Luculli, Philippi, qui aquae ductus magno cum sumtu in uillis fodiebant et propter similitudinem, quae eis uel cum Nilo esset in plura bracchia excurrente uel cum freto euboico, per quod maris aestus continuo fluxu reciprocatur, splendidis nominibus Nilos et Euripos appellabant.

et de iure] Male Lamb. Ern. Wagn. Sch. sine iusta codicum auctoritate praepositionem omiserunt. Nam uel cognatas res repetita praepositione monosyllaba, quo quaeque grauius efferatur, quodammodo separari constat. Cic. Off. I, 14. 42. de beneficentia ac de liberalitate dicatur. Verr. I, 31. 78. ad uim atque ad arma. pro Sest. 4, 9. ex latebris atque ex tenebris. de Fin. I, 10. 34. in liberos atque in sanguinem suum. Quo in genere quanta sentiendi libertas sit, ex his aliisque multis licet cognoscere. De Leg. III, 5. 14. Cicero scripsit in solem atque in puluerem; ad Brut. 9. 37. in solem et puluerem; pro Mil. 1, 2. in foro et in iudicio, at pro Cael. 15, 35. in forum iudiciumque. Similiter cognatas

notiones oratorie particulis nec — nec separari animaduertit Madu. de Fin. I, 16. 50.

itaque ut facerem] Itaque potiore codicum auctoritate reuocaui cum Uict. et Bakio; reliqui idque. Recte itaque i. e. et ita dici, documento sunt haec: Cic. ad Fam. V, 9. 2. itaque faciam eamque, si opus uidebitur, ipse conueniam. de Inu. II, 24. 72. pro Cluent. 19. 51. pro Deiot. 7, 19. Nep. Alc. 4, 2.

et orationibus] Moserum, qui non orationes scriptas, sed sermones praesentes dixerat intelligi oportere, recte Bakius ita refutauit, ut singulari numero, non plurali hanc uim inesse diceret, nec uersus tunc, sed omnino litteras opponi oportuisse demonstraret; idemque contra Gzium animaduertit, uel in orationibus etiamnunc seruatis asperam et saxosam Arpini regionem commemorari, ut pro Planc. 8, 20. ib. 9, 22. pro Sext. 22, 50. De Arpini asperitate uide Cic. ad Att. II, 11. Futilem Wyttenbachii coniecturam narrationibus Zumptius probauit.

§. 3. et amoenitatem et salubritatem hanc] Sic secundum meliores codd. scripsi cum Uict. Man. Lamb. Dau.; reliqui cum deterioribus et amoenitatem hanc et salubritatem. Hoc si sequimur, istius loci magis attendi uolumus amoenitatem; in illo amoenitatem et salubritatem pari modo attendi uolumus. Ineptit Bakius, qui salubritatem hanc negat dici potuisse, quia Atticus tunc certe eam non potuisset aestimare.

non attingit ita, sc. ut me, quemadmodum iam interpretati sunt Wagn. et Mos. (die dich nicht in eben dem Maasse berührt). Nimirum dicendi pondus est in uerbis te et ita; quapropter dirimuntur uerbis interpositis leuioribus non attingunt. Pertinet autem negatio ad cunctam ita attingendi notionem, ut male hoc Gzius et Bakius interpretentur te non admodum attingit. Isto enim modo uoculas non ita uerbis interiectis dirimi merito Handius negauit in Turs. III. p. 498. Sed male is tamen coniecit te non attingit item. Gulielmus ante coniecerat non attingit, Tite. Rathius commendauit uerborum transpositionem non ita attingit. Dauisio denique et Ernestio part. ita uisa est expellenda esse, quam illepidam coniecturam Zumptius sequi uidetur sic uertens: aus einem andern Umstande, der dich nichts angeht.

hinc enim orti] Quia non magnopere refert, utrum ortum habere Cicero dicatur ex Arpino, an Arpini natus esse cum plerisque editoribus secundum meliores codd. scripsi hinc; hic Lamb. Zumpt. Bakius. Deinde hic idem,

quia anapheram (quae demum a uerbis hinc enim orti orditur) interrumpi putabat, leuissima codicis D auctoritate enim omitti uoluit, itemque pro antiquissima sumus scribi antiqua sumus, quia a pal. 4. et Fabr. Gruterus sumus abesse dixerat. Ipse Grut. cum Dauisio edidit antiquissima uerbo omisso.

latius, quod a Turnebo commendatum inde a Dauisio usque ad Bakium ediderunt omnes, recepi ex codd. E et Gd. 2, quibus haud dubie accedit δ et accedere etiam puto cod. C, cuius h. l. Bakius mentionem non fecit; lautius ex deterioribus correctisque codd. Uict. Man. Lamb. Bak. Zumptius.

Curiana] Dicit uillam M'. Curii Dentati, qui praeclare de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphauit et extremum tempus aetatis consumsit in tenui hac uilla, quae haud procul aberat a Ciceronis Tusculana. Cf. Cic. Cat. Mai. 16, 55 et quem Mos. laudauit Plut. Cat. c. 2.

ille sap. uir] Laudant de hoc Ulixis desiderio patriae. Cic. de Or. I, 44. 196. Hom. Od. *A*, 56. *H*, 219—225. Ou. ex Pont. I, 3. 33. Dio Chrys. Orat. XIII. p. 220.

II. §. 4. tibi istam iustam] Hunc uerborum ordinem codicibus uel maxime firmatum merito Bakius reuocauit, cum post Grut. et Dauisium omnes, ut in pron. istam dicendi pondus esset, sine iusta codicum auctoritate edidissent istam tibi. At nec tibi nec istam acuitur, sed iustam leuioribus utrimque uerbis interpositum. Cf. II. §. 9.

uere dicam i. e. ueram animi sententiam declarabo (cf. de Or. II, 4. 15. Halm pro Sest. p. 123.); at uerum dicere (§. 3.) est dicere quod uerum est. Non intellexit hoc nec Moserus, qui uere dicere idem esse dixit atque dicere quod uerum est, nec Bakius, qui hanc Moseri interpretationem probauit.

illi uillae] Sine causa et ipsi contra codd correxerunt antiquiores, ut Man. Lamb. et isti Bakius. Quemadmodum mox dicit huic omni solo, quod in eo uersaretur, ita poterat uillam, a qua cum Quinto et Marco ambulans aliquantum discesserat, pronomine ille monstrare tamquam longius a se remotam. Deinde idem Bakius pro modo commendat etiam, hanc correctionem mendo pessimi cod. *α* et amodo confirmari ratus. At pertinet illud ad tempus et significat, quod nos dicimus eben. Amiciorem autem illi uillae se modo factum esse dicit propterea, quia in ea Ciceronem natum esse audiuerat.

ipsae illae] A generali sententia, quae ad omnes pertinet (eandem persequitur de Fin. V, 1. 2—5.) ad se ipsum transit, quem ipsas illas Athenas, quas alio nomine

plus delectare exspectaueris, delectare dicit non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus, quam recordatione summorum uirorum. Temeraria est Bakii coni. me quidem ipsum; itemque Atticorum pro antiquorum. Antiquorum artes nominantur, quia antiquitati in artibus fere plurimum tribuitur. Artes non sunt ipsa monumenta, sed elucent in operibus, quae dixit. Sic primum opera, qualia sunt, indicantur; deinde qua cum homine ratione contineantur, adiungitur (besondere Bezeichnung der obiectiven und subiectiven Seite eines Dinges). Uulgo ἓν διὰ δυοῖν uocant. Cf. de Or. I, 8. 34. studium et aures (geneigtes Gehör). Cat. I, 4. 8.

§. 5. idem ego] Loci, cuius deprauati nulla in codd. significatio est, sententia haec est: quem locum (sc. uillam) nunc germanam tuam patriam uocas, eundem ego te accipio (latiore nomine) dicere Arpinum (unter dem verstehst du euch, wie ichs fasse, Arpinum). Nec accipio hoc modo interpretari uetat oratio (Ter. Andr. II, 2. 30. non recte accipis) et dicere a Romanis saepius usurpari constat, ubi nos uerbo utimur, quo animi sensum declaremus (de Or. III, 44. 174. uocis dico moderationem et uerborum conclusionem; itemque cum duplici accusatiuo eandem (prudentiam) sapientiam dicis; nam qui dicit, etiam intelligit sapientiam). At quid tandem Atticum, ut istam sententiam interiiceret, impulit? Sermo adhuc fuerat de sola uilla. Progreditur iam oratio ad patriam municipalem. Ne igitur quem, qui solam uillam, in qua natus esset, patriam dici meminisset, fugeret, quo ista de municipiis disputatio pertineret, neue quis uerba illa: eam patriam dicimus, ubi nati sumus ad ipsum locum natalem referret, hanc ipsam explicationem, quae caute prouidentis est, interiecit. Necessariam ego istam non dixerim, absurdam et insulsam esse nego. Idem, si sententiam spectas, ad locum refertur, si formam ad Arpinum, ut II, §. 6. hoc quasi rostro, licet pronomine monstretur insula, et II, §. 11. eas leges, cum pron. ad neutrum pronominis referatur. De quo attractionis genere cf. Krueger Unters. III. p. 86. sqq. Zumptii gramm. lat. §. 372. Uarias uirorum doctorum coniecturas in curiosorum gratiam afferre iuuat. Lambinus: quem ego te accipio dicere Arpinum; Scheffer: idem ego te accipio dicere ac Arpinum; Rathius: eandem ego te accipio dicere Romam; Gaius: id enim ego te acc. d. Arp.; Moserus: quem item ego te acc. d. Arp.; Bakius: quem soles de municipio dicere Arp.; Zumptius; item ego te

acc. d. Arp.; Halm l. l. p. 175: si quidem ego te acc. d. Arp.

numquid uos duas sc. Romam et Arpinum. Firmatur haec scriptura iam a Uict. Man. Lamb. expressa ac nuper a Bakio reuocata mendo codd. meliorum mihi qui duos duas; reliqui ex deterioribus numquid duas. Recte pronomine subiectum grauiter effertur; quippe Cicerones oppositi cogitantur reliquis, qui unam patriam habere uiderentur.

an est una illa sc. Roma. Per particulam an interrogat id, quod putat affirmari oportere. Quod quoniam nos addita negandi particula declaramus, Ern. et Wytt. perperam non (an non) addi uoluerunt. Cf. Cic. de Diu. II, 57. 117. quando autem ista uis euanuit? an postquam homines minus creduli esse coeperunt. ibid. II, 13. 31. Off. I, 15. 48. de Or. I, 58. 249. de Fin. V, 14. 40. Madu. ep. crit. p. 77. Male Man. et Dau. ex deterioribus quibusdam anne, Steph. de coniectura estne. Communis patria Roma dicitur, quia et ipsorum Romanorum erat et municipum. Nam municipes Italiae post legem Juliam a 663. latam ciues romani erant optimo iure, ut et suffragii iure uterentur et honorum. M. Porcius Cato censorius e municipio Tusculano ortus erat. Cf. schol. Bob. pro Sull. p. 364. Cic. pro Planc. 8, 20.

ut ille Cato] In exemplo afferendo (nam id afferri nec quicquam comparari, ut Handio uisum est in Turs. III. p. 471. uel hinc perspicitur, quod sententiam, quam modo expresserat, leuiter mutatam et ad id quod sequitur consectarium magis accomodatam repetiit cum ortu Tusc. esset, ciu. Rom.), sed in exemplo afferendo Catonis nomen, quod Bakio uidetur interpolatum esse, melius redintegratur, quam omittitur. Pro ita Lamb. Ern. Wagn. sine causa nec facete itaque.

priusquam Theseus] Atticis ante Theseum cum municipiis hoc dicitur commune fuisse, ut et uniuersae ciuitatis essent et suae, ueluti qui Eleusinii, Decelei, Phalerei erant, iidem Attici erant. Ac satis nunc quidem exploratum est, singularum urbium Atticarum dominationes penes regulos fuisse, qui suas quidem ipsi moderarentur res domesticas, sed in eis tamen, quae uniuersam rem publicam attingerent, parerent regi uni ceteris superiori, donec a Theseo paruulae illae ciuitates in unam coniungerentur; quo facto suae esse desinebant. Leo Uniuersalg. I. p. 176. Male igitur peruersam Manutii coniecturam postquam, a Dau. Ern. Wagn. Sch. probatam, denuo Bakius commendauit; simulque hoc

ex eis, quae disputaui, elucet uerissimam esse Maduigii Bakiique coniecturam ne litteris quidem multum a cod. arch. mendo discrepantem: et sui erant et Attici i. e. singularis suae ciuitatis ciues erant et uniuersae. Sententiam eandem iam Dau. erat assecutus hac coniectura: et sui erant uici iidem et Attici; de uerbis errauit. Reliqui prorsus a recta uia aberrarunt. De Turnebi coni. reliqui usque ad Wagnerum haec expresserunt: et Sunii erant iidem et Attici; Gzius primus: et simul φράτορες erant iidem et Attici; quam peruersam rationem imitati sunt reliqui, Schuetz: et suae φρατρίας erant iidem et Attici; Creuz.: Sunii erant φράτορες iidem et Attici; Rathius: et sunt φράτορες iidem et Attici; Zumptius: et συμφράτορες iidem et Attici. Astu cur apud Atticos praecipue Athenae dicerentur, quemadmodum urbs apud Romanos Roma, praeclare exposuit Madu. Opusc I. p. 218.

dicimus] expressi hoc cum plerisque ex codd. melioribus. Cf. I. §. 61. ducimus Steph. Man. Dau. Bakius.

qua excepti sumus sc. in ciuitatem. Non assentior Bakio contra codd. scribendum esse dicenti a qua; et sic interpretor „quae effecit, ut in ciuitatem reciperemur" (welches die Ursach' unserer Aufnahme ist). Est igitur ablatiuus causae.

qua rei publicae nomen cet.] Haec codicis arch. scriptura ab aliis aliter tentata *) interpretatione eget, non emendatione. Res publica quae h. l. dicitur haud dubie est ea, quam ut a municipali discerneret, III, 16. 36. dixit summam rem publicam, quae urbe romana contineri putabatur atque in legibus et institutis posita erat romanis (Madu. Op. I, p. 220.); eademque dici uidetur summa res publica pro Sest. 11, 25, non ea, quae in discrimen sit adducta. Quod contra uniuersa ciuitas non solum omnes eos ciues romanos complectebatur, qui in summa illa

---

*) Manut: qua populi rom. nomen uniuersae ciuitatis est, Lbinus: in qua rei publicae nomen et uniuersae ciuitatis est, Dauisius: quae populi romani est ceteris praetermissis; Wytt. et Mos.: quae rei publ. nomine uniuersa ciuitas est; Madu. Emendatt. p. 61. e qua populo rom. nomen uniuersae ciuitatis est; Orellius: e qua populi romani nomen uniuersae ciuitatis est; Bakius: in qua rei publ. nomine iuris communitas est; Zumptius: e qua rei publ. nomen uniuersae ciuitatis sit. Suspecta haec iam Gzio prorsus sustulit Schuetzius.

re publica, sed etiam eos, qui in municipali uersabantur; ad quos nomen romanum, summae illius rei publicae proprium, transferri dicit. Ceterum rei publicae ad nomen pertinet; genitiuus uniuersae ciuitatis ex uerbo est pendet; qua ut ante ablat. causae est.

dum illa — contineatur] Quae post haec in codd. exarata sunt uerba habet ciuitates duas, sed unam illam ciuitatem putat, ea pro interpretamento esse habenda consentiunt omnes, de praecedentibus dissident. Gzius, an cuncta illa: itaque ego — contineatur pro interpretamento habenda essent, dubitauit. Quem falli de superioribus illis itaque ego — negabo Bakius ita demonstrauit, ut quae generaliter de duplici municipum patria essent disputata, ea ad ipsum Ciceronem, ut absolueretur disputatio, transferri oportuisse ostenderet. Sed his retentis sequentia etiam uerba dum illa — contineatur, quae cum Goer. Sch. Mos. ipse Bakius expellenda iudicauit, retinenda sunt, ut summae disputandi modus idem adhibeatur, quem in generali de municipiis disputatione paullo ante constituerat his uerbis: sed necesse est caritate eam praestare, qua cet. Maior ad maiorem summae rei publ. grauitatem, contineri in ea i. e. tamquam partem in genere inesse, quia pars genere et minor et leuior est, ad minorem municipii dignitatem spectat.

III. §. 6. Magnus ille sc. Pompeius, quo cognomine saepius a Cicerone appellatur (pro Arch. 10, 24. ad Att. II, 13. 2.). Quod quando Pompeio tribui coeptum sit, explorari Bakius indicat a Dukero ad Liu. epit. CIII; et ab assentatione familiari id profectum esse Liuius tradit XXX, 45.

pro Ampio] In cod. arch. certum est fuisse Ambio. Sed non modo Ambii a Cicerone et Pompeio simul defensi, sed ne Ambii quidem ullius mentio usquam iniicitur. Itaque quod in Maffaei libro reperisse se dixit Manutius, Balbo, reliqui cupide arripuerunt, quia et Pompeium et Ciceronem pro C. Cornelio Balbo simul dixisse constaret. Sed etiamsi in cod. aliquo id inuentum sit, non plus inde auctoritatis habet, quam si de coniectura id se scripsisse Manut. diceret. De coniectura autem illud Cicerone obtrudere religionis aliquid habet, praesertim cum alias quoque causas ab utroque simul defensas esse constet. Itaque assentior Bakio, qui una littera leuiter mutata restitui uoluit Ampio. Quo (T. Ampio Balbo) et Ciceronem et Pompeium familiariter usum esse constat. Cf. Orelli Onom. s. u. Ampius et quos Bakius laudat Man. ad Diu. I, 3. Garat. ad Planc. 10, 25. et Spald. ad Quint. III, 8. 50.

conseruatores sc. C. Marius et M. Tullius Cicero, quorum ille Cimbros et Teutones deuicit, hic Catilinariam coniurationem oppressit.

uidear] Pro hac certa correctione male Dau. substitui uoluit ut iam uideam me adduci. Est breuitas quaedam loquendi, saepius a Cicerone usurpata pro pleniore locutione adducor, ut credam, qua utitur in Lael. 16, 59. nec uero se adduci posse, ut hoc — a Biante esse dictum crederet. Atque huic credendi notioni mente conceptae et h. l. et aliis (ad Att. XI, 16. 2. pro Cluent. 37, 104, ubi merito Classen adducti sunt restituit pro barbaro illo addocti sunt) accommodat acc. c. inf., pro quo alibi propter efficiendi notionem, quae uerbo inest, particulam ut posuit rem effectam significans pro fide rei effectae, quemadmodum similiter loco a Maduigio laudato pro Sull. 14, 40. (nec uero possum meo tantum ingenio dare, ut tot res — mea sponte dispexerim) rem effectam ponit pro iudicio de re effecta. Eodemque in genere est illud III, 15. 33. in ista sum sententia — nihil ut fuerit in suffragiis uoce melius. Cfr. quos Bakius laudauit Madu. de Fin. I, 5. 14. Mos. de Diu. I, 18. 35. Matth. de anac. p. 24.

procrearit] Sic Gudius, reliqui; superiores procreauit. Deinde tuam om. Goer. Sch. Mos.

hac uero] Temere Bakius arrepto mendo codicis E scripsit hoc, quia pron. non ad modicum insulae spatium referri uideretur, sed simul ad loca circumiacentia, quasi uero tum singulari numero locus esset; nec prudentius duorum deteriorum codd. auctoritate omissit est, quia in exclamatione, quam tamen patet nullam esse, omitti soleret.

etenim] Quo minus exclamari haec recte putentur, et confirmandi particula enim prohibet et longa uerborum series, in qua singula quaeque ita explicari uere Bakius animaduertit, ut in descriptionem cadant, non ut percellant spectatorem. Quapropter non dubitaui equidem cum Bakio recipere correctionem etenim in cod. γ tentatam et ante a Lamb. (ed. 1566.) Dau. Ern. commendatam.

quod satis sit] Praua est et Lbini coni. quoad et aliorum quantum. Non raro tantum excipit pron. relat. a modi descriptione oratione leuiter deflexa ad descriptionem generis. Hinc in hoc genere regnat coniunctiuus. Cic. Tusc. V, 32. 91. iis tantum apposuit, quod satis esset, nullo apparatu. Ac. II, 39. 122. ut nulla acies humani ingenii tanta sit, quae penetrare in caelum, terram intrare possit. ad Fam. XV, 11. 1.

familiam patriciam. Male Goer. et Sch. patriciam familiam, quasi uero patricia opponatur plebeiae. In patriciam autem familiam Fibrenus transire dicitur, quia Liris Fibreno nobilior erat. Peruerse deinde Bakius pro uenerit commendat ueniret. — in Phaedro p. 230. B.

§. 7. huic amoenitati, quem] Praua est cod. arch. scriptura quam a Gzio probata. Nam quî tandem Fibreni et illius insulae amoenitatem, quam et saepe ante uiderat et tunc ipsum cum Quinto et Attico cernebat, ex Quinto se audire poterat dicere? Nec uero probabilis est Manutii coni. quemadmodum, quae Lamb. Sch. Mosero placuit, aut eiusdem Manutii et Bakii correctio quantum. Nam cum Marcus, quid ipse opinetur (opinor, concesserit), dicat, non potest simul Quinti ea de re iudicium spectare; quantum autem quo minus probemus, uel aduerbium saepe obstat. Recte iam Dau. uidit pronomen ad Thyamim referri oportere, quem anno 693. sibi incognitum fuisse Marcus ipse scribit ad Att. I, 16. 17. et tunc ei non cognitum fuisse probabile est. Cuius coniecturam quem mirer a nemine nisi a Rathio esse probatam. Sententia quidem haec est: „huic amoenitati nihil, opinor, concesserit Thyamis Epirotes tuus ille, de quo Quintum saepe loquentem audio“. Nam audire eodem modo usurpatum est atque legendi uerbum I, §. 1. (lucus quidem ille — saepe a me lectus in Mario), Ac. II, 3. 8. (quam quemquam eorum, quos i. e. de quibus legisset) et accipiendi Lael. 2, 7. (qualem Athenis unum accepimus), de Diu. I, 17. 33. (cotem autem illam accepimus), Off. I, 30. 109. (Lacedaemonium Lysandrum accepimus i. e. de eo audiuimus); ipsumque audiendi uerbum sic usurpari uidemus de Or. I, 60. 255. (multique oratores fuerunt, ut illum Scipionem audimus et Laelium), ubi male quidam fuisse audiri dicunt; Cat. III, 10. 24. (neque solum eas sc. dissensiones, quas audistis, sed eas, quas uosmet ipsi meministis et uidistis) et cum aliis uerbis coniunctum de Diu. I, 39. 86. (quam et cernimus ipsi et audimus et legimus et a patribus accepimus); insolentius etiam Cic. Par. VI. §. 50. sic loquitur: ne semper Curios et Luscinos loquamur. Deinde huic amoenitati noto attractionis genere dicitur pro huius fluuii uel loci amoenitati, quemadmodum de Fin. II, 20. 66. hic dolor dicitur pro huius rei dolor, Lael. 1, 3. ea mentio pro eius rei mentio. Cf. Seyff. ad Lael. p. 17. Madu. de Fin. p. 258. 691. Quod denique Thyamis ipse,

non eius amoenitas, Fibreni amoenitati nihil cedere dicitur, nihil ista figura usitatius, qua quae hominis sunt uel rei, cum ipse homine uel re comparantur per metonomiam. Cic. Off. I, 22. 76. Quorum rebus gestis quamquam imperium Lacedaemonis dilatatum putatur, tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus et disciplinae conferendi sunt. de Or. I, 44. 197. ibid. I, 4. 15. Uide Ellendt ad h. l. Itaque non necessaria est Ciacconii quae Rathio placuit coniectura, huic amoenitate. Thyamis, quod pro Thebanus coniecit Turnebus, merito a plerisque probatum est. Qui nomine Thebanus Attici uillam denotari putabant, ii non attenderunt, uillam, de qua loquitur, mox nominari Amalthium, nec uillam nunc comparari cum fluuii amoenitate, ut uel hoc nomine improbari debeat Dauisii coniectura fundus epirotes tuus, Tite, sed cum fluuii amoenitate comparari fluuium. Fluebat autem per Attici Amalthium Thyamis. Cic. ad Att. VII, 2. 3 Plin. H. N. IV, 1. 1. Turn. Adu. XI. c. 16.

Amalthio] Cum Marcus Thyamis fluuii amoenitatem comparasset cum amoenitate Fibreni, Quintus laudem illam ad totam eius uillam transfert; qua de uide ad Att. I, 16. 15—18. Amaltheo est uerissima Turnebi emendatio, post Manut. probata ab omnibus; sed malui tamen cum Man. Goer. Or. Bakio scribere Amalthio, quia hoc codicum mendis magis commendatur; eademque de causa mox cum plerisque scripsi aratio, non arateo.

praeclare exigis] Errant, qui haec sic interpretantur: „praeclarum est, quod exigis (schön, dass du mich mahnst); ad agendi rationem aduerbium pertinet, non ad dicendi modum (du bist ein vortrefflicher Mahner). Ita uel id incommodi tollitur, quod uerba at ego eff. arb. habebant per parenthesin fere interiecta, ut uerbis et tibi horum — potest superiora praeclare exigis continuari indicaretur. Sic liberius, ut saepe, alteri iudicio adiunxit alterum interiore utriusque ratione non distincte declarata (ich glaubte freilich durchgeschlüpft zu sein; und doch darf ich dir nichts schuldig bleiben).

a Joue] Platone duce Legg. IV. p. 712 et more antiquorum, qui in rebus magnis suscipiendis a diis ordiebantur (Stob. Serm. 44, 40. p. 289.) ad ipsam legum constitutionem aggressurus deorum auxilium implorat eis ipsis uerbis utens, quibus exordium poëmatis Aratii (Phaenomenon) a se latine conuersi expresserat. Item, quod ego cum Bakio recepi ex codd. melioribus, spectat ad id, quod in Phaenomenis quoque a Joue exorsus est, non, ut Bakius

opinatur, ad id, quod supra I, 7. exordium captum sit a diis. Illic a diis proficiscitur, ut deorum mente uniuersum mundum administrari demonstret, non rem, quam in manibus habeat, ipsam aggressurus deorum auxilium implorat.

IV. §. 8. labamur errore sermonis cet.] Nulla h. l. corrigendi necessitas. Superius sermonis uocabulum sermonem uniuersum significat, ut similiter dicitur Tusc. V, 32. 91. errore sermonis labi i. e. errare, quia sermonem non satis cognitum habemus. Cuius parum definitae sententiae explicandi gratia adiungit haec: ignoremusque uim sermonis eius, quo iura nobis definienda sint, in quibus sermonem dici apparet eum, quo in his legibus constituendis utatur, i. e. philosophice, qui quidem differat a sermone quotidiano, quo lex appelletur id, quod a populo scitum et constitutum sit *). Cf. II, §. 9. Similiter sermo quotidianus distinguitur a philosophico Lael. 6, 21. et in prooem. ad Par. §. 4. an alia quaedam esset erudita i. e. philosophica, alia popularis oratio. Hinc facile non ingratam iterationem h. l. deprehendi elucet, qualem plerique interpretes sibi deprehendisse uisi sunt. De ea, quam part. que h. l. habet uim complendi uide Seyff. ad Lael. p. 143. Temere igitur Dau. et Ern. sermonis superius, Orellius et Bakius posterius deleri uoluerunt, ut eius pronominis genus neutrum esset. Wagnerus itidem posteriore sermonis uocabulo deleto qua commendauit, ut ad legem id referretur. Quod quia fieri non posse Schuetzius sensit, is legis, qua pro sermonis, quo commendauit. Krausius denique l. l. p. 468. coniecit nominis eius, quo.

et est ista] Male Dau. particulam et expulit. Nimirum probat Quintus, quod Marcus se facturum esse dixerat, et adiungit istam rectam docendi uiam esse.

principem illam legem] Uide I. c. 6.

ex qua, quod codicum omnium est, recte se habet, nec probari potest, quod post Dauisium denuo Bakius commendauit: ex quo. Quo quidem causa indicaretur, cur lex illa, quam dii generi humano dedissent, laudata esset. Cf. de Fin. V, 14. 39. At hoc loco legem illam dici oportuit natam esse ex mente omnia ratione cogentis dei; ac tum demum, cur recte laudata esset, intelligi potuit. Itaque

---

*) Parum recte Or. et Krausius negant iura definiri sermone. Qui iura definit, sermone utatur necesse est. Cicero igitur in iure constituendo sermone philosophico utens, hoc sermone iura definit, non usitato.

Graecorum consuetudinem imitatus (ἐξ οὗ ἐκεῖνος ὢν cet.) quae duae debebant esse sententiae (ex qua quoniam lex illa, quam dii generi humano dederunt, nata est, recte laudata est), eas contraxit in unam. Dictum hoc est paullo insolentius, nec minus tamen insolenter de Fin. I, 14. 47. eandem Graecorum structuram imitatus dixit: quartum sequitur et in eadem pulchritudine (i. e. quod in eadem pulchr. sit) et aptum ex illis tribus; et prorsus eodem modo de Nat. Deor. II, 20. 51. quarum ex disparibus motibus magnum annum mathematici dicunt.

§. 9. si in ius uocat, ito] Codicis arch. mendum hoc: si in ius uocat atque at (uel ad) quosdam (Uict. Steph. Lamb. Dau. Goer) impulit, ut ad compiendam legem coniicerent: si in ius uocat atque eat. Sed primum illa XII tabularum lex haec erat: si in ius uocat, ito; ni id, testamino; igitur em capito. Deinde nec ferendus est in XII tab. lege, quae imperatiuum flagitat, modus subiunctiuus, nec probari potest atque, quod dicunt confestim esse. Quare reliqui mendo at omisso haec scripserunt: si in ius uocat atque eiusmodi — nominare. Ita illam XII legem indicari, non absolui patet, quemadmodum idem fieri uidemus Cic. Brut. 12, 43. Nec tamen, cum uno uerbo addito absolui possit sententia, id factum esse admodum ueri simile est. Huc accedit, ut ita, quomodo ortum sit mendum, parum perspiciatur. Quod elucet, si scripseris: si in ius uocat, ito et eiusmodi cet. Nam facilis sane harum litterarum ITOET et ATQAT fuit permutatio. Tum cum Uict. et Steph. ex codd. paene omnibus (de cod. δ Bakius fortasse errauit) recepi hunc uerborum ordinem eiusmodi leges alias nominare; reliqui eiusm. alias leges nom. Nimirum uerba eiusmodi et alias, ut magis acuantur, leuiore uerbo interposito disiunguntur. Cf. Cic. pro Sest. 58, 124. maximum uero *populi romani* iudicium *uniuersi* consessu gladiatorio declaratum est. de Leg. II, 7. 18. *legum* leges *uoce* proponam. III, 10. 24. *periculi* rationem *sui* non habet. de Or. I, 45. 199. *causarum* usum *forensium*. ib. I, 45. 200. est enim domus iuris consulti *totius* oraculum *ciuitatis*. Nimirum causa eius rei haec est, quod rei grauioris nominari coeptae alia quadam ad sententiam leuiore notione interiecta exspectatio intenditur; quae ipsa efficit, ut disiunctis notionibus animus magis aduertatur. At si leuiori rei nominari coeptae, priusquam plena reddatur, grauior aliqua uox interiicitur legitimo ora-

tionis decursu nondum exspectata, in hac pondus dicendi est. Cic. de Or. I, 10. 44. tua *plurimum* ualeat oratio. ib. II, 9. 33. ab huius *multum* genere distamus. Or. 30, 118. sed habeat omnes philosophiae *notos* et *tractatos* locos. Cat. I, 2. 5. castra sunt in Italia — collocata; eorum autem *imperatorem* castrorum ducemque hostium intra moenia atque adeo in senatu uidemus *intestinam* aliquam quotidie *perniciem* rei publicae molientem. Sumsi haec exempla a Seyff. ad Lael. p. 157, qui tamen ut alia quaedam alterius generis exempla immiscuit, ita in hoc postremo minus recte quotidie uoce insigniendum esse significauit. Dauisius male coniecit eiusmodi alia leges nom. Cf. II. §. 5.

et hoc] Sic Dauisio principe reliqui; superiores haec.

uim habere] Hanc cod. arch. scripturam cum Uict. et Lamb. (reliqui de coniectura non habere) recte Zumptius et Bakius defenderunt. Nimirum sententia haec est: hoc et alià iussa (non omnia, si quidem etiam iniusta esse possunt §. 11. 13.) uim quidem habent ad recte facta uocandi et a peccatis auocandi, ipsa autem uis non modò senior est, quam aetas populorum et ciuitatum, sed aequalis illius caelum atque terras tuentis et regentis dei.

§. 10. neque enim esse] Male Bakius praua codicis sui A auctoritate deceptus alterum uerborum ordinem mens diuina esse in comment. probauit. Sunt haec in eo genere, de quo dixi §. 9. (*esse* mens diuina *sine ratione*). Insignius autem horum efferendorum causa est contraria horum et sequentium uerborum (hanc uim habere) ratio. Quapropter ne id quidem potest probari, quod ex melioribus quibusdam pro habere recepit habet. Sed errorem h. l. in discrepantia excerpenda a Bakio commissum esse suspicor. Mendum in Gd. 2. seruatum (habe) natum est ex habere, non ex habet. De Coclite illo uide Liu. II, 10.

L. Tarquinio] Praenomen cum Turn. et Man. expressi ex mendo codd. meliorum ul, quod quomodo natum sit, aliter intelligi nequit. Nec uerum est, quod Goer. dicit Tarquinii Superbi nomini nusquam praenomen praefigi. Praefigitur sane de Rep. II, 15. 28. Quod ut h. l. Tullius faceret, facilius poterat eo commoueri, quod paucis uerbis interiectis eius filius Sext. Tarquinius nominatur, cuius de facinore cf. de Rep. II, 25. 46.

a rerum natura, quod Bakius improbauit, quia ubique in hac disputatione naturam, non rerum naturam diceret, eo confirmatur, quod Stoici rerum naturam diuino

numine ita perfusam putabant, ut uel deum nominarent; similiterque II, 7. 16. in natura omnium rerum ratio inesse dicitur.

tum denique] Pro particulis tum denique sine causa Bakius cum Dau. substitui uoluit tum demum. Hoc quidem continet notionem rei ante exspectatae, tum denique spectat ad rei finem uel exitum. Itaque saepe uidemus a Cicerone paruo discrimine tum denique usurpari, ubi qui nostram consuetudinem sequitur, tum demum magis exspectet. Cf. Sic. Lael. 22, 84. de Fin. I, 19. 64. III, 22. 76. de Or. II, 77. 315. Caec. 34, 100, ubi Jordan merito Bakii temeritati obstitit. Seyff. ad Lael. p. 489.

orta autem est] Sic ego cum Uict. et Mos. scripsi ex codd. melior.; orta est autem Man. Or. Bakius; orta autem simul est Lamb. Dau. Ern. Wagn. Uoculam est prorsus expulerunt Goer. et Sch.

V. §. 11. Assentior] Assentiendi uerbum particulam ut adsciscit propter leuem quandam effectus significationem, quae scribentis animo irrepsit propter assentiendi et concedendi notiones sibi cognatas. Eandemque ob causam passim eadem particula uerbis aliis adiungitur, quibus adiungi fere solet sententiae declaratio. Cf. Cic. Lael. 19, 68. nouitates autem si spem afferunt, ut tamquam in herbis non fallacibus fructus appareat, non sunt illae quidem repudiandae. de Fin. II, 33. 108. qui probari potest, ut is, qui propter me aliquid gaudeat, plus quam ego ipse, gaudeat. Tusc. III, 3. 5. Madu. de Fin. p. 146. Rectum uere dicit Bakius secundum Stoicos id honestum appellari, quod omnibus numeris absolutum sit Cf. de Fin. III, 7. 24. quae autem nos aut recta aut recte facta dicamus, si placet, omnes numeros uirtutis continent. Off. I, 3. 8. Uerum autem etsi ad iudicandi normam refertur, tamen, quia ad id uita dirigitur, iusti uim asciscit. Exemplis a Bakio laudatis pro Scauro §. 26. pro Tull. §. 53. (uide Beier.) de Or. I, 43. 194. ad Fam. I, 8. 2. II, 17. 4. adde haec: de Leg. II. §. 14. pro Mur. 35, 74. pro Dom. 8. fin.

ergo ut illa est] Deprauati h. l. sunt codd. meliores, quorum pars et quod (cf. l. §. 52) pro cum et perfectum habet pro perfecta, omnes carent uerbo est, quod deesse non potest. Etenim sic comparationem absolui patet: Quemadmodum diuina illa mens summa lex est, ita, cum in homine est perfecta (sc. lex), est mens sapientis uel, quod idem est, est in mente sapientis; idque post Manut. et

Rathium (probauit etiam Turn. in comment.) denuo demonstrauit Madu. in Emendatt. p. 63. Quem merito secutus est Orellius, male Bakius deseruit, quia, quid perficeretur in homine, non intelligeretur; nam mentem non posse intelligi. Nimirum ex praecedenti summae legis notione speciali auditur generalis legis. Recte autem uel homini legem tribui, declarant et haec (II. §. 8): ex qua illa lex — recte est laudata et illa (I. §. 18) eadem ratio — lex est; quoniamque lex h. l. nihil aliud est, quam ratio, non minus recte perfici dicitur, quam I. §. 18. confirmari et confici dicitur ratio. Itaque nec coniectura ulla potest probari, ut Turnebi in primo comment.: ita quod in homine est perfectum, est in mente sapientis; Lambini: item perfecta lex est, cum in homine est perfecto et in mente sapientis; Bakii: item cum in homine est, profecto in mente sapientis est, nec recte perfecta referri patet ad uerba est in mente sapientis in hunc modum: item cum in homine est, perfecta est in mente sapientis, quemadmodum post Uict. haec uerba distinxerunt Ern. Wagn. Goer. Sch. Mos. itemque Dauisius, qui praeterea ita scripsit pro item, cuius mutandi causa nulla est. Cf. Cic. Ac. II, 13. 42. ut enim de sensibus hesterno sermone uidistis, item faciunt de reliquis. Exemplorum copiam congessit Handius Turs. III. p. 512.

narie i. e. quod nos dicimus bald so, bald so, ut non certam naturae normam secuti uideantur.

descriptae] In cod. arch. descriptae fuisse ueri simile est, non descripta, quod Uictorio excepto et Lbino, quorum hic ad tempus scriptae, populi fauore, ille ad tempus descriptae, populi fauore, reliqui omnes sunt amplexi *). Uerum cum et legis notio antecedat et mox leges denuo commemorentur, cur pronomen non ad sequentem legum notionem referri nec ad eius nominis genus accommodari possit, ego non intelligo. De locutione leges describere uide quae mox disserentur.

fauore magis, quam re] Fauor is est, quem homines legibus tribuunt ea isto nomine appellantes, quae cum ipso iure non consentiant. Nihil igitur erat, cur Krausius in progr. p. 6. corrigeret ea more; nec probabiliter Dau. pro re coniecit iure. Res (Wirklichkeit) recte opponitur fauori, ut de Nat. Deor. III, 21. 53. opinioni. Cf.

*) ad tempus scriptae populis Zumptio placuisse nunc uideo.

etiam pro Sest. 33, 71, quo loco re egregie contra Madu. tuetur Halmius.

uitamque hominum] Progreditur ab angustiore ciuium notione ad latiorem hominum. Male igitur cum Car. Steph. et Lbino Bakius omnium probauit.

inuentas esse] Post Uict. Lamb. Dau. denuo nostra aetate Zumptius probauit conditas. At agitur de prima uniuersarum legum inueniendarum consilio, a quo mox secerni certarum legum sanciendarum negotium uere Bakius animaduertit.

nominarunt] Codicis arch. mendum nominarent a Steph. et Manutio expressum miror probatum esse a Maduigio in Emendatt. p. 64. Nulla est enim h l. attractionis significatio, qualem deprehendimus apud Cic. Tusc. I, 30, 73. (itaque commemorat, ut cygni, qui non sine causa Apollini dicati sunt, sed quod ab eo diuinationem habere uideantur, qua prouidentes quid in morte boni sit, cum cantu et uoluptate moriantur: sic omnibus bonis et doctis esse faciendum). Aut necti hanc sententiam oportuit ex uerbo constat aut a reliquorum connexu uindicatam per se efferri. Et hanc quidem rationem, quae ipsa uocula uidelicet commendari uidetur, post Uict. et Lamb. secuti sunt praeter Bakium reliqui (eas leges uidelicet nominarunt sc. legum latores). Coniunctiuo genus legum sanctarum describitur. Cf. I. ad §. 2. II. §. 16. Illam si sequereris rationem, nominasse scribi oporteret, quod mutatum esse in nominarent parum probabile est. Bakium, qui coniecit nominare, ut non primi illi legislatores, sed legislatores in genere dicerentur, hoc fugit tum in generali sententia, quae omni tempore ualeat, scribi oportuisse sancta sint. Male Dau. coniecit ea leges. Uide ad II. §. 5.

iussa descripserint] Quia iura describere recte diceretur, non item iussa describere, quidam, ueluti Ern. Mos., iussa deleri uoluerunt, Bakius hoc retento commendauit scripserint. Sed recte cum populo iura describere dicatur, qui quid ei ius esse uelit, constituit (pro Sest. 42, 91. neque naturali neque ciuili iure descripto), quidni recte dicatur legem populo describere is, qui quam legem a populo haberi uelit, constituit. Similiter certe utroque legis et iuris uocabulo coniuncto dicit de Or. III, 20. 76. mores, leges, iura describat itemque I. §. 17. descripta iura et iussa populorum. De industria autem h. l. iussa, non leges uidetur dixisse, ut luculentius uim eorum in eo solo cerni

declararet, quod iuberentur; eademque de causa I. §. 43. dixit iussa populorum et coniunxit iura et iussa I. §. 17.

nomine legis interpretando i. e. Bakio interprete in ipso nomine legis, si interpreteris. Nam casus obliquos part. fut. pass. usurpari constat pro casibus obliquis part. imperf. pass. Ernestio sine causa interpretando displicuit.

ueri legendi] Quod ex plerisque codd. dett. translatum est in A iuris colendi, merito praeter Uict. et Lamb. nemo probauit. Et uerba praecedentia (in ipso nomine legis interpr.) et ea, quae I. §. 9. posuit (nos delectus uim in lege ponimus) uerum esse arguunt legendi, quod est in quibusdam codd. melioribus; nec tamen iuris legendi, quod a Bakio excerptum est ex cod. δ probaruntque post Turn. Man. Dau. reliqui, recte se habet. Non enim ius ipsum legitur, sed id, quod iuri consentaneum est. Et monstrant sane menda uel meliorum (uim legendi) uel deteriorum quorundam (iurulenti — uirulenti) aliam emendandi uiam, quam egregie primus Bakius iniit coniiciens iusti et ueri legendi. Cf. quae de hac huius adiectiui ui dixi II. §. 11.

§. 12. ut illi quaerunt sc. Stoici. Quaerere, ut Graecorum ἐρωτᾷν, dicitur de syllogismo per interrogationem effecto, quemadmodum alibi dicitur interrogare et interrogatiuncula. Cf. Madu. de Fin. I, 11. 39.

quo si ciuitas careat] Haec in eo genere sunt, de quo dixi I. §. 62. Ad nostram consuetudinem si haec accommodare uelles, sic dici oportuit: id estne numerandum in bonis, quo ciuitas, si eo careat, nullo sit loco habenda. Sine causa Bakius his: quod eo careat interpretamenti suspicionem admouit.

estne ob ips.] Recte cum Steph. Man. Lamb. Dau. Maduigius progr. p. 9. et Bakius meliorum codd. scripturam estne reuocarunt, cum post Uictorium Ern. Wagn. Goer. Sch. Mos. Or. ex dett. quibusdam codd. anne recepissent, „quia", ut Goer. ait, „estne non ponitur in interrogatione negationem innuente"; quae eo tantum nomine Moserus reprehendit, quod latine non esset oratio, ceteroquin probauit. At nec exspectatae negationis significationem fieri (quippe ipsa negatio expressa est) nec particulae anne nisi in altera bipartitae interrogationis parte locum esse uere Bakius animaduertit. Uide Zumpt. ad Verr. p. 725. Similiter estne sine ulla aut negationis aut affirmationis exspectatae significatione dicitur de Fin. II, 3. 9. A. G. Zumptius

sine ulla idonea causa et h. l. coniecit nonne ob id ipsum et ante nonne numerandum in bonis.

ob ipsum] Pro eo, quod in cod. arch. fuit, de Lbini coni. reliqui praeter Gzium omnes ob id ipsum receperunt idemque, ut mihi quidem uidetur, parum recte probauit Madu. de Fin. p. 302. Sed nihil sane Gzius profecit, qui „*id* ante *ipsum* inseri, inquit, tam parum necesse fuit, ut infinita ueterum loca doceant pron. *ipse* pro *is ipse* recte dici". Ueri inueniendi uiam ipse Madu. muniuit, qui l. l. pron. ipse non addito pronomine demonstr. usurpari demonstrauit, si aut sua sponte persona, ad quam ipse referretur, eius qui loqueretur uel audiret animo satis occurreret aut sequente sententia relatiua describeretur. Addi oportuit ita id fieri, ut id, quod praedicetur, non significetur in eum ipsum cadere, de quo agatur, quouis alio excluso; idque et ipse Madu. uidetur sensisse et exemplis ab eo allatis satis perspicitur. Ex magna eorum multitudine haec depromere lubet. Cic. de Fin. II, 26. 82. mihi enim satis, ipsis non satis. ib. V, 1. 2. cuius etiam illi propinqui hortuli non memoriam solum mihi afferunt, sed ipsum uidentur in conspectu meo ponere. Verr. V, 41. 107. non quo ipsum — quisquam supplicio — dignum putaret (sic recte codd. auctoritate Zumptius edidit; reliqui illum ipsum). de Fin. V, 14. 39. in ipsa (in uite) enim satis magna uis inest. Merito Madu. intercidere sententiam dixit, si scriberetur in ea ipsa. Hoc enim sic dicitur, ut quaeuis alia res excludatur, illud ita, ut in ipsa sit, non extrinsecus. ibid. I, 5. 13. quam (Epicuri rationem) a nobis sic intelliges expositam, ut ab ipsis, qui eam disciplinam probant, non soleat accuratius explicari. de Or. I, 58. 250. quamquam ipsi omnia, quorum negotium est, consulta ad nos et exquisita deferunt (non ii ipsi, ut quiuis alii excludantur). de Or. II, 14. 60. quae ipsi, qui scripserunt, uoluerunt uulgo intelligi. ibid. II, 51. 208. quod ipsis, qui audiunt, perniciosum aut utile sit. Quod autem de masculino et feminino pronominis genere ualet, idem ualere necesse est de genere neutro. Recte igitur de Leg. I. §. 50. dicitur: idenim in iustissimum ipsum est iustitiae mercedem quaerere (potest enim per pron. monstrari qui sequitur infinitiuus), nec tamen repudiandum est, quod de Fin. II, 28. 93. codd. omnes tenent: iam ipsum absurdum maximum malum negligi. Sequitur enim infinitiuus, ad quem pron. referatur et ipsum maximum

malum negligi in eam sententiam dicitur, ut sit maximum malum negligi per se absurdum est: quam sententiam flagitant ea quae sequuntur uerba: sed quae praeterea ratio est? Recteque se habet, quod dicitur ad Fam. VI, 19. 2. si modo ipsum sciet; est enim: wenn er es nur überhaupt weiss. Uide etiam ad Att. XII, 14. 3. X, 14. 3. At iure de Diu. II, 58 119. de coniectura editum est: et id ipsum esse dormire; monstrari enim oportet id, quod praecedit, labi atque concidere animum. Ad nostrum autem locum ut reuertar, ob ipsum sc. lege carere hanc uim habet: ob solam legis defectionem (wegen des blossen Fehlens i. e. bloss darum, weil er kein Gesetz hat), ita ut nihil aliud accedat, cur nullo loco ciuitas sit habenda. Cf. de hac huius pron. ui Seyff. ad Lael. p. 113. Ob id ipsum hanc uim haberet: gerade darum, weil er kein Gesetz hat. Cur Germanis nobis neutrum pronominis genus minus ferendum esse uideatur, cum masculinum et femininum non moleste feramus, eius rei causa haud scio an hinc sit repetenda, quod masculino et feminino facile leniorem illam pronominis formam er, uel sie adiungimus, neutri generi non leuius illud es, sed pron. demonstr. adhibere solemus.

§. 13. multa perniciose, multa pestifere] Sic codd. meliores. Bakius creditam a se auctoritatem codd. AB 11.65. secutus cum Uictorio adiectiua perniciosa — pestifera restituit, quia aduerbia ab hoc loco aliena esse diceret. Uerum quemadmodum salutariter aliquid sciscere (et similiter dicitur Brut. 2, 3. salutariter armis uti) est ad salutem populi aliquid sciscere: ita perniciose sciscere est sciscere ad populi perniciem. Quod autem ad perniciem populi sciscitur, id ipsum perniciosum est. Itaque Brut. 9, 36 cum primum aduerbiis usus dicere sic instituisset: nihil acute inueniri potuit — nihil, ut ita dicam, subdole, nihil uersute, mox adiectiuis utens sic pergit: nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum sc. inueniri potuit; nam male ibi Peterus erat dixit supplendum esse.

latrones] Hanc Lipsii coniecturam prorsus necessariam ab aliis iam ante esse tentatam apparet ex Turnebi comment. primo, in quo haec posuit: „quidam quam si latrones aliquas consensu habent". Opportune Bakius meminit Xen. Mem. I, 2. 43. Plat. Gorg. p. 489. C. Cic. de Off. II, 11. 40. quin etiam leges latronum esse dicuntur, nisi forte Catilinam eiusque latronum seruorumque caternam petiit. Cf. III. §. 45. et Par. IV, I. §. 27.

Ita si haec intellexeris (et ita me malle fateor), ne id quidem, quod sequitur substantiuum concessu mutari potest in consessu, quam Lipsii coniecturam Gronou. reliqui probarunt. Nam latronum quidem uniuersorum consessus cogitari potest, eorum, qui Catilinam sectati omnia eius consilia in foro perficiebant, minus recte consessus quam congressus in foro dicitur. At concessus hanc in sententiam nusquam dicitur. Accipio; sed hoc dico, idem in alia uerba cadere, quae nemini in mentem ueniat tollere, nec analogiae hunc huius uocabuli usum esse contrarium. Denique in promtu est ratio, cur hoc potissimum loco sit usurpatum. Scilicet congressum forensem significare uoluit insolentem ac libidinosum, quod concilium nominare nec potuit nec uoluit.

aliquas] In eo, quod utroque modo recte dicitur (nam pron. et ad multa et propter praecedens legis uocabulum ad leges referri potest) potiorem codicum auctoritatem secutus cum Bakio aliquas reuocaui. Steph. Man. Gron. reliqui aliqua.

possunt] Quod in cod. arch. fuit possent, id ita tantum posset probari, si deinde corrigeretur conscriberent, quod nec per se probabile est nec fieri potest propter ea, quae sequuntur fuerit — acceperit. Nec uero probabilem esse correctionem possint ex dett. quibusdam codd. excerptam et a Goer. Sch. Mos. Or. probatam, intelliget, qui, non quod adhuc uulgatum est conscripserint, sed quod primus Bakius edidit conscripserunt, ex cod. arch. restituendum esse cognouerit. Nam dubitationi ita multo minus locum esse patet, ut uere Bakius commendauerit coniecturam possunt, iam olim tentatam. Uide ann. crit. Transit isto modo Tullius a sumtione rei reuera factae (si — conscripserunt) ad sententiam generalem (etiam si — acceperit). Nam si eo, quo instituit modo orationem uellet absoluere, sic eam absolui necesse fuit: „neque in populo lex appellari potest, quicquid populus accepit, etiamsi perniciosum aliquid accepit“. Sed relatiua sententia, quae subiecti locum tenere debebat, per attractionis quoddam genus applicatur uerbo legis uim eius quam maxime dilatans; atque haec ipsa generalis sententia (cuicuimodi fuerit illa) effecit, ut reliqua generaliter pronuntiaret (etiamsi pern. aliq. pop. acceperit). Ern. et Wagn. temere particulam etiam, per quam recte ascenditur ad maius, deleri iusserunt, Rathius sic transponi: nec etiam in pop. lex — si pern. cet. Gzius haec: etiamsi pern. aliq. pop. acceperit, Schuetzius omnia

illa: neque in populo — acceperit a Cicerone abiudicauit. A. G. Zumptius, quia parum recte de codicum dignitate sentiebat, optimos sibi codices sequi uisus deteriorum commendauit correctionem cui quid mali fuerit, ulla; quam in Schneid. Phil. p. 176. Halmius leuiter sic immutauit: cui quid mali fuerit, ulla est in hanc sententiam: „neque in populo lex ulla, quae aliquid mali in se habeat, lex putanda est, etiamsi populus ipse rem perniciosam suo consensu acceperit aut suffragiis sanxerit". At ascenditur a lege, cuicuimodi est, ad scitum perniciosum, non a lege a quocunque lata ad legem ab ipso populo sancitam. Cuicuimodi et Priscianus p. 959. ed. Putsch. annotauit a Cicerone pro cuiuscunque modi usurpatum esse et locis pluribus codicum auctoritate firmatur. Aliis locis recte a uiris doctis pro eo, quod plerumque codices tenent cuiusmodi, restitutum est. Cf. Cic. pro Rosc. Am. 34. init. Tusc. V, 41. 121. ibid. III, 34. 83. Ellendt ad Cic. de Or. III, 24. 94. et Zumpt. ad Verr. V, 41. 107, quorum tamen uterque iniuria dubitat, num cuicuimodi usquam in codd. liquido scriptum sit. Cf. etiam quem Bakius laudauit Madu. ad Fin. III, 9. 30. Ceterum fuerit, ne quis cum Zumptio pro coniunctiuo perfecti habeat in eoque offendat, est fut. exactum, quod in hac generali sententia non minus recte se habet, quam deinde acceperit.

iustorum iniustorumque distinctio similiter dicitur atque I. §. 19. iuris et iniuriae regula.

VI. §. 14. Igitur tu Titias] Pro cod. arch. mendo tutias in Steph. et Lamb. editt. expresso de Manutii, qui titias coniecit, et Augustini, qui pronomen addidit, coniectura inde a Grut. et Dauisio recte scripserunt igitur tu Titias. Pronomen ut addatur et ipsa mendi forma suadet et pron. pers. grauiter deinde in Quinti responso elatum (ego uero cet.). Et quod Bakius isti coniecturae hoc fortasse dixit obstare, quod postpositum esset pronomen, cum cum emphasi additum praeponi oporteret, igitur praepositum est propterea, ut magis concludendi uis ad totam sententiam pertinens, quam personae notio eluceret. Cf. Seyff. p. 261. Turnebus parum probabiliter commendauerat Sempronias, Pithoeus in Adu. II, c. 2. Turias, Lbinus Sulpicias, alii Seias. Sext. Titius, Appuleii familiaris et adiutor, quem Cic. Brut. 62, 225. seditiosum tribunum plebis et de Or. II, 11. 48. seditiosum ciuem et turbulentum uocat, tr. pl. a. 655 legem agragriam tulit, quae quia non iure rogata putabatur, decreto augurum sublata est. Cf. II, §. 31. Jul. Obseq. c. 45. Utrum aliás

etiam leges populares tulerit, non constat. Ex hoc certe loco id colligere non licet, si quidem Titiae et Appuleiae leges sunt leges Appuleii et Titii. Qui quamuis lege agraria apud plebem gratiosus esset, tamen quia Saturnini imaginem domi suae habuerat, condemnatus est. Cf. Cic. pro Rab. 9, 24.

L. Appuleius Saturninus, quem omnium seditiosorum post Gracchos eloquentissimum Brut. 62, 224. dicit, a. 654. iterum tr. pl. plures Mario auctore tulit leges populares, agrariam, frumentariam, de maiestate. Publice interfectus est eodem anno cum Seruilio Glaucia praetore.

M. Liuius Drusus tr. pl. a. 632. primum senatus auctoritatem contra C. Gracchum tuendam susceperat plebemque a Gracchi studio auocauerat. Postea uero cum ad plebem conuersus praeter alias leges populares, agrariam, frumentariam, iudiciariam, legem etiam ferret de ciuitate sociis danda, Philippo consule auctore a. 663. omnes eius leges, quia contra auspicia latae essent, sublatae sunt. Male igitur haec: uno uersiculo senatus pertinere putant ad formulam illam: uideant coss., ne quid cet. Ipse quia ciuitatis sociis impertiendae ingentes contentiones faciebat (incertum, a quo percussore) in atrio domus suae confossus est. Cf. Asc. in Corn. p. 68. in Scaur. p. 21. Schol. Bobr. pro Mil. p. 282. App. B. C. I, 35. 36.

a duobus uobis] Reuocaui hunc uerborum ordinem ex codd. melioribus cum Uict. Steph. Man. Bakio; in reliquorum scriptura a uobis duobus uis numeralis nimis attenuatur. Cf. Cic. ad Fam. VII, 25. 2. praeter duo uos loquitur isto modo nemo. de Leg. III. §. 15. de tribus nobis.

id mihi credo] Sententia per part. ut inchoata, ut legitime absolueretur, in apodosi flagitabat particulam ita uel item. Sed pluribus uerbis interiectis, tamquam principio scripsisset quod uir doctissimus — fecit, usus est pronomine demonstratiuo, quemadmodum similiter dixit de Off. I, 1. 1. ut ipse ad meam utilitatem semper cum graecis latina coniunxi — idem tibi censeo faciundum; eiusque usurpandi uel haec causa fuit, quod facilius pronomini quam particulae epexegesis adiungitur, quae sequitur: ut priusquam — dicam. Itaque nec Ern. coniectura opus est item nec Dauisii ita, nec recte denique Wagnerus pronomen abundare dixit. Lbinus uero et temere codicum auctoritate neglecta et inepta sententia haec coniecit: atque ut uir doctissimus Plato atque idem grauissimus omniumque princeps de re publica conscripsit idemque separatim de legibus

eius: item mihi credo esse faciundum. Quod Plato autem princeps i. e. primus de re publica et legibus scripsisse dicitur, cum plures ante eum eandem causam tractasse constet, ut Hippodamum Pythagoreum de re publica, Archytam de lege, id non magis h. l. potest offendere, quam quod III. §. 14. a Platone eiusque familia ciuiles illas disputationes manasse dicit. Nimirum leuiores illos scriptores neglexit. Bakium, qui totum hunc locum Plato — dicam foedissimis interpolationibus inquinatum putat, refutare nihil attinet.

etiam pro et, quod adhuc uulgatum est, cum Bakio restitui.

cum quidem] Male pro hac cod. arch. scriptura, quae uel mendo confirmatur codd. meliorum cum quidam, Goer. Sch. Or. nulla codd. auctoritate scripserunt quamquam quidem. Nam etiamsi uerum sit in cod. Br. esse quamquam: tamen ista correctio est, ne per se quidem probabilis. Non potest enim ipsa exceptio insigniri recteque Bakius, si quid in his insigniri uelimus, id dixit insigniri oportere, quod specialiter excipiatur (quamquam illi quidem), ut Cic. de Fin. III, 2. 8. quamquam hoc quidem proprium tuum munus est. ibid. I, 1. 2. quamquam philosophiae quidem uituperatoribus. Recte uero cum particula, siue causae est index siue temporis, insignitur, ut sit da, als nämlich. Cf. Cic. de Diu. I, 33. 72. cum quidem C. Postumius aruspex oraret illum. Nep. VIII, 2. XXIII, 2. XXIV, 2. Deinde scripserunt, pro quo Dau. Goer. Sch. Mos. Or. ex deterioribus quibusdam codd. receperant conscripserunt, temere Bakius cum Steph. et Man. mutari uoluit in scripserint. Etenim part. cum h. l. temporis est index. Jam etsi sententia illa secundaria cum quidem illi cet. arctissime nexa ex primaria ita conformari potuit: cum quidem illi — scriberent; tamen nec necesse id fuit, nec Ciceronem id facere uoluisse inde apparet, quod perfecto tempore usus est. Externo igitur quodam uinculo secundaria sententia continetur cum primaria, ut de Off. I, 13. 40. maximum exemplum est iustitiae in hostes a maioribus nostris constitutum, cum a Pyrrho perfuga senatui est pollicitus, se uenenum regi daturum et eum necaturum. Jam si, cur haec Cicero addiderit, quaeris, addidit nimirum propterea, ut hoc prooemium legis non solum ornatui esse, sed etiam usum quendam ciuilem habere intelligeretur.

quos imitatus] Haec omnia quos imitatus —

minis cogere insititia Bakius duxit eam potissimum ob causam, quia nec Plato nec alius quisquam alia persuadenda, alia cogenda esse dixisset. Quam sententiam ne Cicero quidem his uerbis subiecit, et potius hoc dixit, ad iubendum (nam hoc est ui ac minis cogere) accedere oportere persuasionem, id quod prorsus consentit cum eis, quae Plato disputauit de Legg. p. 722. B. Reliqua, quae Bakio molestiam pararunt, sunt etiam leuiora et facile sua sponte concidunt, ueluti cum uerba quid, quod — Timaeus illis uerbis interpositis negat referri posse ad illa superiora quod idem etiam Zaleucum cet. Ceterum hoc ipsum legis prooemium, quod et Cicero appellat §. 17 et Plato appellauit, distingui oportet ab eis, quae modo de ui ac nomine legis disputauit. Illa quidem disputans hoc spectauit, ne in scribendis legibus ueram ac propriam legis uim omitteret, hoc legis prooemio id sequitur, ut ciues ne putent legem arbitrariam ac uiolentam esse, sed ab ipsa natura ac ratione profectam, lubentesque ut ei obediant.

§. 15. Timaeus Tauromenites, qui historiis res Graecorum siculorum italicorum usque ad annum 264. a. Chr. complexus est, reprehendendi ille acerbitate et maledicentia insignis (cf. Ellendt ad Cic. de Or. II, 14. 59.) Theophrastum quoque reprehenderat, quod Zaleucum, istum Locrensium legislatorem (cf. I. §. 57.), fuisse dixerat. Uide ad Att. VI, 1. 18.

At Theophr.] Locus conclamatus interpretatione, non emendatione eget. Sententia requiritur haecce: „at Theophrastus, qui quidem mea sententia auctor est Timaeo haud deterior et quem multi etiam (Timaeo) meliorem uocant, fuisse affirmat". Quam ipsam sententiam contineri puto scriptura codicum. Nam praecedente negandi uerbo saepe in altera sententia audiri constat uerbum affirmandi. Quod non ita tantum, si aut negatiua aut aduersatiua sententia sequatur (cf. Tusc. V, 40. 116. nostri graece fere nesciunt nec Graeci latine sc. sciunt. Off. III, 2. 9. negant eum locum a Panaetio praetermissum, sed consulto relictum sc. aiunt), sed durius ita etiam fieri docet Madu. de Fin. p. 189, si aut continuetur oratio aut partitio fiat. Cf. exempla ab isto laudata haecce: de Fin. I, 18. 61. II, 21. 68. IV, 9. 22. Hoc igitur nihil noui habet, quod ex negandi uerbo audiri oportet uerbum affirmandi, praesertim addita part. at; illud insolentius, quod non, ut plerumque fieri solet, obiecto quod uocant nominato solum uerbum est audiendum, sed uerbum cum ipso obiecto; audiri enim oportet

fuisse affirmat. Sed et sua sponte hoc audiri elucet, et commemorant, quod sequitur et quod ad sententiam idem est atque fuisse dicunt, eandem ante a Tullio sententiam mente conceptam fuisse indicat. Denique excusationem dicendi quae inde existit duritia hinc habet, quod uerbis auctor haud deterior *) primum additur restrictio mea quidem sententia istique ipsi, quid alii iudicent, adiungitur, ut uerbi ultimo loco ponendi non iam esset opportunitas. Quod Bakius autem uerba mea sententia alibi reliquis uerbis interponi dicit (de Or. II, 13. 56. ibid. 23, 95. ibid. I, 27. 122. de Leg. II, 21. 52.), id, etsi uerum est, non tamen nostram interpretationem infringit. Postremo enim loco sunt collocata, quia opposita sunt illis: meliorem multi nominant; similiterque ista cum ui quadam praeponi arguunt loci ab ipso laudati de Or. I, 57. 243. Off. I, 11. 35. mea quidem sententia paci, quae nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum. Cum igitur non opus sit coniectura: tamen quae mendi, quod credebatur, tollendi causa uiri docti excogitarunt, ut cognoscant curiosi, uarias uirorum doctorum coniecturas enumerabo. Lipsius in Uarr. Lectt. II. c. 11. coniecit: at Theophrastus, auctor haud deterior, mea quidem sententia melior, eum multis nominat; Dauisius: at Th., a. h. det., mea quidem sent. melior, eum et multi nominant; Pearcius: at Th., a. h. det. m. q. sent., (meliorem multi) nominat; Ernestius: at Th., a. h. det., m. q. sent. melior. eum (sc. Zaleucum) multi nominant, comm. uero; Wagnerus: at Th. a. h. det., m. q. sent. melior, et multi eum nominant; Schuetz. cum uiro docto in Misc. Obs. IV, 3. p. 330. at Th., a. h. det., mea q. sent. melior multo, nominat; Wopkensius in Lectt. Tull. p. 57: ait Th., a. h. det. m. q. sent., meliorem multi nominant, id quod Goer. probauit, qui ante tamen in edit. min. coniecerat, quod Rathio probatum est: at Th., a. h. det., m. q. sent. melior etiam multo, nominat; Hand in Lectt. l. l.: at Th., a. h. det, m. q. sent., meliorque multis, nominat; Bakius denique: at Th., a. h. det., m. q. sent. melior multo: comm. uero cet.

nostri clientes] Non solum singuli, sed totae urbes gentesque patronos ciues romanos habebant, qui ipsorum

*) in uerborum contextu post Theophrastus commate interpungi oportet.

iura tuerentur Romae, ut Sicilia Marcellos (Cic. Verr. III, 18. 45.), Allobroges Fabios (Sall. Cat. 41.); Sidicini et Puteolani Cassium et Brutos (Cic. Phil. II, 41. 107.). Sic Locrenses in Bruttiis patrono utebantur Cicerone. Cic. pro Planc. 41, 97.

VII. a principio id est, quod nos dicimus von vorn herein. Cf. Cic. Brut. 42, 157. dixeram a principio, de re publica ut sileremus. de Diu. I, 52. 118. Similiter a primo dicitur. Cf. Madu. de Fin. p. 401. Male igitur Bakius praep. a sine iusta codd. auctoritate cum Man. et Dau. omittendam putauit. Nec uoculae iam omittendae (omiserunt autem post Dauisium excepto Bakio omnes) causa ulla est. Deinde non necessaria est Bakii correctio deorum pro eorum.

ui, ditione, numine] Deteriorum codd. correctionem eorum geri iudicio ac numine parum recte cum Uict. et Lamb. probarunt Goer. Sch. Mos. Or., si quidem iudicando, quid uerum sit, eruitur, non actio dirigitur. Itaque certe consilio dici oportuit. Nec uero probabile est, quod itidem ex dett. quibusdam codd. excerptum placuit Steph. Dau. Ern. Bakio geri ditione ac numine. Mendum enim cod. arch. iudicione ac numine, et in melioribus codd. seruatum et confirmatum correctione deteriorum iudicio ac numine, quae isto modo non esset tentata, nisi uocabulo ditione in cod. arch. aliquid esset praefixum, hoc igitur cod. arch. mendum ad correctionem ducit, quae Turnebo placuit, Manutio, Wagnero, ui ditione. Qua probata tolli necesse est part. ac, quam illi retinuerunt quaeque iam in cod. arch. addita est duobus uocabulis conflatis in unum, similiter ut et additum est II. §. 21. (agros et templa), et II. §. 28. uocula non expulsa (uirtutes enim et uitia), itemque ne I. §. 54. (a in tandemne). Nam in hac rhetorica nominum cumulatione adiunctiuae particulae locum non esse assentior Maduigio in Opusc. I. p. 333. Denique ne quem, ut Gzium et Moserum, ista offendant ditione numine geri, praeter Cic. orationem, quam habuisse dicitur, antequam in exilium iret 10, 24. confer Plin. Pan. 4. (cuius ditione nutuque maria terrae, pax bella regerentur) et Cic. pro Quint. 30, 94. (si fas est respirare P. Quintium contra nutum ditionemque Naeuii); quo exemplo perperam Gzius negauit istorum uerborum coniunctionem h. l. confirmari, quia ditio illic inuidiose dictum esset, quasi uero inuidia in uerbo sit, non in re.

§. 16. aut a uera] Correctionem in codd. deterioribus tentatam ego nullam probo, nec eam, quae Dau. Ern. Wagnero placuit ac uera, nec eam, quam post Lbinum Bakius probauit et uera (rei utilis et uerae notiones, quia utrumque deinde separatim disputat, addita praepositione a disiungi necesse est), nec denique eam, quam plerique receperunt et a uera. Quae etsi per se ipsa uera est, non tamen illam in cod. arch. fuisse ueri est simile, sed mendum aut auersa, unde in codd. AB 11. 65, quod idem Uict. habet, merito effectum est aut a uera; nam aut saepe ita usurpatur, ut in locum alicuius rei substituatur aliquid, quo distinctius res, quam declarare uolumus, declaretur. Cic. Brut. 44, 162. erit, inquit Brutus, aut iam est iste, quem exspectas? de Fin. V, 20. 57. quos utilitate aut uoluptate dirigunt. de Fin. V, 11. 33. Stuerenb. pro Arch. 1, 1. Hand Turs. I, p. 539. (A part. uel ita aut differt, ut hoc rem aliquam in locum rei, illud uerbum in locum uerbi substituat). Itaque utilem esse istam sententiam non tollitur, sed quia utilitatis notio non explet animum, aliud quid in eius locum substituitur, quo accuratius sententiam declaret. Cui rationi consentaneum est, quod deinde primum disputat de ueritate.

quid est enim uerius] Idem argumentum et a Tullio tractari de Nat. Deor. I, 31. et a Socrate apud Xen. Mem. I, 4. 8. Wyttenb. indicauit.

quae uix — moueri putet] Uerborum comprehendat nulla ratione in cod. arch. omittendorum causa haec fuit, quod oculus librarii a priore rationis uocabulo aberrauit ad posterius. Cf. I. §. 46. Quis primus ista restituerit, nescio; expressa iam sunt in uett. editt. Ingenii ratione, pro quo male Dau. ingenii contentione, Mos. ingenii intentione uel acie, Rathius denique quae uix summa ingenia ratione comprehendant coniecit, dixit, ut hominis ratio distingueretur a ratione uniuersa per totum mundum diffusa, i. e. diuina. Pro homine autem notione magis definita dixit ingenium hominis, quo ratio continetur. Equidem haec sic uerterim: oder dass er glaube, es rege sich in dem, was er kaum mit der aufs Höchse ausgebildeten ihm inwohnenden Vernunft begreift, keine Vernunft?

cogunt] Cum Uict. Steph. Man. Bakio potiore codicum auctoritate reuocaui cogunt; reliqui cum paucis codd. dett. cogant. Saepe Romani rei definitionem in sententia negatiua per se conceptam indicatiuo modo efferunt. Cic. Ac. II, 7. 22. quid quisquam meminit, quod non

animo comprehendit et tenet? Par. I, 14. quicquamne bonum est, quod non eum, qui id possidet, meliorem facit? Lael. 16, 59. Imperite Bakius paullo ante pro quemque ea, quae coniecit quem quae.

numerari] Primum qui necessaria est mendi correctio tentata in quibusdam codd. dett. Male Bakius quid commendauit. Quemadmodum negando diceretur nullo modo, non nihil decet: ita interrogando quomodo uel qui dicitur, non quid. Hoc ad euentum, illud ad dicendi modum spectat. Deinde cum et numerare et numerari recte dicatur, potiori codicum auctoritati obtemperans cum plerisque scripsi numerari; Uict. Lamb. Ern. Wagn. numerare.

praestent iis, quae cet.] Mendorum praesentiis quae et experti easque prorsus necessaria est correctio et probata ab omnibus. Probari autem non potest, quod contra codd. de Gzii sententia reliqui scripserunt quae sunt rationis. Uerbi modum in sententia relatiua propter leuem quandam significationis inclinationem non ita raro uariari constat. Cf. Cic. de Or. I, 52. 226. quae (uirtus) et semper et sola libera est quaeque — suum ius atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debeat. Or. 24, 81. sententiarum ornamenta, quae permanent, etiamsi uerba mutaueris, sunt illa quidem permulta, sed quae emineant, pauciora. Ac. II, 36. 115. utrum igitur nos impudentes, qui labi nolumus, an illi arrogantes, qui sibi persuaserint se scire omnia? de Nat. Deor. I, 11. 28. de Rep. I, 2. 3. Verr. III, 3. 6. V, 40. 104. de Or. II, 26. 111. pro Rosc. Com. 15, 45.

has opiniones] Hunc uerborum ordinem merito Bakius reuocauit, cum Ern. Wagn. reliqui scripsissent opiniones has.

quantae saluti] In cod. arch. procul dubio fuit salutis. Quod qui defendere conantur talibus quibusdam exemplis: imperium rom. initio conseruandae libertatis fuerat, ineptiunt. Genitiuus nihil nisi qualitatem, quam uocant, significaret, ut quantae salutis esset quam saluus. Merito igitur post Lamb. et Dau. nuper Bakius, praesertim cum s littera sequens facile praecedenti uerbo adhaerere posset, saluti restituit. Idem Zumptio placuisse uideo.

iudicibus] Inepte Bakius collato c. 10, 25. coniecit uindicibus.

§. 17. hoc] Pronominis delendi, id quod nec Orellio displicuit nec Bakio, ego causam nullam uideo.

in hoc adm. del.] Delectari in re Cicero dicit et ad Fam VI, 4. 4. (in hac inani prudentiae laude delector) et de Fin. I, 11. 39. (illum in hac interrogatiuncula esse delectatum) non causam, qua quis delectetur, sed rem significans, in qua existat delectatio; eundemque in modum praep. in cum aliis uerbis adiungitur, tum laetandi (Cic. Phil. XI, 4 9.), gloriandi (Nat. Deor. III, 36. 87.), admirandi (de Or. I, 11. 47.).

dissimile] Uoculam est, a Steph. iam praetermissam, ob maiorem codd. auctoritatem merito Gzius, reliqui deleruut.

uelle fortasse] Quod ante Bakium uulgatum est uellem fortasse nec per se aptum est et nititur dett. tantum codd. auctoritate. Merito ex melioribus codd. Bakius uelle recepit, ut notiones imitari et uelle imitari sibi opponantur atque haec correctio sit uerbi imitari; cuius plenam sententiam Bakius recte sic reddidit: „uelle fortasse uideor; nam non possum“. Idem apposite simillimum exemplum hoc laudauit de Fin. II, 24. 78. et quidem prodest, inquit, mihi eo esse animo. — Immo uideri fortasse.

istas] Bakius temere coniecit ipsas. Istae leges sunt leges, quas te daturum esse iam significasti. Improbauit haud dubie Bakius, quia uerba istas leges arctissime coniuncta putauit cum uerbis de religione, nec haec pertinere intellexit ad coniunctam istas leges expromendi notionem.

§. 18. et quoniam et loc. et sermo fam. est] Male et alii haec interpretantur (Rathius etiam coniecturam tentauit sed quamquam cet.) et ipse Bakius, qui locum de religione dici existimans hanc his uerbis sententiam subiicit: „quoniam et locus et sermo nobis cognitus est, propterea fingam leges ea forma eoque sermone, quo proponi solent“. At sermo familiaris est sermo, qualis haberi solet inter familiares; locus autem familiaris is est, qui est familiae. Quoniam igitur et locus et sermo familiaris est nec ita haec disserit, quasi ad omnium usum sint destinata — quo in genere putidi aliquid et quaesiti istud habere possit uideri —, uerbis se usurum esse dicit paullo antiquioribus, quibus leges fere proponi soleant.

legum leges uoce] Cf. quae de hoc uerborum ordine dixi II. §. 9.

in ueteribus XII] Inficeta est mendi ex his, quod in cod. arch. fuit, correctio Schefferi senatus consultis; nec probabile est Turnebi inuentum a Gzio laudatum regiis; nec enim codicum, ut par est, nititur uestigiis, nec ueri simile est principem legum fontem a Cicerone praetermissum esse et nominatum eum, cuius Ciceronis aetate usus iam nullus esset. Utrumque incommodum tollitur praeclara Lbini et Cuiacii coniectura XII, tentata illa iam in codd. β et γ; unde quomodo ex iis uel frequenti utriusque formae confusione ex hiis nasci potuerit, praesertim sequente littera s, intellectu facile est. Beierum, qui ad Off. II. p. 394. ex ueteribus illis sacratisque coniecit, hoc fugit XII tabulas parum recte simpliciter pronomine monstrari, cum reliquae leges ipso nomine sint appellatae. Peruersius etiam Zumptius coniecit iis. Sacratis autem legibus, etsi antiquioribus, propter maiorem ipsarum grauitatem praeponuntur tabulae XII. Cf. I. §. 59. Idem factum uidemus de Off. III, 31. 111. Leges autem sacratae non ideo appellantur, quia in monte sacro sint editae — nam praeter istas plures etiam aliae leges sacratae commemorantur, ut Horatia (Liu. III, 55.), Icilia (Liu. III, 20.), lex sacrata militaris (Liu. VII, 41.), sed eam ob causam, quia caput eius, qui contra fecisset, sacrum esset. Cf. Fest. p. 145 et 251. ed. Lind. Plures eius rei auctores laudat Halm pro Sest. 7, 16. Prisca uerborum in XII uetustas etiam de Or. I, 43. 193. commemoratur.

eum morem cet. i. e. eum morem (similiter dici Or. 11, 36. communem morem uerborum Bakius animaduertit) ita consequar (similiter Off. I, 32. 116. institutum consequi. Brut. 82, 284. exilitatem de industria consequi. de Fin. I, 10. 33. Nat. Deor. I, 15. extr.), ut simul breuitati studeam. Commode Bakius laudat Cic. de Off. I, 13. 40. ita ne hostis quidem et potentis et bellum ultro inferentis interitum cum scelere approbauit i. e. ita, ut scelus simul committeret, quoniam quidem sine scelere probari non potuit. Adde Tusc. I, 49. 116. Male Wagn. illam antiquarum legum, quas imitetur, breuitatem intelligit.

si potuero] Ex melioribus codd. cum Steph. et Or. restitui potuero. Romani saepe et potestatem rei faciendae et uoluntatem futurae actioni praecedentem ad eamque perfectam mente concipiunt. Cf. Leg. II, 18. 45. Brut. 5, 21. de Rep. I, 46. ad Att. XI, 23. 3. Klotz ad Tusc. I, 43. 103. Quid? quod ad Fam. XI, 11. 2. futurum tempus priore loco positum sequitur deinde fut. exact. (si

poteris, occurres; si non potueris, hoc consolabere).

esset inf. sc. si perfectas edere uellem. Indicatiuo est, quem Rathius desiderauit, non usus est propterea, quia subiecti locum non tenet uniuersa legum perfectarum edendarum notio (ita addito pronomine dici oportuit nam id quidem inf. est), sed singularis legum perfectarum a se edendarum notio. Quod quia se non suscepturum esse dixerat, conditionali orationis forma usus est. Similiter de Diu. II, 5. 14. (nulla enim arte alia id nec sapientia scire potuisset) propter conceptam rei non uerae notionem dixit posuisset, non potuit; itemque pro Quint. 16, 52. conditionali orationis forma usus est (deberes, non debes), ut grauius aliquid non fuisse significaret, quod ei concederet.

VIII. §. 19. Separatim nemo cet.] Primus recte Madu. huius loci et explicauit sententiam et uerba constituit. Cum enim superiores interpretes a uerbis neue nouos nouam sententiam incipere eiusque uerbum esse dixissent colunto nec sermone saluo nec sententia, ac deinceps deteriorum codd. uerba constructa a patribus itidem peruersa sententia ad uerba delubra habento retulissent, quasi uero, quae facta a patribus essent, lege aut iussu possent dirigi: primus Madu. uerba neue nouos — adscitos ad uerba superiora ita pertinere demonstrauit, ut species duae deorum, quos separatim nemo haberet, denotarentur uerbaque priuatim colunto cum reliquis, integrioribus illis quidem in codd. melioribus, correctis in deterioribus, coniungenda esse ostendit. Quae Maduigii ratio uel maxime confirmatur ipsa huius legis explicatione §. 25; qua primum quid incommodi habeat separatim suos aut nouos aut aduenas i. e. alienigenas deos habere, explicat; deinde priuatim eos deos coli placere dicit, qui rite a patribus accepti sint, si ipsi huic legi paruerint; tertio denique loco de delubris disserit, quae in urbibus esse oportere dicit. Idemque luculenter illa demonstrauit, nec setne uel quod plerique secundum codd. dett. scripserunt, siue esse ferendum corrigendumque esse neue, id quod ante et Rathius et Handius (Hall. Allg. Literaturz. 1810. 71.) commendauerat *), et uerbum aliquod omissum esse in relatiua illa sententia quos rite a patribus. Hoc autem fuisse acceperint, luculenter perspicitur ex uerbis eis, quibus in lege explicanda usus est: nam a patribus

*) Idem A. G. Zumptio placuisse uideo.

acceptos; id quod non fugit Maduigium. Sed pro eo, quod idem addidit cultos, propter uerba in explicatione posita: si huic legi paruerint ipsi i. e. si ipsi patres nec nouos habuerint nec alienigenas, nisi publice adscitos, nunc magis probo, quod Bakius coniecit, adscitos; nihil enim refert, utrum patres rite i. e. omnibus caerimoniis sancte seruatis deos coluerint, an eas interdum uiolauerint, dummodo rite deos adsciuerint. Halmius, qui in Schneid. Phil. I. p. 176. cultos rite a patribus commendauit, nec illud attendit, acceperint necessarium esse propter explicationem illam: nam a patribus acceptos et uerborum quendam ordinem Tullio tribuit haudquaquam probabilem. Ceterum Romae interdum morem increbuisse alienigenas deos colendi tradit Liu. IV, 30. XXV, 1. XXXIX, 16. Cf. Seru. ad Aen. VIII, 187. Tertio deinde loco cum delubra in urbibus esse iubeat (cf. §. 26. oportere delubra esse in urbibus censeo), uerba in urbibus restitui necesse est; idque uel maxime flagitat contrarii declaratio (lucos in agris habento), ut fallatur Maduigius et qui tacite Maduigii rationem probauit, Bakius, qui quia delubra habere generaliter diceretur, illa non opus esse putabant. Nec tamen eo sunt loco restituenda, quo et in cod. γ et a Turnebo inde ab interpretibus omnibus sunt collocata, post delubra. Quae si ante delubra restitueris, et mendi facilius ortus intelligitur et contraria aptius per chiasmum efferuntur.

habitilo] Lbinus, qui contra codd. omnes ex Lact. I, 15. 23. scripsit habitianto, merito neminem obsequentem nactus est.

endo caelo] Sic de uerissima Turnebi coni. omnes praeter Uict. et Lamb. (in caelum).

locauerint] Pro uocandi uerbo, quod in cod. arch. fuisse certum est, Dau. primus restituit uerbum locandi ex Lact I, 15. 23. Cf. exempla a Dau. laudata ad Quint. Fr. I, 10. 31. Off. III, 5. 25. Sed tamen pro indicatiuo, quem et ille et reliqui susceperunt, propter meliorum codd. auctoritatem recepi coniunctiuum. Cf quae de modo uariato dixi II. §. 16. Similiter in codd. dett. II. §. 26. pro paruerint est paruerunt.

ast olla] Nec prudenter Ern. pro ast coniecit atque, nec recte particulae isti copulandi uim tribuerunt, male exempla ea interpretati, quae argumenti loco in medium protulerunt, ut Liu. X, 19. Bellona si hodie nobis uictoriam duis, ast ego tibi templum uoueo. Lex regia: sei puer parenteis uerberit, ast oloe

plorassint, puer diueis parentum sacer esto. Nam in his quidem ast eam uim habet, ut diuersae personae grauius distinguantur. Cf. Hand. Turs. I. p. 420; nec ad sententiam ast quicquam differt a part. at. Eandemque diuersarum rerum, non sententiarum, grauius distinguendarum uim part. h. l. habet; nec haec: olla, propter quae cet. cum superioribus a Cicerone coniuncta esse ipsa legis explicatio declarat, in qua illa disiunguntur. Cicero igitur sic loqui coepit, tamquam postremo loco uerbum sequeretur consecrandi uel simile (ast olla — consecranto); cum autem uerbis propter quae — in coelum plura nomina ita essent adiuncta, ut forma eorum ad pronominis formam accommodaretur, atque inchoata uerborum structura aliquantisper esset obscurata, ea mutata sic loqui perrexit earumque laudum delubra sunto. Nam eae laudes non sunt uirtutes iam nominatae, sed laudes uel uirtutes, quae eodem genere contineantur. Itaque si totam sententiam eo, quo finiuit, modo efferre noluisset, sic loqui debuit: ast Mentis, Uirtutis — earumque laudum templa sunto.

neue ulla] Hanc Gulielmi coniecturam a Dau. Goer. reliquis probatam propter creditam suorum codd. AB 11. 65. auctoritatem rursus Bakius deseruit. Uerum et magis codd. meliorum mendo commendatur neue et per se ipsum est probabilius. Licet enim nec interdum ita usurpetur, ut pro neue dictum esse uideatur (in Verr. III, 48. extr. de Or. I, 5. 19. de Rep. I, 2.): in omnibus tamen eiusmodi exemplis part. nec non ad uerbum pertinet, sed ad singularem aliquam notionem, quae ista negetur. Hoc autem ab hac legis forma uidetur alienum esse, ut ad pronomen, non ad uerbum referatur. Quae sequuntur uerba sacra solemnia obeunto, ea Manutio iam suasore, quia peculiare eis praeceptum contineretur, cuius interpretatio lacuna periisset, merito Bakius a praecedentibus uerbis disiunxit, cum quibus reliqui interpretes coniunxerant. Ceterum sacra solemnia Festo auctore p. 264. ed. Lind. dicuntur ea, quae certis temporibus annisque fieri solent.

mouento] Codd. auctoritati obtemperans cum Bakio scripsi mouento; superiores amouento. Mox opera sunt rustica.

itaque ut ita] Non opus est correctione ulla, nec Dauisii in duobus etiam codd. tentata itaque ut ita cadant, nec Pearcii ab Ern. et Wagn. probata itaque ut cadant, nec Orellii ac Bakii itaque uti (Or. ut) cadat, nec denique Halmii l. l. idque ut ita cadat.

*

Nam et cadere (sich treffen) recte usurpatur impersonaliter (ad Att. III, 7. 1. sane ita cadebat, ut uellem) nec itaque — ita quicquam offensionis habet, cum itaque, quod concludentis est, ad totam sententiam referatur, ita autem, quod ad cadat pertinet, monstret ferias in famulis operibus patratis habendi notionem. Anfractus annui sunt annui solis circuitus in fastis pontificum notati (bei den jährlichen Kreisläufen) Cf. Cic. de Rep. VI, 22.

hoc sc. faciunto. Generale eiusmodi uerbum praecedente, quod uocant, speciali audiri tritum est. Cf. Cic. Fin. V, 21. 59. Additur pron. ad istam certorum sacrificiorum ac dierum notionem magis augendam. Male Bakius cum Steph. et Ern. hoc omitti uoluit.

§. 20. alios ad dies] Hoc ex cod. arch. mendo alios addes recte plerique expresserunt; praua est Pighii coni. alios dies ad ubert. a Dau. Wytt. Mos. probata. Non dies seruantur ad ubertatem lactis (ita profecto non necesse esset a pontificibus cursus annuos ratione finiri), sed lactis foeturaeque ubertas seruatur ad certos dies. Ineptiunt, qui hanc hypallagen dicunt, ut Goer. et Wopk. p. 325.

idque ne comm.] Quoniam, cum facinus uel scelus committitur, id contra legem fit, committendi uerbum uel nudum uel adiuncto pronomine ita usurpatur, ut idem sit, quod nos dicimus verstossen, sich vergehen gegen etwas. Et sic §. 22. dicitur sacrum commissum (ein Vergehen gegen das Heilige). Itaque pron. id, quod ad uniuersam lactis foeturaeque seruandae notionem refertur, subiecti loco est nec ex peruagato illo genere accusatiuorum pronominalium, qui initio sententiae ad rem uniuersam significandam poni solent, etiamsi uerbum nullum, quod accusatiuum adsciscat, subiiciatur; quo de genere dixit Madu. de Fin. I, 5. 14. Prauae sunt correctiones Turnebi id quod (haec tamen Manutio placuit, Lbino, Grutero), Dauisii in quae, Ern. in quo, Wagneri id quod, ne quid comm. possit.

ad eam rem ratione] Ex aequo poni non possunt rem et rationem, ut uisum est Dau. Grut. Goer. aliis. Uere mendum rationem sustulit Turn. coniectura a plerisque probata ratione. Parum probabiliter Bakius coniecit ratos cursus annuos itemque Halmius l. l. rationem cursus annui. Non ratio finitur cursus annui, sed cursus annui finiuntur i. e. describuntur in fastis ratione i. e. computatione.

decorae] Aliis diis aliae hostiae immolabantur, ut Cereri porca, Baccho hircus, Neptuno taurus, superis albae, nigrae inferis, aliis lactentes, aliis maiores, aliis mares, aliis feminae. Cf. quos Dau. laudauit Seru. ad. Aen. III, 118. Macr. Sat. III, 10. Plin. H. N. VIII. c. 45.

diuisque ollis] In cod. arch. quod fuit diuisque aliis sacerdotes, tenuerunt Steph. Man. Dau. Zumpt. Quod quoniam ferri non posse intellexerunt, plerique et ab Ern. inde omnes probarunt, quod iam in uett. quibusdam editt. (Asc. 1. 2. Crat. Heru. aliis) expressum est diuisque aliis alii sac. Sed quî tandem, si primum aliis alii sacerdotes esse iubentur, omnibus deinde pontifices esse iuberi possunt? Primum diuis generaliter sacerdotes esse iubentur, deinde duas species ponit pontificum et flaminum, de decemuiris et auguribus, qui et ipsi uniuerso sacerdotum nomine comprehenduntur, mox dicturus, quippe cum nihil ad ipsas deorum caerimonias cultusque pertinerent. Recte igitur ueterem Turnebi correctionem ollis (i. e. illis, quos supra §. 19. descripsi) denuo commendauit Krausius in progr. p. 15.

uirginesque] Part. que, quam post Uict. Lamb. Ern. Wgn. deleuit Moserus, et codicum satis auctoritate est firmata et ea Tullii consuetudine, qua res generis eiusdem ab alia transiens ad aliam isto modo annectit. Cf. Madu. de Fin. p. 476.

sunto tria] Ediderunt adhuc secundum dett. codd., ex quibus correcti sunt AB 11. δ (si de hoc Bakius non errauit) duo genera sunto (Steph. Lamb. Bak. genera sunto duo). At non duo, sed tria sacerdotum genera, pontifices, quindecimuiri, augures commemorantur. Quod ita esse uel part. autem declarat, pro qua, nisi augures tamquam tertium genus illis duobus accedere uoluisset, particulam que usurpasset. Nec uero duo fuisse in cod. arch. mendum ostendit codd. E et Gd. 2. trinum i. e. tria, unum. Quod cum Gzius coniecisset, in uerborum tamen seriem recipere dubitauit, hunc uerborum ordinem a Tullio nescio quomodo alienum esse dicens. In dett. codd. ut haec correctio duo, unum tentaretur, haec causa fuit, quod duo tantum genera numerantur, liberius tertium per part. autem adiungitur. Quod ut faceret, haud scio an uel eo Tullius sit impulsus, quod non solum ipsorum augurum munera uoluit definire, sed ea etiam describere, quae et sacerdotibus et magistratibus, quantum ad augurum munus pertinerent, facienda essent. Similiter cum tria dicendi genera posuisset Or. 5, 20, duo priora partita effert

per et — et; tertium per part. autem adiungit. (Quod contra Off. I, 3. 9. cum priori generi alterum per part. tum adiunxisset, tertium ipso numerali designauit). In eodemque est genere uariatae orationis, si uoculam primum non sequitur deinde uel postremo loco denique, sed alio quodam modo oratio conformatur; quo de genere uide Wopk. Lectt. Tull. p. 73. ed. Hand. Beier ad Off. I, 14. 44.

quorum] Sic recte de Gzii sententia reliqui; superiores de coni. cum scripserant. At quindecimuiri non, cum senatus populusque adsciuerat, uatum effata consulebant, sed senatus populique iussu consulebant eorum, quorum publice adscita erant effata, ut, si quando opus esset, adirentur. Inanis igitur est Ern. coni. sciuerit.

postea] Hoc cod. arch. mendum alii aliter tollere conati sunt. Wagn. coniecit prodigium, Gzius posita et forma contracta Rubino posta, Frenzelius in biblioth. crit. 1821. 6. populi salutem uidento uerbis et salutem populi, quae mox sequuntur, omissis, Rathius postera uidendi disciplinam tenento. De Turnebi coni. scripserunt Man. 1555, Lbinus in marg. ed. 1584. postera, quod idem placuit Dau. Wytt. aliis. Sed signis et auspiciis non tam res futuras cognosci uoluit, quam deorum uoluntatem, quae istis portendebatur. Marquardt Ant. rom. III, 3. p. 69. Egregie igitur Halmius in Phil. p. 176. coniecit ostenta in hanc sententiam: ea, quae signis et auspiciis ostenta sunt. Quod participium (nam participialiter etiam illud usurpari auctor est Fest. ab Halmio laudatus p. 195. ed. Lind.) ita probo, ut tamen portenta malim. Quinque autem signorum genera (ex caelo, auibus, tripudio, quadrupedibus, diris) ab auguribus obseruata esse Fest. tradit p. 133.

disciplinam tenento] Iubentur augures in ostentis uidendis arte quadam augurandi uti et scientia, prodita libris auguralibus.

§. 21. sacerdotesque] Part. que, ante fere sine iusta codd. auctoritate omissam, merito restituit Dauisius, quem Gzius ac deinceps reliqui sunt secuti. Cf. II. §. 20. Sacerdotes, qui pro uinetis uirgetisque (et pro his quidem fratres Aruales. Gell. VI, 7. Varr. L. L. V, 85. ed. Muell.) et pro salute populi quotannis precabantur, hoc non nisi augurato facere poterant. Cf. Dio Cass. XXXVII, 24. Quodquoniam auguria non ipsi sacerdotes capere poterant, sed per augures capere debebant, uel hoc praeceptum ad augures, quorum h. l. munera describuntur, pertinere patet.

Itaque non opus est Bakii correctione sacerdotibus *). Atque omnia Ciceronem h. l. complecti uoluisse, quae ad auspicia pertinerent, hinc intelligitur, quod deinceps etiam magistratus auspicium praemonere dicuntur. Nam male interpretes fere aut ad augures aut ad sacerdotes referri id existimarunt. Barbare hoc quidem dictum esset: augures magistratum auspicium praemonent; recte uero magistratus, quorum auspicia erant, non auguria (hoc enim ab auspicio ita differt, ut augurium et petatur et certis diebus ostendatur, auspicium nec petatur et qualibet aui demonstretur. Seru. ad Aen. I, 402.), auspicium praemonere dicuntur, quo deorum uoluntas sibi aperiatur. Recte igitur hoc iam Wytt. sic interpretatus est: auspicium ante consulunto. Et quod Bakius peruersam illam interpretationem, qua augures subiecti loco sit, eo firmari existimat, quod pronomine olli monstrentur magistratus, fugit et istum et alios, olli ad auspicium, non ad magistratus esse referendum. Pro popularem temere Bakius coniecit populi rem i. e. rem publicam, A. G. Zumptius pro populo rem. Res popularis est res domestica, quae ipsum populum proxime attingit, quod non ita cadit in bellum ut rem externam. Similiter Cic. Ac. II, 2. 6. dicit coetum popularem.

diuorumque] Jam posteaquam expositum est, quomodo sacerdotes et magistratus auspicio uti deberent, ad ipsos augures reuertitur, id quod sine molestia facere potuit, cum tota haec legis constitutio ad augures pertineat. Iras autem deorum prouidere rectius Turnebus sic interpretatur: „prouidere an dii irati sint nec rei peragendae faueant“, quam et Wagn. et alii ita: „curare, quibus sacrificiis deorum irae placari possint“. Quod autem, Turnebi si ratio probetur, idem iam uerbis praecedentibus dicunt contineri, nae illi non perspexerunt, illa referri ad signa et auspicia sua sponte oblata, hoc ad augurium a diis petitum. Apparere, quod uulgo dicitur de iis, qui magistratibus ministri praesto sunt, h. l. transfertur ad augures, qui deorum quodammodo ministri sunt. Cf. III. §. 43.

temperanto i. e. certis regionibus, quas ante lituo descripserint, coeli fulgura distinguunto, ut quae fausta sint, quae infausta perspiciant Cf. III. §. 43. de Diu. II, 18. Plin. H. N. II, 52. 54. Seru. ad Aen. VIII, 427. C. O. Mueller Etr. II. p. 124. sqq.

*) Male Rubino Untersuch. p. 51. sacerdotes pro accus. habet, ut sacerdotes ab auguribus inaugurari dicantur.

urbemque et agros] Templa sunt regiones ab auguribus descriptae, intra quas auguria caperent. Seru. ad Aen. I, 92. Varr. L. L. VII, 6. Eiusmodi templum et Urbs erat intra pomoerium (Gell. N. A. XIII, 14. Seru. ad Aen. VI, 197.) et in agris si auguria capiebantur, templa eiusmodi habebantur. Quorum ubi fines essent, quoniam augures effabantur, effata templa appellabantur. Varr. VI, 53. Liberata autem dicebantur, quia aut in omnes partes coeli liber adspectus esset (nam loca ad id deligebantur altiora, quae tesca a tuendo uocabant. Varr. L. L. VII, 8. Fest. s. u. tesca) aut quia liberarentur a rebus profanis. Seru. ad Aen. I, 450. Hartung Relig. d. Roem. I. p. 141. Jam cum et urbe et agris augures iubeantur templis uti effatis et liberatis, particulam et de Gzii et Hartungii sententia (l. l. p. 116.) deleri necesse est; nam ridicula Moseri est interpretatio, qui et idem esse ait atque et omnino. Bakius, qui et ipse et deleri uoluit, imperite coniecit urbe et agro.

uitiosa dira ea nominat, quae neglecto uitio et dirarum obnuntiatione agantur. Cf. quem Bakius laudauit Cic. de Diu. I, 16. 29. Defigere autem, pro quo Lipsius male coniecit deixerit, Dauisius edixerit, firmiter pangendi et translato uerbo firmiter declarandi uim habet.

capital] Sic merito post Manutium Ernestius, reliqui ex mendo meliorum carital (cf. Non. p. 38.); reliqui capitale.

IX. oratores fetiales cet.] Mendi, quod in cod. arch. fuit, oratorum fetiales iudices*) non sunto probabilis correctio nec ea est, quam Steph. Dau. Ern. Wagn. Bakius sunt amplexi oratores (oratorum Steph.) fetiales iudices duo sunto nec illa Schefferi, quam ipse cum Goer. Sch. Mos. Or. recepi. Uera quidem ac necessaria in his est correctio oratores, quamuis aeriter Madu. mendum oratorum tueri studeat in progr. p. 17. Erant enim ipsi fetiales oratores i. e. legati (Fest. p. 115. Non. p. 529.), non alii, quorum res ad fetialium iudicium reuocarentur; et facilis sane huius mendi ortus erat propter genitiuos praecedentes. Sed nec duo probabile est nec ue. Quid enim? Non duo erant fetiales, sed uiginti, ut ex Uarrone cognoscitur ap. Non. s. u. fetiales p. 529. (si cuius legati uiolati essent, qui fecissent, quamuis nobiles essent, uti dederentur ciuitati, statuerunt fetialesque uiginti, qui de his rebus cognos-

*) Errore in annot. crit. omissum est iudices.

cerent, iudicarent, statuerent, constituerunt). Atque si quando duo, ut ap. Liu. IX, 5. aut quatuor (Non. l. l.) commemorantur, haec causa est, quod non omnes in eadem causa mittebantur, sed modo plures, modo pauciores. In Schefferi autem coniectura si fetiales cum reliquis nominibus pro praedicato habueris, ut oratores sint, qui uerba faciant, fetiales, qui caerimoniis perfungantur, iudices, qui iudicent: hoc profecto nouum est, nomen istorum sacerdotum proprium ad munera eorum definienda adhiberi. Deinde aegre caremus sollenni eorum appellatione. Alia enim res est et §. 20, ubi nec quindecimuiri nec pontifices nominantur et III. §. 6; utroque enim loco genere nominato species ipsae ita definiuntur, ut dubitari de eis omnino non possit. Hoc loco cum ante de auguribus sermo fuisset, non potuit fetialium, quin ipsos nominaret, munera definire. Quare non probabiliter Handius (Allg. Literaturz. 1810. 71.) et Beier ad Off. I, 11. 36. fetiales ut spurium expellendum iudicarunt. Fetiales autem pro subiecto haberi non patitur oratio. Itaque scite, nisi aliud incommodum remaneret, Rathius uerba sic transposuit: oratores iudicesue fetiales sunto. Sed cum mox bella disceptare singulatim iubeantur, inepte iam ante iudices belli uocantur. Atque hanc ipsam ob causam uerba iudices non ut a sciolo aliquo addita expellenda iudico. Idem incommodi ut tolleret, belli sollicitare non debuit Maduigius; duo enim sunt nominum ordines foederum induciarum et pacis belli per chiasmum dispositi, ut Off. I, 27. 94. falli, errare, labi, decipi. Bellorum autem disceptatio non ad ipsas bellorum causas cognoscendas — nam id quidem populi erat et senatus — sed ad religionem atque caerimonias bellorum pertinebat.

Etruscos et aruspices] Et disciplinam aruspicum fuisse etruscam (cf. Cic. de Diu. I, 2. 3. I, 33. 72. de Har. Resp. 9, 18.) et ipsos aruspices recte C. O. Mueller (Etrusk. II. p. 4. et 346.) et Frandsen (de haruspp. p. 19.) contenderunt aduersus Creuz. Symb. II. p. 836. et Niebuhr. Hist. rom. I. p. 129. ed. 4. Nam quod Liu. IX, 36. dicit se auctores habere, uulgo tum pueros rom., sicut nunc graecis, ita etruscis litteris erudiri esse solitos, id alii rectius ad uniuersam litterarum doctrinam putant pertinere. Quod autem Cic. de Diu. I, 41. 92. a senatu decretum esse dicit, ut de principum filiis sex singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur, id non ad Romanorum principes, sed ad ipsos Etruscos spectat. Etenim si Romanorum, non Etruscorum principes intelligi uoluisset, distinctius id de-

clarari oportuit. Atque idem confirmatur eo, quod aruspices et saepe ex Etruria acciti dicuntur (Liu. XXVII, 37. Cic. Cat. III, 8. 19. de Har. Resp. 12, 25. Luc. Phars. I, 584.) et tusci ac barbari a Graccho appellantur de Nat. Deor. II, 4. 12. Quapropter per se non praua est correctio eorum (Steph. Dau. Goer. reliquorum), qui et omiserunt (et saepe etrusci aruspices uocantur. Gell. IV, 5. de Diu. II, 12. 28. ibid. 35, 75.); nec tamen propter ea, quae disputaui I. §. 8. II. §. 4., est necessaria. Romani enim diuersas eiusdem rei notas, quas nos in unam notionem coniungimus, saepe per se elatas ponunt. Eodemque modo de Nat. Deor. II, 4. 10. codd. omnes pertinaciter tenent Etruscorum et aruspicum; quod contra, atque editoribus inde a Dau. uisum est, retinendum puto, quia uel retenta part. et contraria rom. augurum et etruscorum aruspicum n... satis elucet, atque etiam partitioni per et — et in...tae interdum copulandi part. et interponitur, ut Cic. ...ael. 24, 88. nam *et* monendi amici saepe sunt et obiurgandi, *et* haec accipienda amice. Cf. Seyff. h. l.

iussit] Cfr. de hac antiqua fut. exacti forma, *quae* est etiam ap. Virg. Aen. IX, 467, Spald. ad Quint. I, 5. 66. Turn. Adu. XV. c. 15. Drak. ad Sil. It. XII, 175. iusserit Steph. Lamb. Ern. Wagn. Bak.

deferunto] ii. sc., quibuscumque obuenerint. Male Wytt. de sacerdotibus hoc dici putat.

Etruriaque — doceto] Male ex dett. codd. cum Uictorio Ern. Wagn. Goer. Sch. Mos. scripserunt Etruriaeque — docento. Etruriam eodem modo pro incolis dixit de Diu. I, 41. 92. (Etruria autem de coelo tacta scientissime animaduertit) et saepe sic Graeciam pro Graecis. Principes autem disciplinam doceri iubentur, ne ars illa, ad quam Romani haud ita raro confugiebant, propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quaestum. de Diu. I, 41. 92.

creuerint sc. aruspices; procuranto, quorum hoc est procurandi munus i. e. sacerdotum.

fulgura atque obst.] . Quamquam et fulgura (Juu. VI, 586. Or. Inscr. 2482. fulgur conditum) et obstita (Fest. s. h. u.) per se ipsa res de coelo tactas significant: duas tamen eiusdem rei notas h. l. coniunxit. Male Bakius, quia iam fulgura essent de coelo tacta, obstita ad defectus lunae retulit. Mirum est insulsam Gzii coniecturam fulgetra non displicuisse Mosero.

praeter olla se. sacra Bonae Deae, quae quotannis pro populo i. e. ad salutem populi fiebant in domo consulis. Cf. Macr. I, 12. Hartung Rel. II. p. 195.

Fient] Peruerse generaliter sacra ista denotantur coniunctiuo fiant, quem post Steph. Dau. Ern. Wagn. reuocauit Bakius ex codd. dett. Non recte enim, cum in Gd. 2. sit fient idemque a Bakio excerptum sit ex codd. 11. 65, in reliquis melioribus collegeris fiant esse.

neue quoi] Ex mendo codd. meliorum neue quae, quod idem in cod. arch. fuisse suspicor, efficiendum esse neue quoi exceptio declarat, quae uerbis continetur nisi Cereri. neue initianto Goer. Sch. Mos. Or.; neue quem init. superiores exc. Dauisio, qui coniecit neue initiantor. Bakius probauit mendum cod. 10. neque initianto.

graeco sacro] Sacerdotes semper ex finitimis Graecorum coloniis, maxime ex Neapoli aut Uelia esse accitas tradidit Cic. pro Balb. 24. Cf. Ual. Max. I, 1. Dion. Hal. I, 33.

§. 22. sacr. comm.] Cf. quae dixi §. 20. Mox esto Man. Lamb. Goer. reliqui. Zumptio placuisse miror est.

quod neque] Neque uel nec prisce usurpatum esse pro non Fest. docet s. u. nec. Cf. III. §. 6. nec obedientem. §. 11. qui nec aderit.

Ludis publ.] Popularem laetitiam in cantu et fidibus hac lege moderari uult, id quod satis elucet ex restrictione §. 38. addita: dummodo ea moderata sint et ex eis, quae copiosius ibidem de Platone et Graecia disserit. Itaque cum ludos publicos, qui et scenici et circenses sunt, generaliter dixisset popularisque in cantu et fidibus laetitiae moderatio non nisi ad scenicos ludos pertineret, restrictionem addi necesse fuit hanc: quod sine curriculo et sine certatione corporum fiat i. e. quatenus s. curr. et s. cert. corp. fit. Isto modo circenses ludos ita excipi patet, ut ad illos hoc praeceptum non pertinere significetur, non ita, ut omnino ne sint isti, quod quibusdam uisum est. Coniunct. in hac restrictione legitimus est (Off. III, 10. 42. ad Fam. IV, 2. Liu. I, 24 5.) nec singularis uerbi numerus, pro quo quidam pluralem requirebant, incommodi quicquam habet. Nam ludis publicis hoc est: cum ludi publici celebrantur. A recta uia deflexerunt, qui coniecturam tentarunt, Manutius, cuius rationem probauit Madu. Emendatt. p. 71: quod siue curriculo siue certatione corporum fiat; Dauisius: quom sine curriculo et sine certatione corporum fiant; Rathius: quod siue curriculo siue certatione corp. fiant, uicto-

riae modum constituunto: popularem laetitiam cantu *) cet. Wytt.: lud. publ. siue curriculo et exercitatione corporum, hoc in cantu et fidibus et tibiis popularem laetitiam moderanto (sc. sacerdotes), eamque laetitiam cum diu. cet. Bakius: quod siue curr. et certatione corp. siue cantu et fidibus et tibiis fiat, popularem laetitiam moderanto.

Idaeae matris famulos i. e. sacerdotes Cybelae.

sacro commendatum i. e. quod in templo depositum est. Cf. II. §. 41. Ulp. Dig. I, 16. leg. 186. quem Dau. laudauit.

cleperit] Retinui quod ex melioribus codd. inde a Dauisio ediderunt cleperit. Quamquam assentior Maduigio de Fin. p. 747. ueri simile esse neganti alterius uerbi formam antiquiorem, alterius recentiorem a Tullio esse usurpatam. Itaque magis probo clepsit, quod olim iam Man. et Lamb. (hic clepsit rapsitue) ediderunt; idemque in uetere rogatione est ap. Liu. XXII, 10. clepserit Uict. Steph. Herm. Opusc. III. p. 119.

parricida, quem Fest. s. u. parrici ait non solum eum esse, qui patrem, sed qui qualemcunque hominem occiderit, latius etiam patet eum significans, qui quoduis scelus commiserit non minus atrox, quam quod est patrem occidisse, siue contra rem publ. patrauerit, siue aduersus deorum religionem. Kritz ad Sall. Cat. 31, 8. 51, 25. Geib roem. Criminalpr. p. 57.

quocirca] Uerba poena iuris uiolati esto ad ius diuinum referri ipsa huius legis explicatio declarat §. 41. Jam cum iure diuino terra omnium deorum sacra sit (§. 41.), hinc, ne quis agrum consecret, concludere potest. Quapropter iniuria, num uerum esset quocirca praeter Steph. Man. Lbinum, qui omiserunt, dubitarunt Dau. Madu. (progr. p. 4.) Bakius; et hic quidem coniecit: doni ergo.

sos de uiri docti in Misc. Obseru. III, 1. p. 76. coni. Gzius, reliqui et codicum mendis et sermoni legum conuenienter. Prisce autem sos dictum esse pro suos Fest. s. u. sos docet, ut sas pro suas. Dauisius suos; superiores hos, quod miror placuisse A. G. Zumptio, Man. homines. Cf. quem Dau. laudauit Seruium ad Aen. V, 47. apud Romanos defuncti parentes dei a filiis uocabantur.

---

*) Praepositionis delendae, quam Wagn. quoque uoluit deleri, causa nulla est.

X. §. 23. Conclusa quidem] Part. quidem, qua concludendi uerbum insignitur, contrariam aliquam rem aut dici aut cogitari indicat. Sensit hoc quidem Bakius; sed errauit profecto excidisse aliquid suspicans, quale est III, 4. fin. lex recitata est. Opposita autem est sententia illa: non multum discrepat; idque ipsum indicat mendum cod. arch. breuis et, unde recte Gulielmus effecit breui, sed; quod merito Zumptius probauit, quo auctore uereor, ne in annot. crit. Uictorio tribuerim, quod Gulielmi est; nam Orellius Uictorio tribuit breuis et. Man. Dau. reliqui breui et; Steph. Lamb. breuiter et. Part. quam, ut saepe, ab exclamando translata est ad adiectiui uim augendam. Cic. Verr. III, 88. 206. Interdum eius uis intenditur praeposita uocula per. de Or. II, 49. 201. perquam breuiter perstrinxi. Hoc quemadmodum ipsam particulae notionem auget, ita sane, quod uerbis quam breui additum est, asseuerando eam confirmat. Cf. Seyff. ad Lael. p. 201.

a te magna] Quod adhuc editum est a plerisque (Man. Grut. Ern. reliquis) a te tam magna, etsi per se ferri potest: tamen parum praesidii habet a codd. In melioribus est enim alter magna, cuius in promtu est correctio a te magna, a Steph. Lamb. Dau. expressa et Bakio probata. Non melior est correctio apte, quam a Uict. expressam Zumptius probauit, quam quae est in plerisque codd. dett. altera tam magna.

a legibus Numae] Religiones rom. in primis a Numa constitutas esse satis constat. Cf. Cic. de Rep. II, 14. Liu. I, 20. Dion. Hal. II, 63—73.

omnium — optimam] Ad ueterem illam, quam Scipio in libris de rep. probauit (Rep. I, 46. Leg. III, §. 12.), romanae ciuitatis temperationem leges suas accommodans leges constituit, quae in illa ualerent, perpauca sane mutans, ut in magistratum descriptione. III. §. 12.

ergo adeo] Bakius adeo mendosum esse ratus a me coniecit. Sed quemadmodum adeo saepe pronominibus adiungitur, ut eam ipsam rem, quae demonstratur, spectari significetur (das eben. Cic. pro Cluent. 29, 80. pro Caec. 30, 86. Verr. IV, 64. 143. Fin. II, 12. 37.): ita h. l. uoculae ergo adiungitur, ut eam ipsam ob causam (darum eben) leges illas exspectandas esse significetur. Inepte Uict. Steph. exspectatae, Dau. ex Med. Harl. 1. 2. exspectare, ut hoc penderet ex illis: an censes non necesse esse.

erunt fere] Sic Ern. suasore ex melioribus codd. reliqui. Bakius dett. codd. scripturam erant reuocauit a superioribus probatam. Sed propter fut. tempus, quod praecedit (si — rogabuntur), illud magis placere uere Ern. animaduertit. Erunt in more i. e. posita erunt in more (es wird sich gründen). Deinde tum spectat ad aetatem maiorum.

§. 24. utei tu rogas] Haec Dauisii coni. ab Ern. Wagn. Bakio probata (reliqui utei rogas) mendo cod. arch. ut et tu uel maxime commendatur. Quod in hac solenni legis iubendae formula h. l. contra consuetudinem pron. additum est, id factum est propter utriusque personae rationem contrariam (ego — tu).

non es dicturus aliter? sc. nisi prius legem suaserim. Confirmant hoc ea, quae sequuntur: in minoribus hoc remittam tibi sc. ut suadeas (werde ich dir das erlassen). Non perspexit hoc Zumptius haec sic interpretatus: „In einer bedeutenderen Sache werde ich allerdings kein anderes Votum abgeben, in unbedeutenderen will ich dir, wenn du es wünschest, deinen Willen lassen“.

mea quoque eadem] In cod. arch. scriptura hac: atque mea quidem sententia est et id uitiosum est, quod quae sit Quinti sententia, non declaratur, nec recte pron. mea insignitur particula quidem: in quo tenuis quaedam inest significatio sententiae aliorum contrariae. Off. I, 11. 35. Illud Dau. sustulit coniectura atque haec mea quidem sent. est, atque melius Madu Emendatt. p. 64. atque mea quidem eadem sent. est; hoc uterque reliquit. Nec satis probabiliter aut Goer. coniecit atque ea quidem mea sent. est, aut Bakius eaque mea quoque sent. est. Sed uerissimum tamen est quoque, quod pro quidem exspectari iam Wagn. significauerat, ortumque est mendum quidem ex duobus uocabulis in unum conflatis quoque eadem, quae sic notabantur q̊eadē. Quod mendi genus his in libris non admodum rarum est. Cf. II. §. 32. summos pro si enim deos. Cf. Cic. Brut. 82, 284. haec omnium debet oratorum eadem esse sententia. Sed nec Marco, ut Man. uoluit, nec Attico, ut Rathius, haec tribui posse ipsa sententia clamat.

casto corpore adeatur] Hoc quidem cum Uict. et Lamb. reuocaui ex codd. dett., quia corpora tamquam accidentia hominis ad deos adeuntis cogitare nouum uidebatur. Sed castitatis notionem iam ita praeualere intelligo, ut non tam corpus uideatur adhiberi, sed castitas

corporis, ad cuius adhibendae notionem deinde pron. illud melius refertur, quam ad corpore casto adeundi notionem. Quapropter nunc probo reliquorum scripturam casta corpora adhibeantur, quae nititur codd. melioribus.

illud uel aquae] Pronomen refertur ad casta corpora non adhibendi notionem. Pron. saepe ad uniuersam rei notionem ex eis, quae praecedunt, audiendam referri constat, ut Cic. Tusc I, 2. 4. discebantque id omnes. Cf. quae dixi I. §. 11. Ut autem pro affirmata notione succurreret negata, et uerba praecedentia effecerunt, ex quibus facile in pronomine auditur: si non seruatur, et ipsum tollendi uerbum, quod patet ad prauitatem referri. Opportune Bakius, qui et ipse cum Gzio haec defendit, laudauit Cic. Brut. 34, 130. etsi non deerat in causis, tamen id (sc. ut adesset) non saepe faciebat. Reliqui aut correctionem in dett. quibusdam codd. male tentatam susceperunt, ut Steph. Man. Dau. Ern. Wagn. (nam incestum uel) et Sch. Mos. Or. (nam illud incestum uel — Orell. tamen incestum uncis inclusit), aut ipsi praue nouam tentarunt, ut Krausius in progr. p. 16. nam illius uel (sc. corporis) et Hand. (Allg. Jen. Littz. 1810. 71.) nam illuuies uel, quod Beiero placuisse miror de Off. II p. 344.

euanescere] Pro eo, quod in cod. arch. fuit, uanescere, quia a Cicerone alienum est, post Lbinum et Dauisium reliqui merito receperunt correctionem euanescere, quae et facillima est propter praecedentem litteram e et tentata iam in paucis quibusdam codd. dett. Quam immerito nuper deseruit Bakius. Gzius, quia a duobus codd. dett. abesset, temere expellendum iudicauit.

§. 25. probitatem] Parum recte pro eo, quod in cod. arch. fuit, probitatem, cum Steph. Dau. Ern. Wagnero Bakius scripsit pietatem. Quemadmodum cum in lege opes nominasset, in explicatione sumtum, qui existit ex opibus, remouendum esse dixit: ita, cum in ipsa lege nominasset pietatem, probitatem, quae inde manat, deo gratam esse recte dixit lege significari.

quid enim?] Quod ante Bakium uulgatum est: quid est enim, cum paupertatem diuitiis cet., id coniectura nititur non necessaria. Cf. ann. crit. Uerissima est cod. arch. scriptura haec: quid enim? paupertatem cum diuitiis etiam inter homines esse aequalem uelimus, cur eam cet., si eo quo ego modo inter-

punxeris *). Nimirum legem illam ueram esse probat nec quicquam obstare, quo minus probetur. Cf. I, 19. 51. de Fin. II, 22. 72. Handii Turs. II. p. 386. Aequalis cur in iuris aequalitate iungi non possit cum datiuo, id quod Bakius negauit, ego non intelligo; et iunxit cum eodem casu in morum aequalitate Liu. XL, 57. Uoculam autem cur esse expellendum, si uerba quid enim retinerentur, Bakius propterea dixit, quia illa non perspexit per se sola efferri, atque cum illis coniunxit eam sumtu — arceamus. Cur saepe sic in admirando et interrogando. Cf. Cic. ad Fam. II, 18. 5. cur ego te uelim incidere in terrores tribunicios? Tusc. V, 27. 76. Bakius ex deprauato cod. D uerbis quid enim omissis edidit: quum enim paupertatem cum diuitiis cet.

non iudex] Coniecturae in codd. quibusdam dett. tentatae et a Dau. Sch. Mos. probatae (non homo iudex) causa nulla est. Non homo et deus sibi h. l. opponuntur, sed iudex, qui iudicans poenam tantummodo constituit, non exsequitur, et uindex, qui illico uindicat iniuriam. Sententia igitur haec est: quod non iudex, sed, et deus quidem ipse, uindex constituitur.

sacerdotibus] Ad sententiam uera sunt, quae Gzio auctore, qui ista in Br. et Cass. inuenisse se dicit, Sch. Mos. Or. ediderunt: ignotas caerimonias sacerdotibus. Nam (antiquiores editores uaria interpunctione peruerse ign. caer. non a sacerdotibus, non a patribus acc.). Nam sacerdotes recte intelliguntur eius ciuitatis, quae has leges asciuerit. Sed quia et meliorum et dett. codd. menda (cf. ann. crit.) in cod. arch. ante sacerdotibus aliud praeterea uerbum exaratum fuisse arguunt, Dauisio assentior nostris sacerdotibus coniicenti; idemque Ern. placuit et Wagnero. Nostros autem sacerdotes dixit aut eos, quos ante constituit, aut romanos. Nam etsi omnibus bonis firmisque populis (I. §. 58. II. §. 36.) leges constituit: tamen et in lege et in explicatione ita Romanorum mores et instituta spectauit, ut de sola Romanorum ciuitate cogitare potuisse uideatur. Bakius imperite cum mendo nos etiam sacerdotibus expellendum iudicauit.

§. 26. Nam in occupanda re, quae non eodem, quo praecedentia genere continaetur, frequentissimum est. Leg. II.

---

*) idem A. G. Zumptio placuisse uideo, qui tamen hanc uerborum transpositionem in dett. quibusdam codd. exaratam probauit, [illegible] paup. diu.

§. 28. Off. II, 13. 47. Nam L. quidem Crassus — sibi ipse peperit maximam laudem ex illa accusatione nobili et gloriosa. Cf. Seyff. ad Lael. p. 299. A patr. correctio necessaria est. Mox male in hac generali disputatione Lamb. et Dau. paruerunt.

Oportere] Codd. longe plurimi patrum delubra. Quo nomine mirum in modum deorum templa appellari Dau. putauit. Plerique patrum templa interpretati sunt templa a patribus constructa. Sed primum agitur de delubris uniuersis, non de patrum delubris; deinde uero non ubi essent delubra, sed ubi esse ea oporteret, dicendum fuit; idque ipsum censendi uerbum indicat. Itaque nec Lbini coni. deorum delubra nec Schuetzii eorum nec Wyttenbachii ipsi patres. Delubra nec denique Bakii patrum expellentis ratio probari potest, eliciendumque est ex eorum, in quibus fere cod. arch. scriptura fidelius propagata est, codicum mendo (patrẽ) oportere, quod ne litterarum quidem similitudine a mendo longe recedit. Pondus quoddam habet uerbum praepositum, ut Cic. Rep. I, 32. Et uero negant oportere indomiti populi uitio genus hoc totum liberi populi repudiari. Cic. in Caec. 5, 19. oportere eorum arbitratu lege agi. Tusc. III, 11. 25.

nec sequor magos] Cf. quos hac de re laudant Cic. de Rep. III, 9. et Asc. in Verr. I, 18. 48. Herod. VIII, 109. Menag. ad Diog. L. prooem. §. 6.

XI. easdem illos urbes, quas nos] Sic codd. meliores cum plerisque dett. (et ita Uict. Steph. Man. Dau. Or. Bak.). illos quas nos urbes, quod errore expressum est in mea edit. (et sic Car. Steph. Lamb. Ern. Wagn. Goer. Sch. Mos.) paruam habet auctoritatem a codd. D Cr. Dr. 2. In Gd. 2. om. urbes.

a Pythagora] Huius Pythagorici dicti Turn. auctores citauit Sen. Ep. 94. med. Plut. de Superst. p. 169. e. et de Orac. def. p. 413. b.

et quod Thales sc. dixit, ut uere iam Turn. uidit. Non raro praemissa passiua uerbi forma auditur actiua. Cic. Off. I, 11. 46. sed utilitatis specie in rep. saepissime peccatur, ut in Corinthi disturbatione nostri sc. peccarunt. ibid. I, 10. 33. quo in genere etiam in rep. multa peccantur, ut ille sc. peccauit, qui cet. Itaque Lbini non opus est coni. a Thalete. Hanc eandem Thaletis sententiam Arist. tetigit de Anima I, c. 5. Diog. L. I, 27.

homines existimare op.] Mendosam esse patet cod. arch. scripturam hanc: hom. existimare oportere

omnia cernere deorum esse plena, quam latinam non reddidit Zumptius pronomine se interponendo. Nec mendum aut Gzii coni. sustulit, qui omisso existimandi uerbo commendauit homines oportere omnia cernere deorum esse plena, aut Moseri: hom. existimauit oportere omnia cernere deorum esse plena. Neutra nec latina est nec Thaletis uocem reddit. Nec melius Dau. coniecit: hom. existimarit oportere omnia credere deorum esse plena; Bakius uero et temere nec latine coniecit: et homines existimare oportere omnia cernere deorum plena uerbis et quod Thales, qui sapientissimus in septem fuit omissis. Nec probabiliter contra codd. omnes Uict. Steph. Lamb.: hom. exist. oportere deos omnia cernere, deorum omnia esse plena. Aut relatiua sententia scribi oportet omnia quae cernerentur (sic Gebh. Ern. Wagn.) uel cernerent (sic Man. Or.) aut cernere omitti. Atque hoc equidem, quia Thales ipse uniuerse dixit πάντα θεῶν εἶναι πλήρη, non omnia, quae cernerentur, esse plena, magis probo. Simili interpretamento et cod. arch. inquinatus est I. §. 50. (uitare) et princeps deteriorum liber II. §. 31. (tollere).

ueluti cum] Et mendo cod. arch. (ueluti quo) conuenientius et ad sententiam accommodatius Mos. et Or. scripserunt ueluti quum i. e. eo tempore quo, quam de Lbini coni. reliqui, etiam Bakius, ueluti qui. Turn. Man. Lamb. 1566: uelutique in fanis essent, maxime religiosos.

quaedam opinione sp.] Sic secundum codd. meliores, in quibus tamen littera s uerbi sequentis adhaesit superiori, Mos. Or. Bakius. Cf. de uerborum ordine Cic. Off. I, 16. 50. sed quae natura principia sint communitatis et societatis humanae cet. Reliqui cum dett. codd. quadam opinione species.

§. 27. eandemque rat. — in agris sc. quam delubra in urbibus, ut deorum adspectu pietas augeatur.

religio Larum] Larum est Turnebi correctio necessaria et lege §. 19. confirmata et mendo codd. meliorum parum. Goer. Mos. Or. Larium. Pertinent haec ad sedem Larum ruralium, quam in lege dixit. Religio enim interdum pro re ponitur, quae religione teneatur, quemadmodum Verr. II, 36. 80. religionem dixit Dianae simulacrum. Compitalibus autem, qui dies festi erant in Larum honorem celebrati, non solum a liberis, sed etiam a seruis

colebantur, qui illis, ut Saturnalibus, fruebantur libertate. Cf. Dion. Hal. IV, 14. Quae deinde sequuntur: ritus familiae patrumque seruare, ea pertinent ad domesticum penatium larumque familiarium cultum. Seruare est uetus eaque necessaria correctio.

§. 28. consecratur humana] Codd. omnes manu. At manu consecrare quomodocunque interpretaris, absurdum est. Et interpretantur fere Turnebo principe de templorum dedicandorum ritu, quia qui templum dedicaret, postem manu teneret. Sed primum id dici non potuit manu consecrare; deinde non agitur de templorum dedicandorum ritu, ne de templis quidem omnino dedicandis, sed de uirtutibus consecrandis i. e. in deorum numero habendis. Mendo manu expulso, ut Schuetz. fecit, sententiae quidem consulitur; sed expellere istud nullo alio in eius locum uocabulo restituto, id audaciae est. Restitui autem necesse est humana; nam humanas uirtutes consecrari, satis ea ostendunt, quae sequuntur (habent autem omnes boni). Cf. Cic. Rep. I, 7. 12. et quae de mendi genere dixi praef. p. XVII. Eadem corrigendi ratione usus sum III. §. 38. uos quidem pro mendo codd. meliorum uos dem, et alii usi sunt II. §. 58. lamina pro mina. In eandem coniecturam propositam primum a me in progr. 1841. p. 16. incidit Krausius in progr. 1842. p. 9. mea non cognita disputatione. Coniecturae Dauisii iam diuque harum omnium, Wyttenbachii neque harum omnium, Rathii consecrata a maioribus sunt, quorum omnium merito sunt explosae. De re cf. Cic. Nat. Deor. II, 23. 61. Lact. I, 20.

quarum omnium] Genitiuus pendet ex uerbo sunt, non ex dedicandi uerbo (und diese alle besitzen zu Rom Tempel, die ihnen geweiht sind). Cf Cic. N. D. III, 17. 43. At earum templa sunt publice uota et dedicata et paullo post ne ceteri quidem dii, quorum templa sunt dedicata; similiterque III, 30. 52. itaque et Fontis delubrum Naso ex Corsica dedicauit et pro Arch. 8, 19. Genitiuus ex delubri nomine pendet (sie weiheten einen ihm angehörigen Tempel in der Stadt). De re uide Cic. N. D. II, 23. 61. Hartung Rel. II. p. 262.

ut illa] Dau. et Sch. illas, ut pron. ad genus praecedentium nominum accommodaretur. At neutro pronominis ad uniuersam rerum notionem relato nihil frequentius.

nam illud uit.] Nullum h. l. lacunae ab antiquioribus notatae uestigium. De part. nam uide quae dixi II. §. 26. De Lactantii (I, 20.) uerbis: magnum audaxque

consilium Graecia suscepit, quod Cupidinum et Amorum simulacra in gymnasiis consecrasset, quae quibusdam huc uisa sunt pertinere, uide quae dixi uol. I. p. 142. ad fragm. II. Deinde minus recte quidam, ut Ern. Wagn. Bakius, post uitiosum interpunxerunt. Ita nimis insigniretur Athenis, quasi momenti alicuius esset, quod Athenis, non alibi Contumeliae et Impudentiae fanum fecissent. Sententia haec est: das ist eine fehlerhafte Einrichtung zu Athen. De fanis illis Dau. laudauit Zenobii Cent. IV, 36. Clem. Al. Protr. p. 22. Suid. s. u. θεός.

Cylonio scelere] Cylonium scelus non erat scelus a Cylone commissum, sed scelus a Megacle eiusque sociis aduersus Cylonis socios patratum, qui cum ad Mineruae aram supplices accessissent, ab illis necati sunt. Cf. Thuc. I, 126. Plut. Sol. 12. Paus. VII, 25. 1. Her. VII, 71. Cumque peste deinde et aliis calamitatibus Athenienses premerentur, Epimenidem Cretem ad Cylonium scelus expiandum Athenas arcessitum esse constat. Quo suadente Contumeliae et Impudentiae, ut illas placarent, fanum fecerunt. Cf. Plut. Sol. 12. Heinrich Epimenides p. 97.

consecrare] Goer. Mos. Or. consecrari; sed illud recte potiore codd. auctoritate Bakius cum reliquis retinuit.

araque uetusta] Posteaquam illud uitiosum esse dixit Athenis, quod Contumeliae et Impudentiae fanum fecissent, etiam Romae aram Febris et Malae Fortunae atque reliqua generis eiusdem omnia repudianda esse adiungit. Cum igitur repudianda sunt commune sit omnium earum rerum praedicatum, quae uitiosae h. l. commemorantur, prauam esse patet et scripturam ante Gzium fere uulgatam araque uetusta stat (Uict. Man. Lamb. Ern. Wagn.) et Dauisii coniecturam, quae tamen id incommodi sustulit, quod standi uerbum habebat. Aut relatiuam sententiam aut adiectiuum aliquod ex mendo codd. meliorum (correcti sunt AB 11. 65.) extricari necesse est. Illud Gzio auctore amplexi sunt Sch. Mos. Orellius (araque quae uetustissima est *]); sed uerius tamen Madu. in progr. 18. commendauit, quod ex cod. 58. Bakius excerpsit, araque uetusta in. Pro uetusta ne cum Bakio substituatur uetus, ut iam Steph. edidit, equidem nihil intercedo (nam uetus stat est aperta ueteris mendi in dett. codd. correctio et

*) idem num uere ex Uind. et Br. excerpserit Gzius, dubito; reliqui certe codd. omnes aut araque uet. aut araquae uet.

mendum meliorum non minus huic, quam illi scripturae fauet); ipsa ui sua illud cum eo non improbauerim, quia diuturnitatis notio ab hoc loco aliena sit aramque cum laude et honore dici necesse sit. Reliqua, quae de antiquiore Turnebi sententia (nam postea mutauit) melioribus codd. confirmata recte reliqui constituerant: detestataque omnia eiusm. rep. sunt, frusta impugnauit et Madu. et Bakius. Quid enim? Primum quod Madu. ait post detestata incommode dici eiusmodi, id non solum incommodum, sed etiam necessarium est. Nam multa sunt detestata, quae huius generis non sint quaeque consecrare in mentem ueniat nemini Haec igitur isto modo excluduntur. Et quod deinde peruersum esse ait dicere detestata omnia esse repudianda, quasi quisquam, quae detestetur, non repudiet, hoc non cadit in haec detestata, quae cousecrarentur. Nam Pudicitiam, Contumeliam, alia detestata cum consecrarent, intelligitur non esse repudiata. Denique cur arae rerum detestandarum (nam hae sane dici uidentur repudiari, non ipsae res detestatae. cf. §. 27.) detestatione a rebus ad aras translata dici non possint res detestatae, ego non intelligo. In ipsius Maduigii coniectura Malae Fortunae detestandae atque omnia eiusm. rep. sunt male se habet detestandae, siue ad aras retuleris, siue ad Malae Fortunae. Bakius et contra codd. et putide araque uetus in palatio Febris et altera Esquiliis Malae Fortunae, quae detestanda, omniaque eiusm. rep. sunt; Lbinus, quia ante scripserat araque uetus stat, de altera Turnebi coni. (Adu. XIV. c. 6.) scripsit: quae omnia eiusmodi detestanda et rep. sunt, cum ipse tamen coniiceret: quae eiusmodi et detestata omnia rep. sunt. Febris fanum in palatio et aram Malae Fortunae in Esquiliis Cic. etiam de Nat. Deor. III, 25. 64. commemorauit. Cf. Ael. Var. H. XII, 11. Plin. H. N. II, 5. Val. Max. II, 5. 6. Aug. C. D. III, 25.

Quodsi fingenda] In cod. arch. procul dubio haec erant: quodsi fingenda nomina Uicaepotae et potius (uel epotius) uincendi atque potiundi Statasandi cognominaque cet. Quibus qui ante Gzium coniecturam ita superstruxerunt, ut Gerundia retinerent, a recta uia deflexerunt, ut Lamb. (quod si fing. nomina sunt Uicae poëtae fingenda potius a uincendo atque potiundo, sistendoque cognomina Statoris, Omnipotentis et Inuicti cet.), et Dauisius (quodsi fing. numina, Uica pota esset potius uincendi atque potiundi, Stata standi cognominaque cet.); recteque Gzio as-

sentiuntur reliqui *) foeda ista interpretamenta esse expellenda (u. praef. p. XVI.). Quibus expulsis non tamen recte sic uidentur ista constituisse: quodsi fing. nomina, Uicaepotae potius atque Statae cet. sc. fingenda sunt nomina, non fingantur, quod Bakius audiri noluit. Mihi certe semper istud displicuit supplementum; nam eorum locorum, in quibus secundariae sententiae uerbum auditur in primaria, alia est ratio, ut Cic. Phil. II, 25. 61. si te municipiorum non pudebat, ne ueterani quidem exercitus. Atque ipsum cod. arch. mendum et potius uel epotius Ciceronem haec scripsisse arguit: Uicaepotae est potius sc. fingendum nomen. Nomina Uicaepotae atque Statae leuiore illa uocula interposita nec ui sua exuuntur nec ex trium ordinum numero (Uicaepotae et Statae — Statoris et Inuicti Jouis — Salutis, Honoris, Opis, Uictoriae) eximuntur. Uicaepotae aedem Liu. II, 7. scribit in infimo Ueliae cliuo collocatam fuisse; Statae simulacrum fuisse in foro Fest. s. h. u. tradit. De Joue Statore et Inuicto laudant Aug. C D. VII, 11. Liu. I, 12. Sen. de Ben. IV, 7. Ou. Fast. IV, 621. VI, 650.

Salutis cet.] Harum omnium rerum expetendarum Romae templa erant. Cf. Cic. N. D. II, 23. 61. De Salute, cuius in colle Quirinali dedicatum templum erat, uide Plin. H. N. XXXV, 4. Mac. Sat. I, 16. init.; de Ope Varr. L. L. V. §. 57. 64. 74. ed. Muell. Macr. Sat. I, 10; de Honore, cuius aedes extra portam Collinam erat, Liu. VII, 25; de Uictoria, cuius in palatio templum erat, Liu. XX, 33. XXIX, 14.

Quoniamque] Pro hac uerissima Turnebi coniectura, quae nititur codd. melioribus, ignorata codicum dignitate Handius Turs. III. p. 521. male substituit quandoquidem, Gzius et quandoquidem, Zumptius quoniamque item; in qua coniectura item non habet, quo referatur. De Spe u. Cic. N. D. II, 23. 61. Liu. II, 51. XXI, 62. XXIV, 7. Fortuna, cuius plura Romae templa erant (Tac. Ann. III, 71.), et his et aliis cognominibus colebatur. Cf. Hartung II, p. 237. Orellius Brissonii coni. probat huiusque.

comes tum] Non inepte quibusdam uel Comes Fortuna uidetur appellata esse, quod hominem per uitam comitaretur. Quod si ita est, cum sequentis legis explicatione

*) unus Zumptius mendis seruatis inepte coniecit: quodsi fingenda numina, Uicepotae et potius Uincendi atque Potiundi statuenda cognominaque cet.

(sacra sol. ob.) etiam plura Fortunae cognomina, quae mutata uerborum structura per particulam tum adiunxit, hac lacuna perierunt. Certi quicquam nec adhuc a uiris doctis excogitatum est nec unquam excogitabitur. Errauit autem procul ducio A. G. Zumptius, qui haec sic distinguens: a gignendo comes. Tum feriarum cet. omnia integra esse contendit.

XIII. §. 29. Feriarum] Feriae ii dies nominabantur, quibus uacatio esset negotiis publicis, siue festi erant siue profesti; dies festi autem ii erant, qui ad deorum cultum et religionem pertinerent. Cf. Fest. s. u. feriae.

habet litium] Sic codd. meliores cum multis dett.; Bakius sine iusta codd. auctoritate litium habet. De litium et iurgiorum requiete u. Cic. de Diu. I, 45. 102. Ou. Fast. I, 73. Eadem Plat. Legg. XI, 13. p. 935. a templis et sacrificiis remoueri uult. De seruis opere faciundo per dies festos liberis u. Hor. Carm. III, 17. 16. III, 18. 11. Tib. II, 1. Ou. Fast. I, 667. Pers. Sat. IV, 27.

compositio anni est opera sacerdotum annum componentium (die anordnende Thätigkeit der Priester). Ferias autem a pontificibus proscribi solitas esse confirmatur exemplo uindemiarum et feriarum sementinarum ap. Varr. VI. §. 16. §. 26. Male Lamb. in marg. 1584. (ed. 1566. quia compositio) Dau. Ern. Wagn. compositor anni.

ad perf.] Male ex paucis codd. dett. Steph. Ern. Wagn. et ad perfectionem.

adque tempus ut] Ineptiunt, qui mendum cod. arch. quod tempus defenderunt prudentiusque sibi uisi sunt h. l. uersari, quam Ernestius, qui ingenue, quo ista referenda essent, se dixit nescire. Scilicet aut ἀνακόλουθον orationem esse dicunt, ut Wagnerus, aut ut Goer. et Mos. imperite ea sic interpretantur, ut dicta sint pro quod attinet ad. Quorum prauitas facile hinc elucet, quod, si uera essent, referri ea necesse esset ad id tempus, quo opera rustica perfecta essent. Sed nihil hoc tempus, quo sacrificiorum libamenta offeruntur, commune habet cum illo, quo opera perfecta sunt. Cum autem ipsa lex sacrificiorum libamenta fetusque pecorum ad certos dies seruari eamque ob causam diligenter intercalandi rationem haberi iubeat, in explicatione legis id praetermitti non potest. Perspexit id Halmius, qui in Phil. I. p. 177. hanc coniecturam proposuit: utque ad tempus statum sacrificiorum libamenta, non item Bakius, qui commendauit: utque libamenta seruentur omisso sacrificiorum uocabulo, nec

ante Dauisius, qui coniecit: operum rusticorum in commodum tempus. Ut sacrif. lib. cet. Sed Halmii coni. uidetur iusto uiolentior esse. Leniore mutatione conieceram in Jahnii Ann. 1845. p. 532. atque ad tempus ut. Sed quoniam in hoc transitu ab alia lege ad similem aliam melius se habet (uide quae mox dixit: cumque Uesta. §. 30. descriptioque) part. que, atque ad uel at propter praecedentem litteram ū facile omitti potuit, quemadmodum omissum est III. §. 34, multo mihi probabilior uidetur coniectura ea, quam recepi. Ad tempus pro statuto tempore dicitur ad Att. XIII, 45. 2. Verr. I, 54. 141. Sacrificiorum autem libamenta quod dicit, id mihi non item ut Bakio Halmioque displicet. Interpretor ea, quae in sacrificando libantur, atque genitiuum ipsa orationis concinnitate commendari existimo. Zumptius, qui sic uertit: die Opfer des Gottesdienstes und jungen Viehes, male fetus ex uocabulo libamenta pendere iudicauit.

intercalandi est] Ante Julianam anni descriptionem Romanorum annus lunaris erat 355 dierum Qui ut anno aequipararetur solstitiali, intercalatione opus erat, quae mandata erat pontificibus. Eorum autem adeo fasti turbati sunt negligentia, ut Caesari postea ad solis conuersionem cum anni descriptione conciliandam 67 dies essent intercalandi. Dio Cass XLIII, 26. Cens. c. 20. Suet. Caes. 40. Fastos — iam pridem uitio pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque messium feriae aestati nec uindemiarum auctumno competerent. Quod Cicero autem h. l. negligentiae tribuit, id alii scriptores uel gratiae uel odio uel cupiditati uel fraudi tribuunt. Cens. l. l. Macr. I, 14. Amm. Marc. 26, 1. Plut. Caes. 59. App. B. C. II, 154.

confitendarum] Uetus est monachi in cod. arch. correctio confitendarum, quam Zumptio placuisse miror. Cuius ex uariis emendationibus, quas uiri docti proposuerunt, conficiendarum, quae Scheffero placuit et Wyttenbachio, conferendarum, quam ex antiquo libro Man. duxisse se dixit, conseruandarum Dauisii, concipiendarum Wagneri, constituendarum nescio cuius, denique continendarum Bakii, nulla probabilis est. Proxime mihi ad uerum accedere uidetur Lipsii coniectura cum fide tuendarum; quam ita probo, ut tamen uerba cum fide, quibus orationis concinnitas tollitur, omittenda censeam. Nam sacerdotum non minimum patriarum religionum tuendarum officium erat. Contuendarum, quod proprius ad mendi similitudinem accedit, etsi Fest. s. u. tuor p. 271.

ed. Lind. contueor pro defendo usurpatum esse dicit, probare nolui propterea, quia nusquam apud Ciceronem istud hunc in modum usurpari uidi.

non interpretatum] Temere existimandi officio functi sunt, qui aut interpretatum, ut Gzius, Schuetzius, aut graecum interpretatum nomen, ut Dauisius, deleri iusserunt. Nec probabilius tamen aut Lbinus ita coniecit: quod nos prope idem graeco interpretatum nomen tenemus, aut Bakius sic: quod nos quoque idem graecum interpr. nom. tenemus in hanc sententiam: „graecum nomen ἑστίας nos quoque interpretando, ut sit nobis focus, idem tenemus". Nimirum in interiecta sententia graeci tantum nominis (ἑστίας), non latini (foci) ratio habetur. Cf. Cic. Nat. Deor. II, 27. 67. Recta emendandi uia in duobus codd. ambr. iam ita inita est, ut negandi uocula nec uel non ante interpretatum sit restituta. Illam Moserus etiam coniectura erat assecutus, hanc ut in contrarii significatione rectius Halmius probauit l. l. p. 177. Eius notae n̄ post graecū facilis omissio erat.

complexa sit est correctio mendi conspexa *) necessaria, inde a Manutio uulgata. Quam si nuper Halmius l. l. uel propterea improbandam esse dixit, quod in codd. α β γ 10. (nam 47. 48. 122. codices non sunt) scriptum sit focus urbis, cum meliores cum plerisque dett. focum teneant, nimium istorum codicum auctoritati tribuit.

ut aduigiletur] Quippe uirgines uariis mulierum curis non distractae omnes suas cogitationes ad ignem custodiendum conferre poterant.

naturam feminarum] A recta uia deflexerunt coniecturae Lbini: a natura feminarum omnem castitatem peti (ed. 1584.), Dauisii: in natura feminarum omnem castitatem probari, Manutii: in natura feminarum omnem castitatem peti, Bakii: mature feminas ad omnem castitatem temperari. Mendum cod. arch. innaturam ab eo patet profectum esse, qui omnem castitatem pati a feminarum natura alienum esse existimauit. Similiter §. 35. in Gd. 2. eadem de causa inmulierum scriptum est pro mulierum. Itaque merito Lipsii coniecturam a nobis probatam receperunt Goer. Mos. Sch. Or. Nec tamen recte Or. omnem retulit ad naturam, ut natura feminarum omnis idem esset, quod

*) in dett. codd. ut saepe, inde efficta est latina uerbi forma conspecta.

omnes feminae. Uere iam Gzius omnem castitatem esse dixerat omnis generis castitatem.

§. 30. sine eis] Nec necessarium est in hac uniuersa sacerdotum notione circumscribenda pron. his, quod ex dett. codd. receperunt Goer. Sch. Mos. Or. Bakius, nec aptum. Deinde cum Man. Lamb. Dau. ex melioribus codd. restitui praesunt; cum Uict. et Stephano Ernestius, reliqui praesint. Hoc generaliter sacerdotes ita definiret, ut eorum quasi qualitas quaedam denotaretur; illud eorum definitionem a reliqua sententia uindicatam et per se conceptam ponit. Cf. Off. I, 25. 89. optandumque, ut ii, qui praesunt, Legum similes sunt; at contra de Leg. III. §. 12. iisque, qui praesint, contineri rem publicam. Off. I, 39. 141. Brut. 49, 185.

religioni priuatae] Religionem publicam in lege cum priuata commemoratam quia, quod h. l. dicit de populo auctoritate optimatium semper indigente, non attingit, in explicatione legis praetermisit. Infeliciter haec Bakius coniectura tentauit: priuati satisf. n. p., quasi uero religioni magistratus possint satisfacere. Qui quod subiectum uerbi possint non apparere dixit, nisi priuati corrigeretur, non attendit homines intelligi, quos deinde populi nomine appellauit. Nec uero priuatam religionem recte negauit dici latine.

continet enim remp.] Sic recte cum codd. et plurimis et optimis Man. Or. Bakius (idem Schuetzio placuit) in hanc sententiam: „consilio et auctoritate optimatium, quorum in numero erant sacerdotes, semper egere populum sustentat rem publicam". In eandem sententiam rem publicam continere dicitur Cic. Off. II, 24. 84. similiterque uitam continere de Fin. I, 4. 12. amicitiam Lael. 6, 20. Reliqui fere: continet enim rei publicae consilio cet. In quo primum incommode nominatur rei publicae consilium; deinde continere nec substantiuo addito (ut III. §. 38.) nec pronomine demonstr. generis neutrius parum recte dicitur pro significare, quemadmodum Wytt. cum aliis explicauit et explicari necesse esset, si rei publicae probaretur. Dau. coniecit continet enim, remp. consilio et auct. opt. semper indigere sententia Tullii menti contraria.

praesint] Codd. B C Gd. 2. α β γ praesunt, quod in consilio significando (u. §. 20.) nullo pacto potest probari.

ad interpretanda] Uetus cod. arch. mendum fuisse existimo interpretandam; unde in aliis codd. effectum est interpretandum, in aliis interpretanda. Hoc ut

nunc probem, non quod recepi, interpretandum, facit accurata Maduigii disputatio in Opusc. I. p. 381. sqq., qui gerundii formam in hoc quidem dicendi genere aut deteriorum codd. auctoritate ubique niti demonstrat, aut in iis libris uulgari, quorum non satis diligenter notatam discrepantiam habeamus. Nec minus profecto interpretanda, quam interpretandum codd. meliorum mendo commendatur.

neque multorum — neque ut] Non opus est correctione, qua opus esse Ern. Handius, alii dixerunt, atque peruerse Lamb. coniecit neque multorum, ne esset infinitum, neque paucorum librorum, ne ea ipsa, Dauisius reliquis seruatis neue ea ipsa, Ern. ut omitti uoluit. Sententia quidem, ut recte iam Wagn. uidit, haec est: „alii constituti sunt ad interpretanda praedicta uatum neque multorum (sc. uatum; male Dau. de sacerdotibus cogitauit), ne esset infinitum, neque ita, ut quae suscepta publice essent, quisquam extra collegium nosset". Interpretandi igitur rationem definiri et taciturnitate sacerdotes obstringi patet, qua obstrictos fuisse diserte tradit. Lact. Apol. 5. Dion. Hal. IV, 62. Sybillarum autem oracula, non aliorum uatum effata a Quindecimuiris et custodita et consulta esse constat.

§. 31. Maximum autem] Cum ab initio partitionem instituisset pronominibus alii — alii usus, orationem deinde leuiter immutauit, quia et auguratum ceteris sacerdotiis praestantiorem declarare uoluit nec pluribus uerbis interpositis eiusdem structurae idonea uisa est continuatio.

cum auct. coni.] Sic recte cum melioribus codd. (nam idem confirmatur mendo quom auctoritate coni.) Goer. Sch. Mos. Bak. Zumpt. Krausius l. l. p. 469. Nimirum auguratus isto modo generatim cum auctoritate coniunctus dicitur. Cf. Cic. de Diu. II, 33. 70. ib. I, 40. 89. Eandem sententiam Dau. exprimere uoluit coniectura sua non necessaria ius est augurum summae auctoritati coniunctum. Haudquaquam probabilis correctio est aut ea, quam Steph. Man. Dau. Ern. Wagn. expresserunt (et cum auct. coni.), aut ea, quam Uict. Lamb. Madu. (Emendatt. p. 75) Or. *) probarunt (cum est auctoritati coni.). Hoc quidem modo auguratum non generatim cum auctoritate coniunctum diceret, sed fieri etiam posse significaret, ut cum auctoritate coniunctum non esset.

*) hic tamen fortasse legendum esse dicit quoniam est auctoritati coni.

quid enim maius cet.] Haec omnia augures effecerunt obnuntiatione, qua uti tamen tantummodo poterant, cum magistratu auctore auguria capiebant; nam ipsi non habebant spectionem. Cf. Marquardt Ant. Rom. II. 3. p. 72. Obnuntiantes autem magistratui, cui aderant in auspicio, uti solebant uerbis alio die, ut futilis sit correctio codd. dett. aliter, quam Zumptio non prorsus displicuisse miror. Ne alio quidem omisso substantiuo die, ut Gzio uisum est, recte dicitur. Atque additum est nomen, ubicumque illa formula commemoratur. Cf. Cic. Phil. II, 33. 83 et 84. Briss. de Form. I. p. 119; et propter simillimas uerbi sequentis litteras facillima eius omissio fuit. Steph. et Man. alium dixerit.

magistratu se abdicent] Scilicet si rite, an uitio creati essent magistratus, ambigebatur, de eo decernebant. Quo facto, si uitio creatos dicebant, senatus decreuit, ut magistratu se abdicarent. Cuius generis memorabile exemplum traditum est a Cic. de Nat. Deor. II, 4. Cf. etiam Liu. IV, 7.

cum populo, cum plebe] Cum populo agebatur comitiis centuriatis, cum plebe tributis. Illa nonnisi auspicato poterant haberi; haec antiquioribus temporibus auspiciis carebant. Liu. VI, 41. Dion. Hal. IX, 41. X, 4. Sed ex quo tributorum comitiorum crescebat grauitas, obnuntiatio quoque a comitiis centuriatis translata est ad tributa per leges Aeliam et Fufiam. Cf. Marquardt Ant. rom. II. 3. p. 87. 121. Quas cum Clodius sustulisset (Cic. Vat. 6, 14. pro Sext. 15, 33. Dio Cass. XXXVI, 13.), Tullius hac lege retineri uult.

quid? legem] Uerborum structuram non prorsus eodem modo absolui patet, ut inchoata est. Ita in hunc ferme modum istam absolui necesse esset: quid praeclarius, quam legem cet. Sed quia eorum, qui praecedunt, comparatiuorum uis etiamnunc menti satis inhaeret, illi ius cum populo aut plebe agendi notioni aliam adiungit legis, si non iure rogata est, tollendae notionem, orationis progressum pronomine quid (ferner) significans. Deteriorum codd. scriptura si non iure rogata est mendo confirmatur meliorum leges non iure rogata est. Nimirum leges ortum est ex duorum uocabulorum legē si confusione. Turn. Steph. Man. leges non iure rogatas. De lege Titia itemque de Liuiis uide quae dixi II. §. 14. Pithoeus Adu. II. c. 5. etiam h. l. inepte coniecit Thoriam uel Turiam.

militiae necessaria est correctio mendi familiae. Foris, quod Lamb. Ern. Wagn. ex uno cod. Ursini recepisse se dixerunt, est coniectura parum probabilis. Mox Bakius pro cuiquam probari temere commendauit comprobari.

XIIII. §. 32. inter Marcellum] C. Claudius Marcellus, Marci eius, qui Syracusas cepit, pronepos et Appius Claudius Pulcher Ciceronis in auguratu collegae erant. Libri auguralis ab Appio Claudio et scripti ad se et missi Cicero meminit ad Fam. III, 4. 1; dissensionis autem, quae inter ipsos fuerit, mentionem facit de Diu. I, 47. 105. II, 35. 75.

nam eorum ego in libros incidi] Addidit haec uerba, ut, unde id Atticus sciret, eluceret neue quis collegarum sermones a Marco enuntiatos esse crederet. Quapropter parenthesi uerba sunt circumscribenda. Nec uero ferendum est, quod Bakius maiore interpunctione post dissensio posita uerba sequentia cum alteri placeat cet. iunxit ex uerbis: nam eorum ego in libros incidi, similem hanc structuram esse dicens atque illam: memini cum diceret. Quod longe secus est. In illis quidem cum recte temporis notionem obtinet; hoc loco, si isto modo struere uelles uerba, loci notionem assumeret, ut esset pro in quibus: quam nusquam habet. Quod cum ipse Bakius sensisse uideatur, cum fortasse natum esse dixit ex quorum; quod non magis cuiquam persuadebit.

diuinare] Diuinari, quod mendum cod. arch. cum Uict. Zumptius probauit, parum recte ita diceretur, quasi omnino auguralis disciplinae ope posset diuinari, non soli augures possent. At uero diuinare disciplina per prosopopoeiam quandam non minus recte dicitur, quam et docere (I. §. 58.) et sentire philosphia. Cic. Ac. II, 6. 22. itaque omnis illa antiqua philosophia sensit in una uirtute esse positam beatam uitam. Male et Dau. coniecit quasi diuinatio uideatur prorsus esse, et uir doct. in Misc. Obseru. IV, 3. p. 322. alteri disciplina uestra quasi diuina res uideatur prorsus esse. Deinde Man. sine causa prorsus omisit, Ern. omitti uoluit prorsus posse. Prorsus ualet ad diuinandi uim augendam, ut nihil omnino diuinationi deesse uideatur, quin perfecta sit.

esse sentio] Pro censeo, quod reliqui expresserant, Bakius codicum auctoritate merito reuocauit sentio. Hoc magis sententiae in animo inclusae uim habet, illud sententiae dicendae (gutachtliche Erklärung). Cf. Cic. Fin. I, 3. 10. sed ita sentio et saepe disserui. Lael. 5, 18.

sed hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse. Ac. I, 6. 22. et quae Bakius laudauit de Rep. I, 45. ad Fam. I, 7. 5. Plura suppeditant Madu. de Fin. II, 3. 6. et Wesenberg in Emend. Tusc. Disp. II. p. 7.

si enim deos esse concedimus] Quae uulgata fere est mendi, quod in cod. arch. fuit (signis quod disciplinae nostrae summos deos esse concedimus), correctio: quod, cum summos deos esse concedamus, ea parum probabilis est. Nam nec pronominis quod transpositi ratio reddi potest probabilis, nec recte dii uniuersi dicuntur summi, nec aut cum aut concedamus codicum auctoritate ulla nititur. Denique quod tum demum recte se haberet, si ratio his uerbis absolueretur, ut de Off. I, 44. 158; alienum est a propositione maiore syllogismi hypothetici. Quas difficultates omnes nec Dauisii coniectura sustulit quod cum deos esse concedimus, nec Moseri quod si eam esse concedimus, nec Orellii quod, si deos esse concedimus, nec Bakii quoniam, si modo deos esse concedimus, nec denique peruersissima omnium Rathiana: signis. Quod cum in disputatione nostra sumamus deos esse concedi. Sustulit autem omnes Maduigii coniectura a nobis recepta: qui summos ex trium uocabulorum compendiis (si. n̄. dos) conflatum, quod autem ex compendio syllabae dis (nam quod et dis compendiis notabantur simillimis) natum esse dixit, qua restituta mendum esset seruatum. Utroque modo saepius in codd. peccatum esse uidimus II, 7. 15. II. §. 24. Errant, qui uerba disciplinae nostrae superflua esse dicunt; nondum enim pronomine hanc ita auguralem disciplinam descripserat, ut cetera signa non ea omnia, ex quibus deorum uoluntas cognosceretur, sed ea tantum esse elueeret, quae ad augurum disciplinam pertinerent.

et eosdem] Mendi, quod in cod. arch. fuit, eorundem hominum, haudquaquam probabilis est correctio a plerisque probata, eorundem benignitatem hominum. Semper enim Cicero deos consulere dicit (Legg. II, §. 15. de Diu. I, 51. 117.), non deorum benignitatem; et genitiuum eorundem propter uiciniam eiusdem casus similiter, ut II. §. 21. oratorum, ortum esse multo uerisimilius est. Quare ne Zumptii quidem placet coniectura eorundemque numen. Ceterum hanc esse Chrysippi in breue contractam de diuinatione argumentationem, quam plenam propositam de Diu. II, 49. refutauerit II, 50, recte Gzius animaduertit. Quod autem Cicero, qui diuinationem esse h. l. affirmat, in altero, quem de diuinatione scripsit, libro

esse negat, secum ipse pugnat, eius rei causa aut inde uiris doctis uisa est repetenda esse, quod quae his in libris de diuinatione disputaret, ad rei publicae usum accommodasset, in libris de diuinatione scriptis, quid argumentis diligenter ponderatis uerum sibi uideretur, exposuisset, uel hinc, quod, posteaquam acrius philosophiae operam dedisset et a uetere Academia, quae diuinationem probabat (Cic. de Diu. I, 3. 5.), ad recentem hanc a Carneade et Arcesila transiisset (Ac. I, 4. 13.), sententiam mutasset. Quorum hoc recte Gzius sibi ueri similius dixit uideri et Ciceronem, si tum, cum leges scriberet, idem atque postea de diuinatione sentiret, alio quodam modo h. l. de ea fuisse disputaturum.

§. 33. augurum praedictis cet.] Dau. coniecit augurum praedicta multa incredibiliter uera accidisse. Cuius rationem nostra aetate Bakius ita probauit, ut cecidisse retineret. At res eueniunt ex praedictis, non praedicta. Itaque prudentius certe Rathius et uir doctus in Misc. Obseru. III, 1. p. 68. coniecerunt ex augurum praedictis multa cet. Uerum non opus est praepositione, si quidem ipse ablatiuus id, quo metiamur rem, indicat. Uera autem similiter cadendi uerbo adiungitur, ut uerbo manendi et aliis nomen aliquod adiungitur, ut sententia haec sit: „et nostri et aliorum populorum exempla declarant, multa, si ad augurum praedicta direxeris, ita euenisse, ut uera essent (vieles sei nach den Voraussagungen der Augurn richtig eingetroffen). Cf. Cic. pro Mil. 30, 81. si minus fortissimi uiri uirtus grata cecidisset. ad Quint. Fr. II, 3. 1. sed certe a te mihi omnia semper honesta et iucunda ceciderunt. Sine causa igitur uera suspectum fuit Ernestio et Wagnero. Qui praedictis, ut Wagn. et Mos. pro datiuo habuerunt, ut eodem modo dictum esset atque de Or. I, 21. 96. insperanti mihi cecidit, ii non animaduerterunt, datiuum tantum de iis usurpari, ad quos, quod accidat, pertineat.

Polyidi] Haec quorundam codicum correctio post Manutium et Lbinum probata ab omnibus et mendis confirmatur codd. plurimorum (u. ann. crit.) et eo, quod eiusdem Polyidi cum reliquis uatibus mentio fit apud Cic. de Diu. I, 40. 89. Uict. Steph. Grut. Polletis scripserunt, Suidae ducti auctoritate, qui nomen id uatis fuisse dicit s. u. Πόλλης et Μελάμπους. Sed et aetate is multo erat illis inferior et celebritate nominis. Polyidus autem ille fuit Corinthius ex Melampidarum genere, quem Hom. XIII, 663. celebrat. Laudat praeterea Dauisius schol. ad Pind. Ol. XIII,

78. — **Melampodem**, uirum et medicina et diuinatione clarissimum, quem Cic. de Nat. Deor. III, 21. 53. Atrei filium dicit habitum esse, reliqui Amythaonis dicunt fuisse filium. Cf. Apoll. I, 9. 11. II, 2. 2. Her. II, 49, qui Cadmi eum aetate uixisse tradit. Uide Creuz. Myth. III. p. 173. ed. 1. — **Mopsus** eiusque frater Archilochus Argiuorum reges erant et iidem augures eorumque oracula diu in Cilicia floruerunt. Cf. Cic. de Diu. I, 40. 88. de N. D. II, 3. 7. Strab. XIV. c. 5. C. O. Mueller Dorier I. p. 113. sqq. — **Amphiarai**, qui fuit expeditionis a Polynice aduersus Thebas susceptae socius, **Calchantis** et **Heleni**, qui troicis temporibus fuerunt, ut clarissimorum augurum saepius Cicero mentionem fecit (de Diu. I, 40. 88. de Nat. Deor. II, 3. 7.)

id ad hoc tempus] Pron. id refertur ad uniuersam **diuinandi** notionem, quae ex superiore disputatione scriptoris menti obseruabatur. Cf. quae hac de re dixi I. §. 45. Itaque futilis est Bakii coniectura **diuinationem ad hoc tempus**.

Arabum, Phrygum] Mendo cod. arch. **adparigum** duarum gentium nomina, quae diuinationem retinuerint, contineri, hinc perspicitur, quod duo priora totius ordinis membra binis nominibus confici patet, quae deinde unum nomen sequitur prae ceteris eminens **Pisidarum**. Non temere igitur probarunt reliqui, quod nescio quis primus coniecit, **Arabum Phrygum**, praesertim cum Arabes cum reliquis populis saepe eadem in causa commemorentur. Uide Cic. de Diu. I, 41. 92. ib. I, 42. 94. Habemus igitur et hoc loco duorum uocabulorum in unum confusionem. Cf. II. §. 32.

certa esse] Necessaria est haec correctio mendi **certe** a Zumptio probati pridemque uulgata. Sententia enim haec est: „uetustas ea non dubia esse docuit". De Romulo uide Liu. I, 6. sqq. Enn. ap. Cic. de Diu. I, 48; de Attio Nauio Liu. I, 36. Cic. de Diu. I, 17. 31. de Nat. Deor. II, 3. 9. Dion. Hal. III, 70.

omnes hi] Hunc uerborum ordinem a Steph. expressum — reliqui **hi omnes** — et codd. tuentur nec respuit oratio; dicendi enim pondus positum est in uoce **omnes**. Quapropter, praesertim cum meliorum etiam codd. mendo **nisio si multa** confirmari uideatur, in uerborum seriem eum recipere non dubitaui. Cum autem dici sic oporteret: neque uero Romulus auguriis usus esset, nisi multa isti ad ueritatem admirabilia dixissent (nam ut opinionem susciperet esse augurandi scientiam, uel illorum auctoritate poterat commoueri. Cic. de Diu. II, 38. 83.), neque Naeuii tam diu nomen floreret, nisi ipse multa ad ueritatem ad-

mirabilia dixisset: hanc utramque sententiam in unam contractam semel posuit atque ad omnes eos, quos commemorauerat, retulit. Itaque non opus est temeraria Bakii coniectura, alio etiam nomine parum probabilis: nec uero Romulum nostrum auspicato urbem condidisse neque Attii Nauii nomen memoria floreret tam diu, nisi nostri multa cet.

ita (i. e. hoc cum ita sit) cum codd. et plurimis et optimis Man. Sch. Mos. Or. Bak.; ceteri itaque. Cf. de utriusque particulae discrimine Seyff. ad Lael. 21, 80.

neque illi] Pronomen ad Marcellum et Appium augures, de quorum dissensione nunc existimat, recte refertur. Temere igitur sine ulla codicum auctoritate Bakius, ut genus hominum cum Marcello et Appio sentientium designaretur, haec scripsit: neque illis, qui — negant, — neque illis, qui — putant.

assentior] Sic excepto Stephano omnes, idque ego quoque pro meliorum codd. scriptura assentio recipere non dubitaui, quia et actiuam uerbi formam non admodum increbuisse tradidit Varro ap. Gell. II, 25. 9. nec in ullo Ciceronis libro, nisi tribus epistolarum locis (ad Att. IX, 9. 1. ad Fam. V, 2. 9. ad Quint. Fr. II, 1. 2.) ea satis codicum auctoritate firmata est.

fuisse duplex i. e. duplicis generis. Genera ipsa deinde uerbis subsequentibus ut ad rei publicae — pertinerent definiuntur. Merito igitur hanc et plurimorum et optimorum codicum scripturam Bakius reuocauit pro deteriorum quorundam codd. correctione dupliciter, quae inde ab Ernestio editoribus placuerat. Quae etsi per se non est inepta (dicitur enim dupliciter fuisse, ut Brut. 61, 220. mediocriter fuisse in hanc sententiam: in doppelter Beziehung vorhanden sein), tamen non necessaria est.

ad rei publ. tempus cet.] Ad agendi consilium scientia auguralis pertinebat, si, quid agerent, ipsi nescientes eam ad deorum uoluntates cognoscendas adhibebant; ad rei publicae autem tempus pertinebat, si ea non utebantur, ut ipsas deorum uoluntates exquirerent, sed ut ea, quae factu opus esse cognouissent, adhibitis auspiciis quasi deorum auctoritate firmare studebant.

XIV. §. 34. et id, si potero] Quod cum Dauisio Gzius, Sch. Mos. Or. ex dett. codd. receperunt, et ipsa, id merito Maduigius de Fin. II, 18. 93. dubitauit num uerum esset. Sed tamen ipsa cum Uict. Steph. Man. Lamb. Ern. Wagn. Bakio expellere temeritatis est. Uerae scripturae uestigium, et ipsi, etiamnunc seruatum

est in codd. melioribus, unde ego in Jahnii Ann. 1847. p. 314. efficiendum esse demonstraui et id si, id quod ante iam coniecerat Gulielmus. Cf. Cic. Or. I, 3. quaeris igitur idque iam saepius. Phil. XI, 2. 5. ad Fam. XIII, 16. 4.

ut pl. ualeret] Nec recte ex dett. codd. uulgata haec sunt: ius ut plurimum ualet, nec prudenter cum Man. et Lbino Ernestius, Wagn. Sch. particulam ut contra codd. omiserunt, nec denique uere Moserus coniecit uel plurimum ualet. Nihil part. ut, cuius patrocinium praeter alios etiam Stuerenb. suscepit pro Arch. p. 26, ualet ad comparatiui uim augendam et potius comparandi uim obtinet, ut addi necesse sit aut potest aut cum. Cic. de Or. II, 41. 174. haec ut breuissime dici potuerunt, ita a me dicta sunt. de Fin. V, 4. 9. pro Cluent. 26, 72. Cic. ad Quint. Fr. II, 6. 6. domus celebratur ita, ut cum maxime i. e. ut celebratur, cum maxime celebratur. Ueram scripturam ualeret a Maduigio primo in progr. p. 17. commendatam et a Zumptio Bakioque probatam etiam h. l. codd. meliores tenent Nimirum haec pariter atque sequentia eorumque ut publ. int. essent iuncta ex illis sunt, lege sanximus. Deinde et fides pro ut fides et uetus et necessaria correctio est. Tum cod. arch. mendum FORUM satius uisum est cum eodem Maduigio mutare in EORUM *), quam retinere quod adhuc uulgatum est, horum. Quodsi Bakius, qui ipse coniecit foederum, parum recte pronomen ad uis et fidem referri dixit, non attendisse ille uidetur, feciales de iure et fide in bellis et suscipiendis et deponendis apud Romanos iudicare solitos esse. De magna Romanorum hoc in genere religione uide Cic. de Rep. II, 17. III, 23. Off. I, 11. 36. et interpretes ad h. l.

satis esse] Quae adhuc uulgata est correctio satis superque in ipsa lege, ea nec per se probabilis est (nam inepte sane dicuntur in lege iusto plura dicta esse. Lael. 14, 43.) nec mendo, ut par est, nititur codd. meliorum satis se illane in **) ipsa, cuius haec praua est correctio in deterioribus satis supraque. Ex illo autem meliorum codd. mendo primum esse merito Bakius extricauit. Sed quod illane aberrationem esse dixit pro in ipsa, id nemini, opinor, persuadebit. Mihi uidetur mendum

*) cod. enim arch. litteris maiusculis scriptum fuisse documento plura sunt.

**) in annot. crit. ante ipsa praepositio in errore omissa est; quae deest tantum in cod. 10.

illud ex uerbis esse iam ita natum esse, ut littera s uerbi praecedentis priori litterae e compendii ee adhaereret, alterum autem e compendii eiusdem coalesceret cum uocula iam (elam), unde procliuis sane fuit mendi progressio.

quoniam omnis] Non pluribus Cicero de hoc religionis loco uidetur disserere uoluisse, ne aut contra animi sententiam haruspicum religionem probare cogeretur rei publicae causa, aut cum rei publicae detrimento contra eam dicere. Atque huc Attici quoque responsum spectat quoniam omnis locus de religione est; quo recte significat contra se non esse disputaturum, quia ad rei publicae utilitatem ista religio pertineat. Cf. Cic. de Diu. II, 12. 28.

aut ego reprehendam] Cicero, qui de sacris nocturnis et mysteriis sibi cum Attico conuenire cupit, non intelligit tamen, quomodo aut assentiri legi Atticus possit aut ipse ita eam retractare, ut inter se consentiant. Hinc merito Orellii coni. non reprehendam explosa est a Krausio l. l. p. 470 et a Bakio, qui uerbi in eandem sententiam usurpati exempla haec attulit Verr. III, 20. 51. ib. III, 96. 223.

§. 35. solemni sacrificio sc. Bonae Deae. Cf. quae dixi II. §. 21.

Iacchus] Hoc nomine Bacchus, cuius cum Cerere et Libera maxime coniunctus erat cultus (Cic. Nat. Deor. II, 24.), in mysteriis Eleusiniis hymnis celebrabatur. Cf. Creuz. Myth. III. p. 343. ed. 1. — Eumolpidae erant Cereris sacerdotes, qui sacra procurabant Eleusinia. Apellati ita sunt ab Eumolpo Eleusinio, qui mysteria ista instituisse dicitur. Quo factum est, ut illud sacerdotium in posterum familia eius obtineret.

nostri] Sic cod. arch. Nec opus esse uidetur coniectura uestri a Steph. Man. Lamb. Dau. Ern. Wagn. Goer. Sch. Bakio probata. Quamquam enim Eumolpidae ut Athenienses Atticum solum attingebant, ut uestri essent appellandi: tamen ut sacerdotes Eleusinii Marcum, quippe Eleusiniis initiatum (Kuehner ad Tusc. I, 13. 29.), non minus quam Atticum attingebant, ut nostros etiam posset appellare. Quodsi ideo Eumolpidas uestros dici oportuisse arbitrantur, quia Atticae res h. l. opponantur romanis, neminem profecto Eumolpidas Atticos esse fugit, etiamsi ad ipsum eos pertinere significet et nostros appellet. Nec quicquam ad coniecturam uestri firmandam facit aut hoc, quod mox Athenae tuae dicit, aut illud, quod Atticus §. 36. ait: tu uero istam Romae legem rogato,

*

nobis nostras ne ademeris. Nam et urbs et leges Atheniensium Atticum solum, non simul Marcum attingebant.

augusta illa mysteria i. e. Eleusinia. Augusta (graece σεμνά) ea uocari, quia humanam conditionem superent et ad diuinam prope accedant praestantiam, uere Wytt. animaduertit.

bonis firmisque] Pro bonis firmisque (firmis iam Ernestio displicuerat) Moserus coniecit bene firmandis, quod Bakius ita probauit, ut tamen pro aduerbio bene in adiectiuo bonis aliud participium latere diceret. Orellius coniecit bonis sanisque, Krausius l. l. p. 470. bonis liberisque. At firmus a ualetudine hominis (ad Fam. XVI, 8. 2. effice, ut firmus ac ualens quam primum ad nos uenias) recte transfertur ad ualetudinem populi. Cf. Cic. de Rep. I, 32. concordi populo et omnia referente ad incolumitatem et libertatem suam nihil esse immutabilius, nihil firmius. S[i] igitur boni firmique populi ii, qui bonis moribus s[unt] nec iam morum prauitate uacillant et in perniciem ru[unt]. Infirmis quidem et perditis leges nihil omnino prosunt.

§. 36. ipsi initiati] Eleusiniis non Athenie[nses] solum, sed exteros quoque initiatos esse constat. Cf. Cic. de Nat. Deor. I, 42. 119. Suet. Aug. 93.

ego uero excipiam] Lex ipsa sola Bonae Deae sacrificia nocturna concesserat. Sed quia Atticus Eleusinia quoque excipi uoluit (excipis credo illa cet.), ea ipsa propter mirificam eorum praestantiam se excepturum esse ait, ea tamen indicans, quae in sacris nocturnis lege uetitis sibi displiceant et quid illa licentia Romae data Clodius acturus fuerit, quaerens. Quo facto Atticus acceptis eis, quae Marcus concesserat, nocturna sacrificia tolli Romae, seruari Athenis iubet. Errat igitur Bakius, qui Eleusinia a Cicerone tolli ex his Attici uerbis elucere dixit et excidisse quaedam suspicatus est in hunc fere modum: ego uero excipiam nocturnis sublatis. Quae tum tandem, quaeso, exceptio est! Uere haec iam interpretati sunt Gzius et Moserus, cum interrogandi signo post excipiam posito ab Ernestio, exclamandi a Wagnero, ille negandi uim uerbis tribuere, hic optandi uoluisset. Rathius denique peruerse ita interpretatur: „ego uero excipere uelim, sed non possum“.

uidentur] Nec iusta codicum auctoritate nititur uideantur, quod Gzio probatum cum Uict. recepit Moserus, nec ipsum per se est probabile, quia uidentur est utriusque sententiae uerbum commune.

in uitam] Cod. arch. scripturam in uita hominum qui tueri uolet, ita interpretari debebit, ut ea significari dicat, qua in re illud, quod Athenae multa eximia attulerint, eluceat (scheint im Leben der Menschen viel Gutes gebracht zu haben), uelut in exemplo a Bakio laudato de Diu. I, 49. 109. affert uetustas omnibus in rebus — incredibilem scientiam (reliqua, quae attulit, aliena sunt). Sed insolentius et hoc dici puto et illud (Tusc. III, 11. 25. his autem perturbationibus, quas in uita hominum stultitia quasi quasdam furias immittit et incitat). Quare cum facillima mendi correctio sit, utroque loco probare non dubito Lbini coniecturam uitam. Similiterque pro Sest. 15, 34. Halmius cum Wesenbergio recte correxit in templum pro in templo, quod Madu. Opusc. p. 457. non probabilius defendit, quam de Fin. V, 30. 92. in mari abiecerat pro in mare abiecerat.

ex agresti cet.] Quantam uim mysteriis illis ueteres tribuerint, uidere licet ex Isocr. Pan. 6, seqq. Diog. Laërt. VI, 39. Plat. Phaed. c. 29. p. 81. A. Arist. Ran. 454.

in nocturnis] Correctio haec est mendi innocentes necessaria, expressa in ed Par. 1548 et plerisque editoribus probata. Dicit autem Cicero stupra in mysteriis obeundis commissa, quorum passim in comoediis mentio fit. Cf. quos Dau. laudauit, Gell. N. A. II, 23. Plaut. Aul. prol. 35; IV, 10. 64.

egisset ille] Notatur Clodius, qui sacris Bonae Deae noctu ueste muliebri indutus domi Caesaris est deprehensus, apud cuius uxorem matronae rom. sacra faciebant. Cf. II. §. 21. Cic. ad Att. I, 12. 3. I, 13. 3. Suet. Jul. Caes. 6 et 74. Plut. Caes. c. 9 et 10. Dio Cass. XXXVII, c. 45.

imprudentiam] Cf. praeter Or. de Har. Resp. 5, 8 et 17, 37. Lact. Inst. Diu. III, 20. Romae et in plerisque urbibus scimus esse quaedam sacra, quae aspici a uiris nefas habetur. Abstinent igitur aspectu, quibus contaminare illa non licet; et si forte uel errore uel casu quopiam uir aspexerit, primo poena eius, deinde instauratione sacrificii scelus expiatur.

XV. §. 37. Ad nostras] Nostras, quod cum Man. Ern. Wagn. Goer. Sch. — reliqui nostra — recepi ex Gd. 2, cui haud scio an consentiant δ et C, necessarium est propter pronomen quod sequitur relatiuum. Quippe legibus, non rebus romanis sancitur, ut lux clara mulierum famam custodiat.

**

multorum oculis] Lux clara per prosopopoeiam custodire famam mulierum dicitur; in quo recte uti dicitur oculis multorum, qui sacris intersunt; noctu enim ne multorum quidem oculi quicquam iuuant. Similiter dicitur Cic. pro Sest. 2, 4. iracundia me inflammat eorum scelere, qui — bellum esse sibi gerendum iudicauerunt. Nec necessarie et minus lepide Dau. coniecit: multorum oculi atque lux clara custodiat; inepte uero Orellius: multorum in oculis lux clara cust.; quam coniecturam nihilo probabiliorem fecit Krausius l. l. p. 470. uerba sic transponendo: in multorum oculis lux clara.

de Bacchanalibus] Bacchanalia cum ex Etruria Romam translata libidinose ibi intemperanterque obirentur, a senatu consulibus negotium datum est, ut ea omnia primum Romae, deinde per totam Italiam diruerent; senatusque auctoritati coss. obtemperarunt *). Sed quia Liuius, qui ista XXXIX, 9—20. (laudat Dau. etiam Tert. Ap. c. 6 Ual. Max. I, 3. 1. VI, 3. 7.) memoriae prodidit, non diserte tradidit exercitum in quaestione et animaduersione adhibitum esse, Dauisius coniecit: et consulibus exercita et habita quaestio animaduersioque declarat; quoniamque idem XXXIX, 8. init. haec scriberet: insequens annus — consules ab exercitu — ad intestinae coniurationis uindictam auertit, Bakius corrigi posse suspicatus est: consulum ab exercitu accitorum quaestio animaduersioque declarat. Sed immerito Liuii silentio tantum tribui uidetur, ut certum Tullii eius rei testimonium euertatur, praesertim cum parum credibile sit ad nefariam istam coniurationem plus septem millium uirorum mulierumque (Liu. XXXIX, 17.) per Romam Italiamque opprimendam apparitores satis ualuisse. Quodque Liu. l. l. coss. ab exercitu ad coniurationis uindictam auersos esse dicit, id eam tantum uim habet, ut ab exercitu ad bellum parato ad intestinam coniurationem opprimendam abducti dicantur.

Diagondas] Nemo ueterum scriptorum Diagondae legislatoris meminit. Quapropter cum Thuc. VI, 91. Pagondae cuiusdam meminerit boeotarchae, Meursius Lectt. Att. III. 23. Pagondae nomen dixit substituendum esse. Quod quam lubricum sit in tanta rerum boeoticarum obscuritate, intellectu facile est. Lex perpetua ea est, quae non certo

*) etiamnunc illud s. c. exstat in tabula aenea Uindobonae asseruata in museo Caesareo.

tempore, sed omni aetate rata sit ac ualeat. Similiter Cic. de Nat. Deor. I, 15. 40. legem perpetuam dicit et aeternam.

Sabazius] Hoc nomine Phryges Dionysum colebant, quem Cic. de Nat. Deor. III, 23. 58. dicit Cabiro patre natum. De quo uide Creuz. Myth. III. p. 361. sqq. Aristophanis locum in Lemniis, comoedia deperdita, fuisse Ualesius ad Eus. de uit. Const. II, 5. colligit ex Suida in ὦ νῦν θερμοὶ βωμοί.

imprudentia, cui opposita est audacia non expianda, expiari consilio dicitur, cum id, quod per imprudentiam commissum est, male commissum agnoscitur et inita ratione expiatur. Male cum Wyttenbachio Goer. et Mos. consilium collegii interpretati sunt, quo expiatio fieret, et Wagnerus, quia non consilio, sed hostiis imprudentia expiaretur, coniecit imprudentiam consilii. Uere Bakius interpretatus est. De re uide praeter Varr. L. L. V, 4. in primis Macrob. I, 16. praeter mulctam uero sacerdotes affirmabant, eum, qui feriis aliquid imprudens egisset, porco piaculum dare debere; prudentem expiare non posse Scaeuola pontifex affirmabat.

in admittendis] Sic recte multi codd. deteriorum siue correctione siue incorrupta ueri progatione. Num religiones foedae admitti recte dicerentur, sine causa Bakius dubitauit.

§. 38. Jam ludi publici cet.] In cod. arch. haec fuisse suspicor: iam ludi publ. quoniam sunt cauea circoque diuisi, sint (uel sunt) corporum certationes cursu et pugilatione, luctatione curriculisque equorum usque ad certam uictoriam circo constitutis; cauea cantu uoce ac fidibus et tibiis. Hinc igitur proficisci debet loci emendatio, non a deteriorum quorundam codd. correctione in circo — in cauea. Quam sententiam Tullius declarare uoluerit, satis ostendunt uerba: quoniam sunt cauea circoque diuisi. Cum igitur cauea circoque ludos diuisos esse dixisset, quibus circum, quibus caueam constitui uellet, declarare debuit; quo facto eis, quos caueae attribuit, modum adhibendum esse adiunxit; cuius adeo praecepti causa legem ipsam §. 22. sanxerat. (Similiter Cic. de Off. I, 37. 132. cum orationis uim duplicem esse dixisset, alteram contentionis, sermonis alteram, primum de contentione, deinde de sermone praecepit). Ad declarandam autem sententiam illam ceteris mihi aptior esse uidetur correctio mea; quam tamen contra institutum in ipsam uerborum seriem recepisse iam poenitet. Nomina-

tiui circus facilis fuit in circo transitus, si per notam scribebatur; similiterque II. §. 53. in cod. arch. iurisconsulto est pro iurisconsultus. Certationi autem correctio necessaria est; aut enim certationes aut curriculis emendari oportet, quia utrumque prorsus eodem modo ex uerbo nectitur, nec curriculis cum ceteris ablatiuis ex certationis uocabulo pendere potest; atque in ipsa lege §. 22. certatio corporum et curricula equorum separatim sunt commemorata. Uerba ludi publici, etsi non item in apodosi de eis praedicatur, ideo in principio sententiae posita sunt, quia in hoc transitu ab alia re ad aliam intendi Tullius uoluit rem eam, ad quam iam transitus fieret. Cf. Cic de Nat. Deor. II, 4. 12. ne aegri quidem quia non omnes conualescunt, ideo ars nulla medicina est? Sen. Ep. 27. Constituendi uerbum similiter II. §. 30. usurpatum est. Sed quod reliquum est, ante luctatione particulam et, in uerborum contextu praetermissam, cum Lall. et Madu. restitui necesse est, ne binis nominibus (cursu et pugillatione — luctatione curriculisque equorum) singula orationis membra contineri uideantur et curriculis pendere ex certationis uocabulo. Aliorum coniecturae hae sunt, Turnebi et Lbini: sint corporum certationes cursu et pugilatione, luctatione curriculisque equorum usque ad certam uictoriam circo constitutae; cauea cantu cet.; quam coniecturam Rathius ita adoptauit, ut pro cauea cantu commendaret caueae cantus; Wagneri: sint corporum certationes cursu et pugilatione, luctatione curriculisque equorum usque ad certam uict. in circo; in cauea cantus; Goerenzii: sint corporum certationis cursu et pugilatione, luctatione curriculisque equorum usque ad cert. uict. circo: cauea cantus; quam correctionem Mos. ita suam fecit, ut in circo; in cauea scriberet; Orellii: sint corp. certatione cursu, pugilatione, luctatione curriculisque equorum usque ad cert. uict. circo constituti: caueae cantus uoce; Maduigii: sint corp. certationi cursu et pugilatione et luctatione curriculisque equorum usque ad cert. uict. in circo constituti; in cauea cantui uoce; A. G. Zumptii: sint corp. certatione, cursu et pugilatione luctationeue curriculisque equorum usque ad cert. uict. circo constitutis; caueae, cantu, uoce, ac fidibus et tibiis; Bakii denique: corporum certatio, cursu, pugilatione, luctatione, curriculisque

equorum iisque ad cert. uict. in circo consistat, in cauea cantus uoce cet.

Platoni] Plato, qui omnem animi et corporis cultum gymnastica arte et musica absolui putat, quam uim uarii canendi soni in animos habeant, cum alibi, tum de Rep. IV, c. 3 et 4. p. 424. et de Legg. III, c. 15. p. 700. exponit.

canendi sonos] Bakius, quia non singuli soni istam uim haberent, pro sonos coniecit modos, quod ipsum tentatum est in cod. 39. (canendos modos sonos). At non singuli soni, sed uarii canendi soni, in modum quendam confusi, istam uim habere dicuntur.

conseruare] Man. Lamb. Ern. Wagn. ex dett. codd. seruare. Bakius contra codd. omnes commendauit conseruari. Sed non minus recte Graeciae ciuitatum interesse dicitur, ut ipsae antiquum uocum modum conseruent, am ut conseruetur. Cf. Cic. de Fin. IV, 12. 29. ib. II, 22. 72.

ad mollitias] Mendum codd. meliorum ad mollis uel ad mollitus correctum puto dupliciter in codd. tt. (ad mollitiem — ad mollitias). Ex quibus con-cturis cum reliqui illam probauerint, ego hanc probabiliorem duco. Pluralis numerus plures mollitiae formas indicat. Vell. Pat. I, 88. Maecenas otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens. Plaut. Pseud. I, 2. 40. uos quae in munditiis, mollitiis deliciisque aetatem agitis. Bakius male et h. l. coniecit ac molliti, et postea mendum codicis 65. immutatis cum cantibus probauit. Sententia ita plana, quam omnes intelligant, haec est: „morum ad mollitias lapsorum immutatio facta est una cum immutatione cantuum".

animis mutatis] Hanc Gzii, Schuetzii, Moseri, Orellii scripturam tuentur codd. C et Gd. 2 et procul dubio δ; nam animisque esse etiam in cod. δ parum recte mihi nunc uideor ex Bakii silentio collegisse. Cod. E utrum particulam teneat nec ne, equidem non dixerim. Sed siue tenet, siue caret, probari oportet scripturam tum in auribus, animis mutatis, ut tempus per particulam tum primum uniuerse indicatum accuratius definiatur uerbis animis mutatis, ut Just. II, 9. tum quoque, amputata dextra, nauem sinistra prehendit. Auribus animisque mutatis si scripseris, participium et ad aures et ad animos referri oportet. Sed aures non iam mutatae sunt morum mollitia, sed animis mutatis cantuum mutationem non respuunt.

§. 39. ille quidem] Part. quidem uim pronominis ille intendit, id quod fieri patet propterea, ut Platonis ea de re iudicium statim ab ipsius Tullii iudicio discrepare declaretur. Male igitur Bakius trium codd. dett. auctoritate (α 10. 96.) et quidem expellendum et autem (ego autem), cuius loco cod. 10. uero habeat, praeter necessitatem inuectum esse dixit. Autem om. Man. et Lamb.

sine mutatione] Sic recte Uict. Man. Lamb. Ern. Wagn. Bakium scripsisse documento est mendum codd. meliorum seni mutatione; reliqui deteriorum codd. correctionem sine immutatione probarunt.

illa quidem] Postquam Marcus non plane id contemnendum esse dixit, qua ex re Romae id cognoscatur, significat. Cognoscitur autem ex ui ea, quam cantus non iam, ut ante, seueritate iucunda completi, sed exsultantes in hominum ceruices oculosque habeant. Nam uerba illa, quae solebant quondam compleri seueritate iucunda referenda sunt ad cantica fabularum. Sic recte iam Gzius interpretatus est. Alii theatra dixerunt intelligi oportere, ut Wagn. Wytt., alii ipsum nomen de coniectura addi uoluerunt, ut Schuetzius (illa quidem theatra), Wytt. in marg. edit. minoris Gzianae (illa quidem sedilia), Rathius (illa quidem cauea, quae solebat complecti seueritatem iucundam Liu. et Naeu. modis, nunc — exsultat). Uerum nec aedificia torquent hominum oculos, nec spectatores (nam theatra fere spectatores esse dicunt), sed quia, quam uim cantus habeant, ostenditur, ipsi cantus: qui quidem compleri dicuntur seueritate iucunda, ut seueritatem iucundam quandam eorum uim atque naturam fuisse significetur. Duplex autem ablatiuus (seueritate iucunda et Liuianis modis), qui Bakio ita displicuit, ut seueris et inconditis Liu. et Naeu. modis coniiceret, nihil molestiae habet, si Liuianos et Naeuianos modos effecisse statuis, ut cantus illi seueritate iucunda complerentur.

exsultant] In cod. arch. procul dubio iam fuerunt coniunctiui exsultet uel exsultent — torqueant. Qui quia non habent, quo referantur, Lbinus coniecit: nunc uides, ut eadem exsultent. Quae si Tullius scripsisset, usus non esset pronomine eadem. Est uero exclamatio; cui qui solus aptus est indicatiuus, eum de Dauisii coni. merito Gzius, reliqui restituerunt. Ern. et Wagn.: nunc, ut eadem exsultent, ceruices — torquent. Mox de Gzii sententia Sch. Mos. Bakius ut ante ceruices scripserunt. Sed cum uis particulae semel positae simul

ad alteram sententiam possit pertinere (et ita quidem exsultandi et torquendi notio minus disiungitur), cumque nec ambr. codicum, ex quibus Bakius particulam excerpsit, nec Vd. et Cass., in quibus esse traditur exultentur — exültantur, ulla sit auctoritas, recipere eam nolui.

ciuium in animos] Praepositionem, quam a cod. arch. abfuisse certum est, a Tullii consuetudine flagitari, uiri docti nostra aetate fere consentiunt. Quam autem de Lbini sententia ante ciuium restitui uoluerunt Maduigius (Emendatt. p. 74.) et Bakius, eam cum Gzio et Mosero restitui post ciuium, quia facilis ibi eius omissio fuit. Nec causa defuit, cur ciuium praeponeretur. Opponuntur enim ciues singuli totis ciuitatibus. Simili de causa Cic. de Or. I, 34. 157. (medium in agmen) praeposuit adiectiuum et dixit loco aliquo a me parum accurate notato deorum in mente. Orellius coniecit ciuium animis, quod Krausio arrisit l. l. p. 470.

quo plures] Sic codd. meliores. Quod receptum a Manutio, relictum a posterioribus, denuo post Maduigii in Emendatt. p. 73. disputationem Orellius Bakiusque receperunt. Quippe quo est ablatiuus mensurae uerborumque structura haec est: quo plures neruos quam septem haberet, id in Timothei fidibus incidi iussit. Similia exempla Madu. haec attulit: Cic. ad Att. XII, 35. 2. antequam a te proxime discessi, nunquam mihi uenit in mentem, quo plus insumtum in monumentum esset, quam nescio quid, quod lege conceditur, tantundem populo dandum esse. ad Att. XVI, 1. 5. quo plus permutasti quam ad fructum insularum, id ille annus habeat, in quem itineris sumtus accessit. Ita nec ulla coniectura opus est (Dauisii quos plures aut Schefferi quot plures) et inepta est plerisque probata correctio codd. dett. quod plures, quia non omnes neruos in Timothei fidibus incidi Lacedaemon iussit, sed eos tantum, qui septem neruorum numerum excederent; cuius rei auctor est Plut. Mor. (Lac. Inst.) p. 238. Dio Chrys. XXXIII. p. 411. A quibus quodammodo discrepat narratio Athenaei XIV. c. 9. p. 636; qui, cum quidam superuacaneas eius chordas abscindere pararet, Timotheum Apolloniscum quendam ostendisse narrat, cui eadem constructione parique neruorum numero lyra esset, tumque eum dimissum esse. Ipsum Lacedaemoniorum decretum exstat apud Boëth. de Mus. 1, 1. Deinde imperite Dauisius, id quod Ernestio placuisse miror, uerba sic transposuit: haberet Timotheus in fidibus. Cf. Cic. de Rep. I, 27. 43. quoniam distinctos digni-

tatis gradus non habebat, non tenebat ornatum suum ciuitas. Seyff. ad Lael. 9, 29.

incidi] Demi, quod plerisque placuit, praua est correctio codd. dett.; cuius rei documentum est ipsum mendum inde in iisdem seruatum. Meliorum quidem codd. mendum indi ad coniecturam ducit a Manutio tentatam et a Lbino, Wagnero, Bakio probatam; idque ipsa uerba graeca, quibus Plut. et Chrysost. l. l. utuntur (ἀποτέμνειν-ἐκτέμνειν), luculenter confirmant. Scheff. et Goer. scindi coniecerunt. Timotheus Milesius, poëta dithyrambicus ac tragicus, uixit Olymp. 95, aetate Socratis et Euripidis.

XVI. §. 40. optimi] Parum probabiliter, ut ante Rathius uoluerat, ex codd. A B 11. 65. saepe illis quidem correctis Bakius optima scripsit, quia idem in lege esset.

de quo cet.] Pronomine relat. primum res generalius indicatur, quae deinde distinctius explicatur sententia relatiua: quas potissimum religiones tenerent. Cf. Cic. Verr. I, 46. 119. Quod uos oblitos esse non arbitror, quae multitudo, qui ordo ad Pisonis sellam isto praetore solitus sit conuenire. Ceterum diuersa haec sunt a lege §. 19. ritus familiae patrumque seruanto, cuius explicationem posuit §. 27. id est, quoniam antiquitas proxime accedit ad deos, a diis quasi traditam religionem tueri. Illa ad ritus familiae priuatos spectant, haec ad maiorum ritus publicos, ex quibus optimos eligi iubet, ea, ratione habita illorum, antiquissima et deo proxima esse dicens, quae optima sint.

stipem sustulimus] Laudat haec uerba Seru. ad Virg. VI, 611. memoriter; quo de uide quae dixi I. p. 143. Quod sustulit stipem praeter unam Idaeae matris propriam (cogebatur autem a sacerdotibus cum simulacro deae et tibiarum cantu per uias commeantibus Ouid. ex Pont. I, 1. 39.), id et ipsum saepius eam cogi esse solitam indicat, et factum id esse Liuius narrat V, 25. XXVII, 37, in primis ludis Apollinaribus Liu. XXV, 12. Fest. s. u. Apollinares ludi. Idaea mater a Phrygibus in monte Ida culta (unde Idaeae matris nomen) et Romam translata a. u. 203. ibi sub nomine Magnae matris colebatur. In eius honorem celebrabantur Megalesia. Mendi apud et facilis (notabatur enim A P.) et necessaria correctio. Cf. Cic. Off. II, 16. 56. Lael. 8, 27. ad Att. I, 3. 2.

superstitione implere animos stips dicitur propter opinionem facile conceptam, fore, ut deorum gratiam ac beneuolentiam donis sibi concilient.

domus] Cf. de hac accusatiui forma Zumpt. ad Cic. Verr. IV, 4. 7. et quos ille laudat, Heus. ad Off. II, 17. 64. Drak. ad Liu. III, 29. Oud. ad Suet. Claud. 25.

sacrum abstulerit] Sacro commendatum est res priuata in sacro deposita, cui opponi oportet ipsam rem sacram, non locum, unde ablata sit. Quod Moserum fugit de sacro coniicientem. Perspexit Bakius. Controuersam rem fuisse, utrum is, qui priuatam rem in templo depositam abstulerit, furtum an sacrilegium committat, collegeris ex Quint. I, 4. 2. III, 6. IV, 2. 4. V, 10. VII, 3.

§. 41. et Alexander] Quae adhuc secundum codd. omnes edita sunt: et nunc multis fit in fanis. Alexander, ea mendosa esse primus Madu. uidit in Emendatt. p. 75. Nam etiamsi et nunc recte ita dici concedas, ut altera sententiae pars et ante factum est audiatur (cf. Cic. Fam. XIII, 57. 2. id et nunc etiam atque etiam rogo): tamen subitaria illa et abrupta exemplorum commemoratio a Cicerone aliena est. Uere igitur Maduigium coniecisse puto et Alexander, quod idem Zumptio et Bakio placuit. Sic altera res uniuerse, altera per exempla et particulatim effertur. Quod cur Orellio displiceret propter copulandi particulam tertio loco positam (et Ath.), causa nulla erat. Cf. II. §. 21. Sed mox ne turbetur oratio, et credendi et deponendi uerbum ex uerbo dicitur iungi oportet. Nec perspicitur profecto, cur de Alexandro loquens famam se sequi significet, de Clisthene, cuius et aetas remotior et minus litterarum documentis confirmatae res erant, ita rem narret, ut fidem eius ipse praestare uideatur. Conficitur uero res eo, quod sed ab hoc loco alienum est. Etenim nec ipse se h. l. cohibet, ut III. §. 18. (sed iam, si placet, de prou. discedatur. ib. §. 47.) nec id significatur, contra quam de ceteris legibus de periuriis nihil h. l. esse disputandum; et potius simpliciter ad rem nouam transitur, id quod sola part. iam indicatur. Cf. II, §. 27. 38. 59. Merito igitur Maduigius in progr. p. 19. pro credidit. Sed iam commendauit quod Bakio quoque placuit, credidisse. Iam.

apud Solenses] Quod uulgatum fere est apud Solos, id nec iusta codicum auctoritate nititur (de cod. δ falsa puto a Bakio prodita esse) nec per se uerum est. Non enim ueri est simile templum, in quo Alexander pecuniam deposuerit, fuisse ad urbem, sed in urbe. Incolarum igitur nomen ut restituatur et sententia flagitat et scripturae discrepantia uidetur admonere (apud solē sit). Uere igitur apud Solenses i. e. in urbe Solensium pridem

coniecerunt Ursinus et Gulielmus. Gronouii coniectura Soleis a Ciceronis consuetudine abhorret.

Clisthenes] Is per Cleomenem Lacedaemonium patria expulsus anno post Athenas rediit ciuibusque libertatem uindicauit. Cf. Her. V, 70. Quem exulem Sami aliquamdiu degisse haud inepte hinc collegeris. Templum Junonis Samiae, ut antiquissimum erat et amplissimum, ita sanctissimum habebatur. Her. II, 60. Paus. VII, 4. Verr. I, 19. 50.

de periuriis, de incesto] Separatim haec enumerauit, ut in ipsa lege separauit. Cf. II. §. 31. cum populo, cum plebe agendi ius. Itaque nec Mosero assentior copulandi particulam desideranti nec Gzio tertium quoddam nomen excidisse dicenti, quia duo membra cum repetita praepositione numquam non copularentur. incestis ex dett. quibusdam codd. Uict. Lamb. Ern. Wagn.

impii ne cet.] Recte Gzio auctore reliqui uerba donis impii — audeant iunxerunt ex illis: Platonem audiant; nec audiendus est Krausius l. l. p. 470, qui haec commendat: Platonem audio uel Platonem audiamus. Antiquiores maiore interpunctione uerba Plat. audiant a praecedentibus disiunxerunt. Dau. ne placare quidem. Platonis uerba, quae spectat, sunt de Legg. IV, c. 8. p. 716 fin. In eandem sententiam disputat Plat. Alc. II. c. 13. p. 149. E.

De diligentia uotorum] Prauam ego iudico hanc correctionem codd. deteriorum: diligentia uot. sat. in lege dicta est, quia eam dicendi uim, qua sit constituere, ut in Cic. fragm. ap. Non. V, 65. (cum omnes ad id tempus, quod dictum, postero die conuenissemus) ab h. l. alienam puto; et ubicunque his in libris ipsa lege rem satis declarari dicit, de ista re in lege satis dictum esse dicit. Cf. II. §. 34. 41. Atque uerae scripturae uestigium etiamnunc seruatum est in codd. melioribus (diligentia — dictum est). Unde efficienda haec sunt: de diligentia — dictum est; quemadmodum similiter coniecit Bakius (de dil. uotorum satis in lege dictum); reliqui dett. codicum correctionem retinuerunt. Praepositionis de facilis ante diligentia omissio fuit. Sed mox expellendum est foedum cod. arch. interpretamentum ac uoti sponsio, qua obligamur deo, ne tum quidem illud ferendum, si diligentia dicta est probari posset. Nam in lege de diligentia in uotis reddundis adhibenda, non omnino de uoti sponsione dixit. Male Bakius sic: est haec uoti sponsio cet.

poena uiolatae rel.] Gzius et Moserus, quia legis uerba: poena uiolati iuris esto cum praecedente lege coniuncta esse putabant, Marcum recenti Clodii odio incitatum longius uagatum esse dixerunt, cum de uiolata religione omni et de eis dissereret, quae nefaria contra ipsum essent patrata. At uero ius uiolatum non ad notorum diligentiam spectat, sed est ius religionis uniuersum; a quo non differt uiolata religio, quae h. l. commemoratur, ut uere Bakius animaduertit. Similiter cum §. 42. religionum iura dixisset, mox tamen religiones prostratas et afflictas appellauit. A religionis autem iure non abhorret Ciceronis a Laribus distractio, quam iam persequitur. Nihili est igitur eorum sententia, qui haec omnia usque ad c. 17. alieno loco intrusa esse dicunt.

iustam recusationem non habet i. e. recusationem non habet iuri consentaneam, qua uti interdum licet lege humana uiolata. Male Bakius sic interpretatur: „a uobis recusari non potest; propterea nempe, quod necessario cum eo scelere coniuncta est".

attingantur] Haec est correctio codd. deteriorum per se sane probabilis; sed ex meliorum codd. mendo attingant uere Bakius efficiendum esse dixit attingam.

apud uos] Quod est in codd. melioribus pron. dem. (apud eos), id non habet, quo referatur. Inde nata est correctio deteriorum apud deos. Quae etsi cuiquam sic uideatur explicari posse (et sic fere interpretatus est Goer.), ut apud deos hunc de religione sermonem haberi dicat propterea, quia quasi testes sint dii eorum, quae de ipsorum religione disserat, ideoque nihil reticeri, quia qua quisque mente sit, cognitum habeant: tamen nimis quaesita haec est interpretatio nec satis probabilis. Habetur uero sermo apud Quintum et Atticum, apud quos quidem, ut apud familiares, loqui poterat liberius; similisque h. l. sententia redditur atque de Or. I, 26. 119. si quaeritis — quid sentiam, enuntiabo apud homines familiarissimos, quod adhuc semper tacui et ad Att. I, 16. 8. non enim mihi uideor insolenter gloriari, cum de me apud te loquor. Uerissima igitur est Ranconneti coni. apud uos plerisque probata. Soli Goer. et Schuetz. cum Uictorio deos, idemque Zumptio placuit in interpr. uernacula. Ut reliqua simul complectar, ueretur Marcus, ne fortuna, quae sibi obtigerit (nec enim status eius diu potuerat labefactari et acerrimum aduersarium morte et poena diuina affectum uidebat) haec ipsa commemorans abutatur. Sed nihil tamen se uelle reticere dicit, quoniam

sibi sermo sit apud familiares, coram quibus non tam insolenter gloriari, quam rem ipsam contueri et tractare uideatur; ideoque hoc gratum potius uideri cupit diis, quorum religiones defendat, quam graue i. e. molestum (anstössig); quod ipsum in simillima re ponit in Leg. Agr. II, 1. 2. Male igitur, cum iam ante in plerisque editt. lacunae signum esset positum (delerunt Goer. et Schuetz.), et Wyttenbachio post graue excidisse uisum est hominibus et Maduigio in progr. p. 20. ac Krausio l. l. p. 471. idem latere in uoce omnia, si quidem ille coniecit: graue hominibus. Cum perditorum — seruarat, circumspicite celeriter, hic graue hominibus. Perditorum ciuium cet.

XVII. §. 42. Omnia tum cet.] In his nihil est, in quo iure cum Wagnero, Maduigio, Krausio offendas. Tum refertur ad tempus, quo Clodius Ciceroni interitum parabat, quod uerbis quae ante oculos sunt, ea potius attingam ita iam indicatum est, ut nemo possit de alio ullo cogitare. Deinde uerba discessu meo epexegesin continent temporis per part. tum uniuerse indicati. Cf. quae dixi II, §. 38. Quibus adde haec exempla generis eiusdem Tusc. I, 29. 71. et tum paene in manu iam mortiferum illud tenens poculum locutus ita est. Lael. 15, 53. Ac simillima epexegesis loci aduerbio addita in Verr. III, 6. 14. ut certo tempore, ut ibidem, in Sicilia, denique ut lege Hieronica uenderent. pro Dei. 6, 17. Discessu autem meo, ut Cic. Par. IV, 2. 30, (Wagn. male requirebat me expulso) dixit, non exilio, quia discessus eius, quamquam non uoluntarius, tamen ei non exilium esse uidebatur, quam poenam scelerum esse dicit Par. IV, 2. 30. Tum uerba ipsa praeclare ita sunt collocata, ut uerba omnia tum inuerso ordine deinceps sequantur ea, quae ad illa pertinent discessu meo religionum iura. Denique ne illa quidem, quae post Steph. uulgata meliorum codd. mendo nituntur, quicquam molestiae habent: circumspicite celeriter animo *), pro quibus Bakius Maduigii disputatione deceptus coniecit circumspicite nunc celeriter, Krausius l. l. circumspicite haec citeriora animis et uerbis transpositis Rathius: circumspicite animo — qui sunt rerum exitus celeriter consecuti; quod ipsum Wytt. placuit

*) Dauisii coniectura animis a Manutio iam expressa nec necessaria est nec commendationem a codd. melioribus habet; quamquam eadem Maduigio placuit. Cf. pro Cluent. 2, 6.

et Mosero. Particulam nunc aut iam ego in hoc incitato et oratorio sermone non requiro addito aduerbio celeriter, quo rebus ipsis commemoratis audientes adhortatur, ut celeriter euentus rerum animo perlustrent singulis rebus non diutius immorantes. Inepte Zumptius deteriorum codicum, quos ipse meliores nominauit, correctionem probauit (circumspicit celeriter animus).

uexati nostri Lares] Post Ciceronis ex urbe discessum Clodius legem pertulit, ut aqua et igne ei interdiceretur, domus eius solo aequaretur eiusque in area, quasi urbs a tyranno esset liberata, templum exstrueretur Libertatis, qnam Cic. inuidiose Licentiam appellat, ut pro dom. 51, 131. simulacrum non Libertatis, sed Licentiae collocasti. Cf. Plut. Cic. p. 877. App. B. C. II, 15. Dio Cass. XXXVIII, 17.

pulsus a delubris is] Grauiter personam suam, non semet ipsum nominat. Cf. pro dom. 55, 141. Neutiquam haec ab hoc loco sunt aliena, quemadmodum uisum est Wagnero; quippe uniuersa notione praemissa (relig. iura polluta sunt) colligit singula a sacris priuatis progrediens ad delubra publica.

nihil enim attinet cet.] quia et magis res ipsas quam homines spectari uolebat nec rerum memoria instaurari potuit, quin de istarum auctoribus, omnibus notis, cogitaretur.

illam custodem urbis] Statuam Mineruae, quam Cic. domi suae religiose colebat, antequam in exilium iret, deposuit in templo Iouis Capitolini. Uide Plut. et Dion. Cass. l. l. Ad imitationem Ἀθηνᾶς πολιούχου custodem urbis eam nominat, ut ad Fam. XII, 25. 1. ad Att. VII, 3. 3. pro dom. 57, 144.

conseruatae patriae] Duplicem genitiuum, quorum alter est subiectiuus, obiectiuus alter, non insolentem esse uere iam Gzius animaduertit. Adde exemplis ab illo laudatis (Tusc. II, 15. 35. IV, 6. 13.) haec: Tusc. IV, 13. 31. propter animi multarum rerum breui tempore percursionem. de Fin. III, 15. 51. non alienum est — rationem huius uerbi faciendi Zenonis exponere. in Verr. I, 13. 34. Caes. B. C. I, 5. desperatio omnium salutis. Coniecit igitur sine causa Lbinus: iudicio senatus — conseruatae patriae testimonium consecuti sumus, et praua codd. auctoritate scripsit Dauisius: iudicia senatus — de seruata patria consecuti sumus; barbare etiam nescio quem Ursini codicem

secutus Rathius scribi iussit: iudicio senatus — nomen de conseruata patria consecuti sumus. Saepe idem Tullius gloriatur. Cf. in Pis. 11, 25. ibid. c. 3. post red. in sen. 9 et 10. pro dom. 28. ad Fam. I, 9. 16. XVI, 11.

Quorum scelere] Pariter necessariae sunt correctiones illae antiquae: quorum scelere pro quo scelere, et distracti ac dissipati pro distractae ac dissipatae. Sed temere particulam tum etiam h. l. expelli uoluerunt Wagn. et Rathius et ante omiserant Uict. et Lbinus. Lbinus, haud dubie de coni., quorum autem. Quod qui probabat Rathius, non intellexit coniunctioni in hoc concitato sermone locum non esse.

partim ex illis] Partim, quod adiectiui locum obtinet partitiui, uel cum genitiuo (Cic. de Diu. II, 55. 113. Off. II, 21. 72.) uel cum praep. ex iungitur (Cic. Phil. III, 11. 32. in Uat. 7, 16.).

ex iis et horum] Codd. meliores cum deteriorum, ut uidetur, plerisque ex his. Quod retentum a Steph. et Lbino, a reliquis repudiatum nostra aetate reuocarunt Goer. Sch. Mos. Bak. Sed merito id uidetur repudiatum esse ab Orellio. Parua est enim his in rebus codd. auctoritas, nec recte uidentur, cum ille praecesserit, pronomine hic illi demonstrari. Exemplo a Gzio allato (de Nat. Deor. *II*, 46. 119.) hoc unum conficitur, duplex pron. hic a Cicerone non esse repudiatum, quasi uero id quisquam dubitauerit umquam. Cum autem eos, qui scelera patrassent, ab eo quo loquitur tempore remotos cogitasset, scelera ipsa haec dixit, quia maxime ipsum Ciceronem attingebant.

fuerant cum Steph. recepi ex codd. melioribus; reliqui fuerunt. Nimirum poena ingruit sceleribus et impietatibus patratis.

non solum uita cet.] Mendum cod. arch. a nemine adhuc certa coniectura sublatum typis describendum curaui. Perspicitur uero ex particularum non solum — sed etiam coniunctione aut duo uerba coniungi, ut et cruciati esse et caruisse dicantur, aut duas res, quibus isti caruerint Illam rationem qui secuti sunt, Pearcius (non solum uitae cruciati dedecore sc. sunt, uerum etiam sepultura et iustis exsequiarum caruerunt), Ernestius (non sol. uiui cruciati dedecore sc. sunt, uerum etiam — sc. mortui — sep. et iust. exs. car.), Brutus et Bakius (non sol. uitae cruciatu atque dedecore — sc. conflictati sunt, uerborum syllepsi prorsus inaudita — uerum etiam sep. cet., parum profecerunt. Nec uero Rathii ego probauerim correctionem: non sol. uitae cruciati in-

famia atque dedecore sunt. Alteram emendandi uiam inierunt Ebinus (non sol. uita cum cruciatu atque dedecore, uerum etiam cet.), Wopkensius Lectt. Tull. p. 155. (non sol. uita cruciati atque decore — sc. caruerant —, uerum etiam cet.), Gzius (non solum uita, cruciati dedecore, uerum etiam cet.), A. G. Zumptius (non sol. uita, cruciatu atque dedecore — ipse mirum in modum interpretatur unter Qualen und Schande — uerum etiam cet.), Halmius denique in Phil. I. p. 177. (non solum nullo uitae cruciatu atque dedecore, uerum etiam cet.). Ex quibus Halmii coniecturam ita probo, ut tamen, ne attenuetur contrariorum (uitae — sepultura) oppositio, non solum non uitae scribendum putem. Cf. Cic. pro Dei. 12, 34. non modo non tyrannum, sed etiam clementissimum in uictoria ducem. Off. I, 21. 71. non modo non laudi, uerum etiam uitio dandum puto. Particularum non solum non — sed etiam positarum etsi non parata sunt exempla: tamen cum Cicero saepius (in Pis. 10, 23. cum senatui non solum iuuare rem publicam, sed ne lugere quidem liceret. pro Cael. 17, 40. de Rep. II, 15.) easdem particulas ita usurpet, ut negatio uerbo adiuncta ad priorem etiam sententiae partem pertineat, ne hanc quidem locutionem ab eo alienam puto.

et iustis exsequiarum] Et cum Steph. Man. Bakio reuocaui auctoritate codicum; reliqui ac. De re uide quae Cic. explicatius dixit pro Mil. 32, 86.

§. 43. quae poena diuina sit et cet.] Plura h. l. temere Bakius impugnauit, qui primum pro et coniecit sic, aut etiam probari posse dixit sed, quod a Uict. expressum non displicuit Mosero *); deinde propter mendum, quod est in uno cod. C (ueram) commendauit uerum, cum uera tamen eo spectet, ut in singulis illis rebus, morte, dolore, luctu, iudicii offensione quid uerum sit, non uideamus; denique diuina in his: quae poena diuina sit delendum esse dixit non perspecta sententiarum ratione, quae haec est: „Quod ita res saepe cadere uidentur, ut scelera atque impietates aut nihil aut parum luantur, eius rei causa in eo est posita, quod non satis rationem ducimus

*) sed, quamquam per se non necessarium (cf. I. §. 18.), ita probari debebit, si nec in cod. arch. fuisse demonstrari potuerit, atque et correctum esse in codd. dett. Nam nec facilius sane ex part. set, quam ex part. et nasci potuit. Illud autem certe demonstrari non potest, nisi, qua necessitudine codd. dett. contineantur, accuratius erit exquisitum.

poenae diuinae, atque si quem non morte aut dolore aut aliis malis affici uidemus, eum omnino poena uacare arbitramur. In quo labimur. (Latet haec sententia in uerbis: quae, i. e. sed haec, fateor hum. esse et mult. bon. acc.). Sceleris est poena tristis (empfindlich) et praeter eos euentus, qui plerumque sequuntur, per se ipsa maxima est". Hinc simul hoc elucere puto, ne illa quidem sollicitari oportere, quae Wagnero, Schuetzio, Mosero, Bakio displicebant: sceleris est poena tristis. Recte enim errore hominum patefacto ueram sententiam proponit nulla particula cum praecedentibus uerbis coniunctam ipsumque sceleris nomen cum ui quadam in principio sententiae ponit. Similiter correctio sine particula addita est Cic. pro Rosc. Am. 24, 67. Cf. Naegelsbach Stil. p. 399. Insulse uir quidam doctus in Misc. Obs. III, 1. p. 68. coniecit: sceleris scelus est poena tristis, nec melius profecto Bakius: sceleris est poena, tristis et, praeter eos euentus qui sequuntur, per se ipsa maxima. Et uidimus cet. Scilicet cum mortem, dolorem, reliqua, quibus hominum miserias ponderaremus, pro poenis habenda esse negasset, non esse poenam sceleris debebat dicere, sed qualis esset. Schuetzius denique coni. ipsius sceleris. De sceleris poena diuina atque de ui conscientiae uide Cic. de Rep. III, 22. fin. pro Mil. 23, 61. Legg. I. §. 40. Paullo ante offensionem iudicii rectius Wagn. Mos. Bak. ad calamitatem in iudicio acceptam i. e. ad condemnationem referunt, quam Ern. et Goer. ad malam hominum de nobis existimationem. Similiter Cic. de imp. Cn. Pomp. 10, 28. offensionem belli dicit calamitatem in bello acceptam. Alio modo offensiones iudiciorum pro Cluent. 50, 139. ea iudicia dici Bakius animaduertit, quae probata non sint.

Uidimus eos cet.] Qualis poena sceleris sit, iam Clodianorum exemplis comprobat. Mox dett. codd. scripturam ardentes tum cupiditate, tum metu, tum conscientia, confirmatam etiam mendo meliorum, a quibusdam non oportuit improbari. Male Handius coni. tum metu conscientiae; nec melius profecto aut Turnebus: tum cupiditatum aestu, tum conscientia aut H. Stephanus (sched. IV, 25.): ardentes tum cupiditatum aestu, tum conscientia peccatorum s. facinorum. Hi quod ardentes metu respuebant, quia mox sequeretur quid agerent modo timentes nec perinde recte diceretur ardens metu, ut ardens cupiditate, primum illorum uerborum non perspexerunt sententiam (cf. quae

mox disserentur); deinde etsi metu ardere insolentius dicitur (laudat tamen Dau. Hor. Sat. II, 3. 79. Uopisc. in Aur. c. 36. hi cum exarsissent timore, qui merebantur offensam), tamen in hac reliquorum nominum, cupiditatis et conscientiae, coniunctione nihil omnino molestiae habet; nam hac utraque quin homo recte dicatur ardere, nemo dubitat. Tum ante cupiditate (Uict. Steph. Dau. Ern. Wagn. cum) et codd. tuentur et flagitat sententia, si quidem particulae istae h. l. ad tempus spectant. Cf. Stuerenb. pro Arch. p. 164.

quid agerent cet.] Pertinent haec ad superstitiosam quandam religionem metumque deorum, quo quid agamus nescimus, non ad poenarum metum, quem modo dixit. Contrarium est contemnere religiones, ut Cic. de Diu. II, 60. 125. Eandem cum metu dubitandi uim timendi uerbum habet ad Att. XII, 24. 1. neque enim ei deesse uolebam et, quid possem, timebam. ibid. III, 8. 2. nunc, istic quid agatur, magnopere timeo. Itaque miror prauam Lbini coniecturam quidquid; quae Dauisio quoque, Wyttenbachio, Mosero placuit, denuo Bakio placuisse probarique in primis uisam esse eiusdem rei descriptione ap. Cic. in Pis. 41, 99, ubi tamen quicquid increpuisset nihil aliud est nisi omnem crepitum. Religionis cum Gzio, Schuetzio, Mosero ex Gd. 2. deteriorumque nonnullis recepi, quia non singulas eorum actiones, sed quasi quandam eorum qualitatem denotari putabam, ut in Verr. II, 3. 62. (negligens legum), pro Coel. 30. 73. (diligens officii) Nep., Epam. 3. (diligens ueritatis). Sed nunc tamen concedo hac in disputatione melius singulas eorum actiones spectari.

iudicia perrupta cet.] Uarie haec sunt tentata a plerisque nostrae aetatis interpretibus. Pro uulgata scriptura: iud. perrupta ab iisdem; corrupta hominum, non deorum, quam etiam Zumptio placuisse miror, Gzius coniecit: iudicia perrupta ab iisdem, corrupta, at hominum, non deorum; Schuetzius deleto participio perrupta sic: iudicia ab iisdem corrupta hominum, non deorum; uir doct. in Misc. Obs. III. 1. p. 69. ita: iura perrupta ab iisdem; corrupta iudicia hominum, non deorum; Maduigius denique in progr. p. 20. haec proposuit: iudicia perrupta ab iisdem et corrupta; hominum, non deorum. Reliqui praeter unum Moserum, qui integra esse dixit, haec certe deprauata esse dixerunt. At quid tandem deprauatum est? perruptane et corrupta? quorum alterum uere iam Ern.

dixit pertinere ad uim, alterum ad pecuniam. An ferri non potest asyndeton perrupta corrupta? At isto in hoc incitato sermone nihil aptius est, ut perruptio et corruptio separatim facta cogitetur atque aliter ac minus aperte continuetur partitio ante instituta (tum — tum, modo — uicissim). Itemque lepide uerba hominum non deorum, quibus praecedens sententia generalior. restringitur, sine particula adponuntur, non cum particula (at hominum) opponuntur. (Nos similiter: wir sahen die Gerichte durchbrochen von ihnen, bestochen, ja der Menschen, nicht der Götter). Postremo quod dicunt haec ab hoc loco aliena esse, quia scelera istis declarentur eorum, qui iudicia tum perruperint, tum corruperint: uerum id quidem est; sed et pronus profecto erat a superstitioso timore et religionis contemtu ad id transitus, et uerbis hominnm non deorum additis uel haec ad poenam diuinam retulit, de qua loquitur.

§. 44. Reprimam iam sc. res, quas Clodius uel gessit uel perpessus est, menti occurrentes. Similiter Cic. Verr. III, 20. 51. pergam, inquit, et insequar longius sc. rem. Turn. Lamb. Goer. Sch. Mos. Or. Madu. (progr. p. 20.) reprimam iam me, quae est mera correctio ne probabilis quidem propter incommodam obiectorum (me et Clodium) commutationem. Dau. reprimam iam iram. Maduigii et omittentis coniectura non insequar, qua alteram rem in alterius locum succedere significatur, ut Brut. 15, 58. latrant oratores, non loquuntur, nec necessaria et minus idonea. Cf. Cic. Verr. I, 1. patior, iudices, et non moleste fero. ibid. IV, 60. 135. de Nat. Deor. I, 33. 92. de Inu. I, 36. 64.

tantum ponam] Est haec Turnebi correctio probata ab omnibus. In eandem sententiam ponendi uerbum usurpauit II. §. 6. Brut. 45, 165. alibi. Difficiliora sunt proxima, quae sic scripta in cod. arch.: merui duplicem poenam esse diuinam uarie uiri docti emendare conati sunt. Et Turnebus quidem coniecit erui dupl. poen. e. diu., Lbinus breui dupl., Dauisius rebus dupl., Huelsemannus sceleri dupl., Gzius cerni dupl., Orellius propterea dupl., Moserus crimini dupl., Bakius uere dupl. Quae omnia parum sunt probabilia. Neque ego nunc admodum probo, quod in progr. 1841. p. 17. conieci quodque idem Zumptium coniecisse uideo in interpretatione uernacula uideri duplicem, praesertim cum mox non constet et, quod Zumptius probauit, sed constat et codicum auctoritate confirmetur. Uidetur uero mendum cum

Manutio, Pearcio, Wyttenb. expellendum esse nulla alia uocula in eius locum substituta. Cum enim in codd. melioribus sit poena merui, colligere licet natum hoc esse ex poenam erui, erui autem, quo interpres se poenam ex mendo aliquo extricauisse in margine significauerat, inde in uerborum seriem irrepsisse.

constat et ex] Ueram hanc codicum quorundam correctionem merito iam a Man. Dau. Goer. Sch. Or. probatam confirmat mendum codd. meliorum constaret ex; quod in cod. arch. fuisse documento etiam sunt multi codd. dett., qui suscepta correctione et mendum tamen (constaret) retinuerunt (cf. §. 39. inde demi). Coniunctiui constet ab Ern. et Wagn. commendati, recepti a Mosero non maior est necessitas, quam pronominis quae pro quod ab iisdem suscepti. Quod autem praepositio ex in hac sententiarum partitione, in qua eius iusta est repetitio (cf. Wund. Var. Lectt. p. XVII. Seyff. ad Lael. p. 117.), semel est posita, id hoc quidem loco excusauerim eo, quod et constare ex aliqua et constare aliqua re dicitur paruo sane sententiae discrimine. Quae duarum locutionum confusio nihilo profecto h. l. molestior est, quam eadem duarum locutionum confusio in appositione apud Cic. de Off. I, 29. 99. uerecundia aduersus homines, et optimi cuiusque et reliquorum et ad Fam. XI, 11. 3. biduo ab Allobrogibus et totius Galliae legatos exspecto. Itaque nec cum Ern. Wagn. Bakio necesse est praepositionem deleri nec cum Lbino (et ex fama) et Dauisio (et ex ea fama) alteri sententiae membro adiungi.

XVIII. §. 45. Platoni] Platonis est locus de Legg. XII. c. 7. p. 955. fin. et 956. init.

focus domiciliorum, sacra] Est haec coniectura, meliorum codd. mendo domiciliorum sacro confirmata et post Turnebum et Manutium fere uulgata, non item ab omnibus probata. Dauisius et Rathius probarunt, quod ex nescio quo cod. Ursini excerptum esse dicitur, i. e. coniecturam domicilii, sacra; sed Rathius simul pro est commendauit esto, quod nec apud Platonem est nec aptum ad sententiam. Ponit enim quod est, in eoque fundamento praeceptum constituit. Gzius, quia in Plat. uerbis pro πᾶσι cum Wagnero scribi uoluit πᾶσα, coniecit ut focus domicilii omnis, sacra, idque Krausio placuit l. l. p. 471. Moserus autem, qui defendit, mirum in modum ita interpretatur, ut focus per syllepsin ad terram, domiciliorum ad deorum referatur. Secutus est procul

dubio prauam reliquorum interpretationem: „tamquam focus domicilii deorum“. At sententia, quam recte Zumptius reddidit, haec est: ut focus domiciliorum (i. e. aedium priuatarum) deorum sacra est (nam haec notio generalis ex speciali, quae sequitur, facile auditur), ita terra sacra deorum omnium est *). Focos domiciliorum deorum sacros fuisse satis constat. Focum autem, quo non unus aliquis, sed genus focorum indicatur, non focos dixit, cum tamen domicilia diceret, propter praecedentem singularem numerum terra. Similiter dicimus cibum, non solum cibos aegrotorum, ut non unum aliquem cibum, sed genus ciborum significemus. Uocem πᾶσι (i. e. apud omnes), quae apud Platonem est, quod Cicero uertendo *non* reddidit, id non magis debet offendere, quam quod deinde non reddidit uocem ἄλλαις. Quemadmodum hoc omisit *ut ad* suam rem nihil faciens (Plato quidem ἄλλαις addidit alias ciuitates a sua distinguens, Cicero omnibus bonis firmisque populis leges scripsit), ita illud omisit, quia generalem sententiam nihil attinebat adiecta illa uoce magis confirmare. Justo longius Bakius progreditur, qui etiam uerba in urbibus ab homine imperito ex Platone addita esse suspicatur.

idem consecrato] Non eandem dixit, sc. terram, sed generalius loquens neutro pronominis utitur idem, i. e. id, quod iam sacrum est, quemadmodum Plato quoque non γῆν, sed ἱερά obiecti loco posuit. Ineptit igitur Gzius, qui quia ne apud Platonem quidem pronomen esset idemque abesset a Br. Gd. 1. 2. (et in hoc quidem est iterum qui de cons.) pronomen superuacuum esse putauit.

ex inani i. e. anima uacuo. Confirmauit hanc huius adiectiui uim Dau. locis his: Ou. Met. II, 611. corpus inane animae frigus letale secutum est. Ou. in ep. Sapph. Phaoni 116. portet ad exstructos corpus inane rogos. Prop. III, 16. 30. Ped. Alb. El. I, 315. Adde Ou. Am. III, 60. 6. Eandemque analogiam sequitur, quicquid Bakius et Krausius obloquuntur, illud Ciceronis quod Goer. laudauit in Verr. II, 66. 160. (equus inanis, i. e. sessore uacuus). Coniecturam a Steph. Man. Lbino receptam inanimo immerito probarunt Wagnerus, Krausius, Zumptius (hic inanimi). Nam corpus inanimum, quod contrarium est corpori animali, ut uere Bakius animad-

---

*) Steph. et Lamb. prauam dett. codd. correctionem domicilium sacrum expresserunt.

uertit, est id, quod omnino anima careat, non quod exanimatum sit. Cf. Cic. Tusc. I, 23. 54. Ac. II, 12. 37.

ligneum] Cod. arch. scriptura: lignum autem quodque uoluerit duobus iam mendis inquinata est (lignum — quodque). Illud pridem sublatum esse coniectura, quam quis primus proposuerit, nescio, consentiunt praeter Bakium omnes, qui et h. l. et mox pro lapideum substantiuum requirit, quod ex imperatiuo pendeat. Nimirum adiectiuum, ut graecum Platonis uerbum ξύλον, materiam significat, ex quo quod dedicetur factum sit; idque necessarium prorsus esse adiectiuum lapideum ostendit, quod sequitur. Alterum autem mendum, quod serio cum Goer. Mos. Or. aliis defenderit nemo, nec Turnebi sublatum est coniectura Dauisio probata quod qui, nec Lbini quod quis, quae Ernestio, Wagnero, Zumptio placuit. Et graeca Platonis uerba ξύλον ὅ,τι ἂν ἐθέλῃ τις, ἀνατιθέτω et ipsa sententia declarat restituendum esse Ciceroni quicquid, quod tentatum iam est in cod. 10. Et utriusque uocis (quodque et quicquid) notae simillimae erant. Bakius dett. quorundam codd. correctionem quodcunque ita probauit, ut quis addi uellet. Uerum tertiam personam singularis in iubendo ad indefinitam personam significandam sine pronomine usurpari satis constat. Cf. I. §. 9. si in ius uocat, ito. Klotz ad Cic. Tusc. I, 38. 91.

dedicato] Ex mendo cod. arch. (nam correctio est cauato), quod natum est duabus syllabis omissis, ut II. §. 28. manu, reliqui melius effecerunt dedicato, quam Dau. sacrato et Bakius consecrato.

albus praecipue] Probari non posse uidetur Bakii coni. albus qui praecipue, etsi mendo nititur codd. meliorum albusque, quia quae cum reliquis expressimus, cum ipsis Platonis uerbis congruunt, modo quod quae Plato dubitanter ac modeste proposuit, simpliciter h. l. affirmantur.

cum in ceteris] Male Lamb. Dau. Ern. Wagn. tum.

utendam] Quod primus Dau. coniecit et Goer. Mos. Or. Bakius probauit utendam — reliqui tuendam —, id confirmatur tribus Gzii codicibus estque necessarium. Nihil enim cum terrae cultu id commune habet, quod eam tuemur, usus habet. Similiter litterae mox transpositae sunt in codd. mell. qui domo pro qui modo. Alia est ratio loci a Dau. laudati pro Rosc. Am. 15, 43. ubi perperam idem tuenda sollicitauit.

subigendam] Hanc coniecturam a Manutio ex cod. aliquo excerptam et a plerisque probatam (Goer. Mos. Or.

Bak. subiiciendam restituerunt) ego reuocaui propterea, quia ueteres saepe aut subigere terram aut aratro subigere dixisse uideo, nusquam terram ferro subiicere; a qua locutione abest terrae tractandae notio. Facilis mendi ortus erat in cod. maiusculis litteris scripto.

de sacris perp. sc. sacris priuatis. Cf. II. §. 22.

at mihi ista cet.] Lepide haec ficta sunt ad imitationem sermonis familiaris, a quo talis obliuio non abhorret; ipsam ironiam, quam alii sibi deprehendisse uidentur, ego in his non reperio. Male Bakius uerba sic disiunxit at mihi ista exciderant ita. Credo, aut etiam, quia ista in uno cod. D omitteretur, sic scribi posse dixit: at mihi exciderant ista. Credo cet.

§. 46. uero: et cet.] Temere Bakius, quia post Attici responsum continuari ironiam existimauit in hunc modum: „multo magis omittere ista uolueram, quoniam sunt impedita et obscura", coniecit plena ante interpunctione posita Sed ego in hoc. At postquam Attici uoluntati se obsecuturum esse particula uero significauit (Cic. Brut. 87, 300. de Diu. I, 46. 104. Naegelsbach Stil. p. 395.), non difficile id esse addit propter apertissima istis de rebus responsa et scripta multa. Deinde in hoc omni sermone, ad quodcunque legis genus peruenerit, tractaturum se esse significat ius ciuile romanum, sed non ita, ut singula quaeque, sed ut locos tantum persequatur, i. e. fontes, ex quibus singula quaeque ducantur (die allgemeinen Gesichtspuncte). Similiter in rhetorica argumentorum fontes ac sedes loci uocantur. Necessaria igitur est Ranconneti coniectura quaeque pars iuris a plerisque probata et confirmata etiam mendo codd. meliorum (cf. ann. crit.). Litterae P post Q facilis in cod. arch. omissio fuit. Male Gzius coniecit uel quaeque res iuris uel quod ante dubitanter Dau. proposuerat quaeque res et pars iuris, Hand. Jen. Littz. 1810. 72. quaeque res om. iuris, Bakius comparato Ciceronis loco de Or. II, 30. 130. quaeque responsio iuris.

qui modo ingenio] Haec Turnebi coniectura a plerisque probata confirmatur mendo codd. meliorum qui domo ingenio. Sic, ut singulae partes ex locis illis ducantur, nihil opus esse dicit, quam cogitatione et ingenii agitatione, qua, quamquam a natura ratione praediti, non omnes utuntur. Recte autem, ut animo moueri ad animi sensum (pro Dei 4, 11.), ita ingenio moueri ad mentis agitationem declarandam dicitur; ac prorsus necesse est addi ingenio non addito aduerbio, ut Ac. I, 9, 35. acute

moueri. Sine causa et omiserunt ista cum dett. codd. Uict. Man. Zumptius, et paullum de coni. addiderunt Lamb. Ern. Wagn., et coniecerunt denique Dau. et Bakius qui modo ingenio sit mediocri.

scias] Propter praecedentem sententiam relatiuam qui modo — possit exspectaueris sane quod de Dauisii coni. reliqui scripserunt, sciat. Uerum in cod. arch. scias fuisse codicum consensus arguit. Quod Bakio assentior non esse repudiandum, quia nec certus quidam sed quicunque homo pronomine h. l. denotatur et pluribus uerbis interiectis tertiae personae memoria ita obscuratur, ut alteram substituere nihil molestiae habeat. Cf. Cic. de Or. II, 67. 269. dissimulatio est, cum alia dicuntur ac sentias. Aliam ob causam leuiter deflexa oratione a tertia persona transiit ad secundam de Off. II, 11. 39. (habeat — feras).

XIX. §. 47. iurisconsulti] Correctio haec est mendi iurisconsultus necessaria et probata ab omnibus; sed Steph. Dau. Mos. Bakio exceptis reliqui iureconsulti.

ars est etiam] Est, quod codd. auctoritate Bakius se recepisse dicit (et ante receperant Lamb. et Schuetz.) coniectura est tentata in codd. β et 96, sed ea necessaria, quia ex praecedente copula audiri non potest uerbum, quod dicunt, substantiae. Ac facilis fuit eius omissio ante etiam. Alia est ratio loci I. §. 23.

in hoc ipso genere sc. de sacris perpetuis.

Scaeuolae] In Mucia gente tres potissimum Scaeuolae sunt nobilitati, P. Mucius Scaeuola, cos. a. u. 621. eiusque filius Q. Mucius Scaeuola, cos. a. u. 659, pontifices ambo iidemque iuris peritissimi, atque Q. Mucius Scaeuola augur, cos. a. u. 637.

saepe] Praua est correctio codd. deteriorum at, inquit a Uict. Steph. Mos. Or. recepta. Nihil h. l. a Scaeuola obiicitur, quod ad Marci reprehensionem pertineat; sed explicatius reprehendendi causa redditur. Merito igitur reliqui praeter Bakium ex meliorum codd. mendo sae (nam littera s praecedenti uocabulo adhaesit) effecerunt saepe. Altera aduerbii syllaba absorpta est. Similiter mox in codd. melioribus est sempet pro semper et, atque III. §. 43. in dett. se pro saepe. Cf. praef. p. XVII. Bakius, qui merito, num at uerum esset, dubitauit, parum recte tamen hoc commendauit; Handius Turs. I. p. 424. coniunctim at saepe, inquit.

ullo omnino, nisi eo] Quod adhuc uulgatum est aut ullo omnino? Ergo quod c. r. coni. est, id nec iusta codd. auctoritate nititur (nam in principe meliorum fuit si ego, in principe deteriorum si ergo), nec per se potest probari. Inepte enim, posteaquam negatum est ullum ius ad pontificem pertinere, aliquod ad eum pertinere concluditur. Quod sublaturi incommodum parum probabiliter Turn. et Lamb. coniecerunt: aut luminum? Ergo quod, Rathius: aut illo luminum? Ergo quod, Zumptius: aut luminum? Si ergo, quod, Dauisius: aut ullo simili? Ergo quod, Gzius et Schuetzius: aut tali ullo? Ergo quod, Bakius denique dialogismum continuari dicens: aut ullo omnino? Si, inquit, cum rel. c. est. Correctionem probabiliter a Pearcio et a uiro docto in Misc. Obs. IV, 3. p. 334. inchoatam (aut ullo omnino, nisi quod) absoluit Maduigius diligentius codd. uestigiis insistens hoc modo: aut ullo, nisi eo quod cet. Cuius haec sententia est: ad pontificem nulla pars iuris ciuilis pertinet, nisi ea, quae cum religione coniuncta est. Uocularum si et nisi, eo et ego frequens in codd. confusio est. Praepositionem, quam Bakius ex ipsius Maduigii praecepto (de Fin. p. 522.) iterandum fuisse dicit, propterea iterari non est necesse, quia ne pronomini quidem (ullo) addita est. Causam autem, cur pronomini ullo non addita sit praepositio, uniuerse declaraui I. §. 25. Exemplis ibi allatis adde haec: Cic. de Off. I, 31. 112. num enim alia in causa M. Cato fuit, alia ceteri? ibid. I, 37. 134. quibus de rebus loquatur: si seriis — si iocosis.

et de sepulcris] Particulam et a superioribus omissam merito Bakius codd. auctoritate restituit, rationem tamen secutus haudquaquam probabilem. Dicit is enim particulam omittendam esse, si non plenam rerum enumerationem fieri existimes. Quod si ita esset, expelli eam h. l. necesse esset. Plene ac diligenter totam rem alio loco tractabo; nunc hoc dico, duo esse h. l. nominum paria (de sacris de uotis — de feriis de sepulcris), quibus uelut tertium totius ordinis membrum accedunt uerba et si quid eiusmodi est. Jam etsi eiusdem membri nomina plerumque ponuntur particula non coniuncta, interdum tamen aut utriusque membri, aut alterius nomina coniunctione copulantur. Cf. Cic. Off. I, 29. 103. temere et fortuito, considerate negligenterque. Cic. Par. VI, 2. 49. signa tabulas, suppellectilem et uestem infinite concupiscenti. Tusc. V, 14. 41. tutum esse inexpugnabilem, saeptum atque munitum. de Or. II,

38. 139. exile aridum, concisum ac minutum Or. 11, 36. in picturis alios horrida inculta, abdita et opaca, ubi Madu. de Fin. IV, 20. 56. male uerba abdita et dixit expellenda esse, ut regulae a se inuentae ista aptarentur.

de sacris autem cet.] Causa, cur haec non tanta sint facienda, pariter his uerbis: de sacris — perpetua declaratur atque praecedentibus (cum cetera perparua sint). Quapropter recte Mos. et Or. Stephano et Beiero (Off. II. p. 62.) auctoribus haec minore interpunctione posita cum praecedentibus uerbis coniunxerunt. Bakium si sequereris cum superioribus, qui maiore interpunctione post uerba perparua sint posita nouae inde sententiae initium fecerunt, Tullius, ipse quid de sacris sentiri uellet, perquam inepte uideretur praecipere. Sine causa Madu. cum Dau. et Lbino sacra omitti uoluit. Paullo ante Gzius, qui post uerba de sacris excidisse priuatis dixit, non intellexit omnem hunc sermonem esse de sacris priuatis.

§. 48. Haec ponite cet.] Nec hoc, quod expressum est in editt. Man. Lamb. Dau. Goer. Mos. Or.: hoc posito haec iura, nec quod Ern. Wagn. Sch. scripserunt: hoc uno posito haec iura, nec quod de Turnebi coni. expressit Steph : his positis haec iura, codicum auctoritate confirmatur, in quibus omnibus est aut haec ponite s. posite aut haec posita. Unde, si et orationis integritati isto modo recte consuleretur et sententiarum sinceritati, efficere hoc posito nihil profecto religionis mihi afferret. At iustae quae existunt dubitationes, nec ista correctione nec reliquis uirorum doctorum coniecturis tolluntur, ueluti Lambiana ex cod. Memmiano repetita: hoc posito, haec iura pontificum auctoritates secutae sunt, Zumptiana: Sacra, hoc posito iure, pontificum auctoritate consecuta sunt, Bakiana: hinc iura pontificum auctoritate consecuta sunt (omissis uerbis ponite haec). In istis quae merito displicerent, primus recte aperuit Madu. in progr. p. 21. Qui quidem primum pluralem numerum iura negauit uerum esse, quia uerbis illis ut ne — uenerit unum poneretur (ut sacra iis essent adiuncta, qui pecuniam accepissent); idque ipsum addo non ius esse, sed caput sententiae, unde singula iura ducantur. Deinde merito prauam uerborum consecutionem reprehendit (occideret — adiuncta esset — *uenerit*). Quam si Bakius facillima coniectura ueniret tolli posse existimauit, fugit eum dici oportuisse uenisset; pecuniam enim ad eos uenisse necesse fuit, antequam sacra iis adiungerentur.

Quae porro Maduigius in uerbis reprehendit consecuta sunt, pro quo exspectat constituta sunt, itemque sacra adiungi hominibus, ea leuiora sunt et satis a Bakio profligata. Ad has autem iustas orationis reprehensiones accedit, ut idem Madu. demonstrauit, sententiarum perturbatio non sane leuior. Et normam quidem, quae de sacris tenenda esset, uerbis explicauit de sacris haec ait una sententia, ut conseruentur semper — sacra (in Beziehung auf die Opfer gilt der eine Grundsatz cet.). Ad quam procul dubio pertinent, quae mox sequuntur: hoc uno posito, quod est ad cognitionem disciplinae satis cet. Ab eodem autem fonte, quo sacra conseruari semper ac deinceps familiis prodi iubentur, ducta sunt illa: haec iura pontif. auct. consec. sunt cet., nec quicquam continent, quod non ab eodem fonte profectum distinctius deinde iterum explicetur, ut ista facile superflua esse appareat. At, inquit Bakius, sic oratio progreditur, ut primum seruari sacra oportere dicatur, deinde eis ea adiungenda esse praecipiatur, ad quos pecunia uenerit, denique hoc ipsum singulatim ac per singulas generis species explicetur accuratius. Concedo istam ueram fuisse docendi uiam, si iurisconsultorum innumerabilia praecepta ab uno quasi fonte, quo facilius perspicerentur, repetere uoluisset. Sed nunc id potius agitur, ut innumerabilia illa iurisconsultorum praecepta ponantur, communi eorum fonte, qui proficiscitur ab una illa sententia sacrorum conseruandorum quemque ipse demum aperit §. 50, non nominato. Quem si iam aperuisset, non potuit profecto, quasi nihil adhuc de sacris cum pecunia coniungendis dixisset, deinde sic loqui: quaeruntur enim, qui adstringantur sacris. Quae cum ita sint, assentior equidem Maduigio haec omnia: hoc posito haec — uenerit tamquam interpretamentum expellenti. Cuius etiamnunc uestigium (ponite) exstat in Gd. 2., quo, qui interpretatus est, quae istorum loco poni uellet, significauit. Cf. §. 44. I. §. 61.

iis est ea adi.] Haec omnia expressi secundum codd. meliores, quo luculentius interpretamentum istud esse cognosceretur. Steph. Man. Dau. Ern. Wagn. Sch. Or. iis essent ea adiuncta; quae correctio iam tentata est in A et B et necessaria sane esset, si haec Ciceronis possent haberi. Lbinus: et ut iis essent ea adi. Uict. Goer. Moserus: et iis (Goer. his) esset ea adi.

quaeruntur] Dauisii coniecturam quaerunt miror Ernestio placuisse, Wagnero, Rathio ac nuper Bakio: quae nec propter id quod praecedit, nascuntur, placet et

flagitat deinceps adstringant. Cf. de hoc rei, quam actio attingit, primum uniuerse nominandae, deinde accuratius explicandae more Seyff. ad Lael. p. 360. Madu. de Fin. p. 719. Krueger de attract. §. 162. Cic. ad Fam. VIII, 10. 3. nosti Marcellum, quam tardus et parum efficax sit. Tusc. I, 24. 56. Or. 50, 168. tertium genus explicetur, quale sit. Lael. 16, 56.

heredum] Heredes per eminentiam uocantur, quibus iure ciuili hereditas obuenit, non etiam ii, qui iure praetorio bonorum possessores facti sunt. Laudat Moserus Ulp. XXVIII. 12. §. 2. I. de bon. poss. 3. 10. et Sauigny Zeitschr. f. wiss. Rechtsw. p. 365.

emigrarit] Confirmatur hoc et plerisque codd. dett. et mendo meliorum, ut temere Bakius migrarit reuocandum esse dixerit.

deinde qui] Non quaeritur, cum aliquis sacris adstringatur, sed quis adstringatur. Necessaria igitur est haec mendi quo uel quom correctio in uett. iam editt. expressa et ab omnibus probata.

morte testamentoue] i. e. ea donatione, quae demum post mortem domini rata esset, quam postea iurisconsulti nominarunt donationem mortis causa (Schenkung von Todes wegen) aut legato. Laudat de illa Wytt. Pand. XXXIX. tit. 6. Inst. II. tit. 7., Moserus Sauigny Zeitschr. l. l. p. 366. Ne autem, si testator census esset, plus legatorum nomine mortisue causa cuiquam capere liceret, quam heres aut omnes heredes caperent, cautum est lege Uoconia, quae lata est a. 585. a. Q. Uoconio Saxa, tr. pl. Cf. Gai. Inst. II. §. 226. Cic. Verr. I, 43. 110. Rein roem. Priuatr. p. 380.

quod propositum est] Commode sane haec referri possent ad id, quod cum pecunia pontifices sacra coniuncta esse noluerunt. Sed quia ista: iis est ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia uenerit, Ciceronis non esse uidimus, non minus recte referri posse uidentur ad ea, quae ante posita sunt: ut deinceps familiis prodantur (es passt zu dem angegebenen Zwecke, nämlich dem der Erhaltung der sacra). Male igitur Dau. coniecit, quod est etiam in codd. γ et 39, positum est.

si nemo sit heres i. e. si nemo est, qui iure ciuili hereditatem aut possit aut uelit adire. Quod si erat, adiri tamen poterat iure praetorio. Cf. Rein roem. Priuatr. p. 396. sqq.

cum moritur, usu] Turnebi coni. mendis codicum confirmata et ab omnibus probata excepto Bakio, qui coniecit

qui moritur. Quid? potuitne quisquam mortui bona usucapere uel ea, quae eius esse desiissent, cum moreretur? Nimirum pron. dem. eius pertinet ad eum, qui e uita emigrarit, ut et ante (testamentoue eius) et post (de creditoribus eius), atque uerbis cum moritur significatur bona etiamtum, cum moriatur, eius fuisse oportere. Generaliter autem loquitur, ut nec Dauisii opus sit coniectura mortuus est nec Rathii qui mortuus sit.

plurimum possidendo] Possidendo Turn. Steph. Man. Sch. cupidius quam uerius delerunt, et deleri noluerunt Dau. et Gzius. At uero addi necesse est, ne sacra coniungi demum uideantur cum usuçapione i. e. dominii adeptione per possessionem in annum aut biennium continuatam, sed simul cum ipsa possessione iure praetorio data. Cf. Rein roem. Priuatr. p. 401. et quos. Mos. laudat, Gai. II. §. 41. §. 53—58. III. §. 175. et Sauigny l. l. p. 374.

si nemo sit cet.] Haec recte uulgata sunt secundum codd. dett. Gzius prauam aliorum dett. codd. correctionem expressit quarto, qui, si nemo sit, Dauisius codicis Ball. siue correctionem siue mendum probauit quarto, quodsi nemo. Mox Rathius sine iusta causa coniecit de creditoribus is, qui. Sententia haec est: Si neque heres sit iure ciuili neque bonorum possessor iure praetorio, sacris adstringitur creditorum is, qui plurimum seruat. Seruare uim habet pecuniae creditae, cuius perdendae periculum erat, recipiendae (retten). Laudat Wytt. Pauli Dig. XVII, tit. 1. leg. 45. Sauigny, quia bonorum uenditione facta ei, qui plurimas centesimas (die höchsten Procente) promisisset, debitoris mortui bona addicta essent isque tum heredis loco habitus esset, praepositionem de deleri uoluit. Sed et ipse tamen postea epistola ad Creuzerum data, num id uerum esset, dubitauit nec quicquam ea de re apud ueteres iurisconsultos contestatum inuenio. Itaque coniecturam istam audaciorem puto, praesertim cum Scaeuolae sacra cum pecunia (§. 50.) coniungi uellent atque fieri sane posset, ut is, qui plurimas centesimas promitteret, minimam bonorum partem acciperet.

§. 49. ut, si qui] Mendum codicis arch. si is qui haud scio an ortum sit ex correctione eius, qui et hoc loco requireret ut is qui. Quod parum probabiliter tentatum in cod. γ receperunt Uict. Man. Lamb. Ern. Nec enim probabile est propter eadem pronomina deinceps posita, nec propterea, quia ad uerba extrema illa persona est parum accommodata esse uidetur accuratior illa subiecti definitio. Uera est mendi correctio ea, quam primum a Gzio

receptam probarunt Beier ad Off. I. p. 125. Mos. Or. Bakius, etiamsi fides non habenda sit Gzio in Cass. et Vd. se id reperisse dicenti. Dau. coniecit ut si ei qui, Wagnerus et Rathius sine causa longius a codd. uestigiis discedentes commendarunt ut si quis. Nam si qui recte dici extra controuersiam est. Cf. Jordan pro Caec. p. 155 et quos ille laudat Seyff. ad Lael. p. 163 et Haasium ad Reisigii schol. grammat. p. 343. Utriusque autem pronominis (qui et quis) discrimen in hoc mihi uerti uidetur. Si quis (wenn wer) magis ad hominem spectat, ut ita dicam, indiuiduum, si qui (wenn einer) ad indefinitam hominis qualitatem, ut ad contemplationem aliquid, ad sententiam paene nihil interesse uideatur.

proinde non ita raro apud Ciceronem uim habet aduerbio perinde simillimam. Cf. Cic. ad Att. III, 13. 1. Orell. ad Milon. Garatonii p. 58. Klotz ad Tusc. V, 2. 6. Zumpt. ad Verr. I, 38. 89. Walch. Emendatt. Liu. p. 31. Uict. Steph. Ern. Wagnerus perinde.

XX. descripta] Haec mendi descriptas correctio cum plerisque mihi uisa est probabilior, quam ea, quam tentatam in codd. dett. receperunt Uict. Lamb. Dau. Rath. Quippe incisa eiusmodi oratio minus uidetur Ciceronis consuetudini conuenire.

tribus modis] Sententia horum uerborum haec est: Sacris adstringuntur ex antiquorum praeceptis aut heredes, i. e. ii, ad quos iure ciuili eius, qui mortuus est, bona peruenerint, aut si hereditas non iure ciuili aditur, ii, qui iure praetorio maiorem pecuniae partem ceperint, (id quod paullo ante dixit usucapere plurimum possidendo), aut ii, quibus maior pars pecuniae legata est, etiamsi non omnem, sed partem tantum ceperint. Cf. Dig. de legatis XXXI. tit. I. l. 2. c. 58. si cui res legata fuerit et omnino aliqua ex parte uoluerit suam esse, totam acquirit. Male Goer. et Mos. uerba aut si maiorem partem pecuniae capiat ad legatarium pertinere existimarunt. Atque Bakius, qui et ipse eadem uerba ad legatarium spectare existimauit neque id, quod antecedit, hereditate ita dici intellexit, ut legati nondum ratio haberetur, perperam particulam aut post hereditate tollendum esse pronuntiauit. Deinde idem peruerse et particulam aut post legata est cum Uict. et Lbino ex dett. codd. recepit et pro legata est coniecit legata sit et denique pro quippiam, quod est in cod. α quispiam ita probauit, ut audiendum esse diceret ex superioribus maiorem

partem pecuniae. Uict. Lamb Rathius cum codd. dett. peruerse adstringi hereditatem.

§. 50. pontifices cum pecunia] Quod post Stephanum reliqui receperunt pontifices pecuniam sacris, id nec codicum auctoritate nititur nec per se uerum est. Non enim cum sacris pecuniam coniungi uoluerunt pontifices, sed sacra cum pecunia. Uerissima Maduigii emendatio pontifices cum pecunia sacra confirmatur et eo, quod mox §. 52. eodem modo locutus est, et ipso cod. arch. mendo, quod natum est frequenti duorum uocabulorum in unum confusione. Bakius, cui non displicuit ista emendatio, parum recte tamen pontifices tolli uoluit propterea, quia pontificum mentio ab hoc loco aliena esset, cum et modo pontificem nominasset et satis supra significasset Scaeuolarum disciplinam a se proponi. Nimirum non intellexit Ciceronem, cum pontificem se in illa dissensione sequi dicit, Scaeuolam intelligere, deinde autem pontifices dici uniuersos.

iisdemque i. e. iisdem, qui pecuniam acceperint. Pronomen igitur non accurate accommodatum ad nomen praecedens insolentius relatum est ad hominum notionem menti succurrentem.

atque etiam dant i. e. concedunt. Male et Lbinus coniecit atque etiam addunt et Bakius ad quae addunt. Sed quid concedebant? Partitionemne? Quae species quaedam erat legati, qua heres diuidere iubebatur hereditatem cum legatario, ueluti: Meuius heres meus cum Titio hereditatem meam partito, diuidito. Cf. Ulpiani Fragm. XXIV. §. 25. Gai. II. §. 254. Jordan pro Caec. Prol. p. 29. Eam igitur non concedebant Scaeuolae; in ipso testamento scripta erat. Hoc tantum dabant, ut in partitione, si in testamento deductio, id quod interdum fiebat, scripta non esset, ipsique (legatarii sc.) minus caperent, quam omnibus heredibus relinqueretur, sacris ne alligarentur. Ut ne post dandi uerbum positum est, quia dantes simul cauebant. Cf. Madu. de Fin. p. 254. Merito igitur nuper Madu. facillimam Danisii coniecturam cum (quom) est partitio denuo commendauit in progr. p. 23.; cuius necessitas plane confirmatur uerbis sequentibus in donatione. Quam cum Bakius improbauit, quia donatio testamento opponeretur, non intellexit partitionem quoque testamenti esse. Ipse haec: quod est partitio interpolata dixit ex §. 53. Ranconneti coniectura quod est partitionis caput immerito Manutio, Lbino, Schuetzio placuit; nec melius Gzius, quod ante Wagnero placuerat, coniecit quod est partitionis. Deinde Bachii (ad

Brissonii Form. p. 118.) coniectura deductio haudquaquam uidetur necessaria esse pro deducta; quod uocabulum similiter a deducendi uerbo deriuatum est atque repulsa a uerbo repellendi. Stephanus: ut si in testamento ut deducantur scriptum non sit; Lbinus: partitionis caput: si in test. ut C deducantur scriptum non sit ipsique C minus; Pearcius: partitionis caput: si in test. ut centum nummi deducantur, scriptum non sit ipsique; Dauisius denique dubitanter proposuit: si in testamento, ut deducantur centum nummi, sit.

in donatione sc. in donatione mortis causa. Uere autem Wyttenb. animaduertit donationem intelligi filii familias, qui cum testari non posset, tamen peculium quod uocant profectitium donare poterat, si pater id approbaret. Sed quemadmodum quod pater non approbauerat, ratum non erat, ita id, quod ille approbauerat, nullo pacto stipulationibus mutari poterat. Itaque ei, qui dimidia bonorum parte donatus erat, paullo minus capere non licebat. Deinde pro particula et, quam Lbinus deleuit, Gzius aut etenim scribi uoluit, aut seruata illa deinceps etiam eandem iterum poni (et quod eo insc.).

§. 51. His propositis i. e. nach Aufstellung dieser Grundsätze tauchen manche Nebenfragen auf. Male Dau. coniecit positis. Cf. II. §. 48.

quas qui intelligat] Uerbo nascuntur, quod in cod. arch. alieno loco intrusum est (cf. ann. crit.), expulso reliqua uerissima sunt, si cum Goer. Mos. Sch. Or., Bakio haec interrogando absolui iudicaueris. Ita mirari se significat istas quaestiunculas ab eo, qui intelligat, non perspici. Intelligere autem est h. l. quaestiuncularum sententiam percipere (die Fragen dem Sinne nach verstehen), perspicere autem ad interiorem earum cognitionem earumque cum principiis necessitudinem spectat. De pronomine relat. ad secundariae uerbum relato cf. quae dixi I. §. 62; nam Bakius perperam uerba qui intelligat a pronomine seiunxit sic interpretatus: „qui intelligens sit". Ante Gzium uulgata haec sunt: quas qui non intelligat, si ad caput referat, per se ipse facile perspiciat. A. G. Zumptius coniecit: quas si quis, qui nascantur, intelligat, non — perspiciat?

eaque pecunia] Temere Bakius eoque coniecit. Ea pecunia est pecunia posterius exacta; quae non sola, sed una cum pecunia ante a legatario exacta dicitur non minor esse facta, quam ea, quae omnibus heredibus est relicta. Luculento Wyttenb. rem illustrauit exemplo

hoc: „Titius reliquit hereditatem decem M. nummorum, ut Caius ex illa pecunia sex M. legati nomine acciperet. Caius tantummodo sumsit quatuor M., ne sacris adstringeretur; at Caii heres Maeuius hos bis mille nummos a Caio quondam remissos exigit ab heredibus Titii iisque exactis habet sex M. ex uetere illa Titii hereditate. Ergo plus habet quam reliqui heredes. Itaque solus sacris Titii adstringitur".

Quin etiam cauent] Ad alterum legatarii sacris liberandi modum alium etiam hunc Scaeuolae adiunxerunt, ut per aes et libram (qui dominii acquirendi modus inibatur coram praetore adhibitis quinque testibus et uno libripende) legatarius legatam pecuniam heredi mancipare, sibi id, quod legatum esset, stipulans. Ita cum eandem pecuniam acciperet stipulatam, non legatam, et heredem testamenti soluit et ipse sacris liberatus est. Cf. §. 53. Sic recte interpretatus est Wyttenb. et Sauigny Zeitschr. p 378—380. Mox quam sine religione capere liceat hoc est: quam capere liceat, quin sacris adstringatur. Deinde propter meliorum codd. auctoritatem cum Steph. Man. Dau. probo leges, non legem, quod me inuito in oratione resedit.

XXI. §. 52. Ciuilis enim iuris cet.] Nimirum pontificio iure sacra cum pecunia coniuncta erant, nulla lege ciuili, quae perpetua tantum sacra esse iussit. Juris igitur ciuilis scientia (nam hac scientia est huius sc. iuris ciuilis scientia. cf. quae dixi II. §. 7.) eludere dicuntur illa, quae in iure pontificio posita erant. Merito igitur Bakius ex codd. restituit illa pro ea quae a Turnebo inde uulgata est coniectura haudquaquam necessaria illam. Gzius paullo ante peruerse coniecit nulla pontificum auctoritate, nulla lege.

Ti. Coruncanio] Aegre caremus praenomine, cum et praecedenti nomini sit praemissum nec ulla uocula tamquam celebritatis index, ut pro Arch. 7, 16., adiungatur. Itaque praenomen, quod ante et Orellius et Krausius in progr. p. 10. commendauerat, merito nunc Bakius elicuit ex mendo hii in uno cod. B seruato, in reliquis exstincto. Ceterum Ti. Coruncanius cos. a. u. 474. primus e plebe pontifex maximus erat. Liu. Epit. 18. itemque est mendi idemque correctio necessaria post Manutium uulgata. Non enim interest definire, quod Scaeuolae et Coruncanio placuerit, idem ceteris placuisse (illis quid placeret, ne dixerat quidem); sed hoc exspectatur, sententiam propositam placuisse et Scaeuolae et Coruncanio et ceteris.

qui tantumdem caperet] Sic ex dett. codd. cum Lamb. Goer. Mos. Or. Bakio scripsi, erratumque a Bakio esse puto, qui ex codd. ABCEδ eos qui excerpsit. Certe Gd. 2, cum quo usquequaque fere consentiunt C et δ, habet ceteris qui tm̄ [dem caperet quantum]. Iam cum eadem uerba in C et δ omissa esse ipse Bakius tradiderit, ab iisdem uel eos abesse ueri simillimum est. Ita nec in principe meliorum libro eos fuisse existimo et pronomen illud una cum reliquis uerbis in codd. A B E 11. 65. restitutum esse coniectura. Quam parum recte probarunt Steph. et Dauisius. Man. Ern. Wagnerus pronomine eos omisso certe caperent retinuerunt. Sed pluralis numerus minus probabilis est propterea, quia non legatarii plures, si cuncti tantumdem cepissent quantum omnes heredes, sacris alligabantur, sed legatarius unus, si tantumdem quantum omnes heredes cepisset; similiterque §. 48 et 49. singulari numero utitur.

§. 53. Habeo ius pont. cet.] Male Zumptius dett. codd. mendum ab eo comprobauit reliquis uerbis hunc in modum constitutis: ab eo ius pontificium. Quid? huc accessit ex iure ciuili partitionis caput... deducerentur: inuenta est ratio, *qua* pecunia... liberaretur. Quid? si hoc cet. Sententia satis plana est. Illo Scaeuolae et Coruncanii placito, ut qui tantumdem quantum omnes heredes capiat, sacris alligetur, ius pontificium contineri dicit. Quo facto quid huc ex iure ciuili accesserit quaerens iam tres persequitur legatarii sacris liberandi modos cum ipso iure pontificio non coniunctos nec quicquam aliud spectantes, nisi ut pecunia sacrorum molestia liberetur. Quorum quidem primus is erat, ut ipse testator in testamento caueret, ut centum numi deducerentur; alter hic, ut, si testator ipse nihil de centum numis deducendis in testamento scripsisset, legatarius ipse minus caperet, quam omnibus heredibus relinqueretur; tertius denique is erat, ut herede per aes et libram testamenti soluto legatarius pecuniam stipulatam, non legatam acciperet. Caput partitionis est quod nos dicimus Theilungsbestimmung. Cf. quem Mos. laudat Cic. in Verr. I, 46. 118. ea capita in edictum prouerbiale transferre.

quodsi hoc] Est haec necessaria correctio mendi quid si inde a Stephano uulgata. Quid? (wie steht es damit?) Ita tantum recte diceretur, si animum attendi ad rem uellet, de qua deinde iudicaretur. Et iudicatur quidem hoc: rursus sacris liberantur. Sed hoc ipsum lon-

gius a pronomine seiunctum est, quam ut pronomen ad id referri possit.

super dicebant] Sic codd. omnes. Quod si uerum esset, hunc in modum cum Wyttenbachio interpretari necesse esset: „quicquid super cepisset, adstringi". Cum igitur eum, qui tantumdem quantum omnes heredes cepisset, sacris alligari dixisset, liberari qui minus, ne forte, qui dimidio plus cepisset, liberari uideretur, hoc ipsum addidisse putandus esset. Sed primum quis dubitet, quin qui dimidio plus ceperit, sacris alligetur, si is adstringitur, qui tantumdem ceperit, quantum omnes heredes? Id incommodi non tollit coniectura a Man. Ern. Orellio probata super, dicebant, qui quid cepisset. Nec probabiliter Bakius suspicatus est ante minus excidisse centum. Cf. §. 50. Scilicet particula quidem Mucio alios opponi indicat et dicebant, quod codd. omnes tenent, haec: quicquid cepisset, adstringi non eundem Mucium, sed alios praecipere ostendit. Quid igitur? Ea hoc loco complectens, quae ante §. 49—51. disputauit, dissensionem etiam attingit antiquorum ante commemoratam. Quapropter Turnebi coniecturam amplector superiores dicebant cet., quae Lbino quoque, Dauisio, Wagnero, Gzio, Schuetzio placuit; quam in orationem non recepisse me nunc poenitet. Praua est Zumptii coniectura supra dicebant cet., quam sic interpretatur: „früher sagten sie".

quasi — legata non esset i. e. eodem loco res sit, quam esset, si ea pecunia legata non esset. Cf. Cic. Lael. 4, 14. sensu enim amisso fit idem, quasi natus non esset omnino. Immerito Orellio placuit dett. quorundam codd. mendum quo si. Ne in Tusc. quidem Disp. I, 24. 57. Lbini coniecturam quo si certam puto.

§. 54. sitque ea] Codicum consensus hanc lacunam iam in cod. arch. fuisse arguit. Quare si Lbinus uel ex margine codicis perantiqui uel ex Plutarcho Quaest. rom. p. 114. ed. Wytt. ea Ciceroni restituisse se dicit, quae ab eo profecta esse credibile sit: ea tamen coniectura nituntur admodum infirma, praesertim cum Plutarchus non totum hunc locum de manium iure a Cicerone explicatum explicasse uideatur. Hoc unum certo ex Plutarcho licet colligĕre, et de parentalibus aut Februario aut Decembri habendis h. l. sermonem fuisse et uirum doctum, qui L. Accii h. l. familiaris dicitur, esse Dec. Brutum, qui cos. a. 616 fuit. Idem Accii poëtae familiaris fuisse dicitur Brut. 28, 107. pro Arch. 11, 27. Lbini inuentum hoc est: sitque

ea non *) *alligata sacris. Uenio nunc ad manium iura, quae maiores nostri et sapientissime instituerunt et religiosissime coluerunt. Februario autem mense, qui tunc extremus anni mensis erat, mortuis parentari uoluerunt: quod tamen D. Brutus, ut scriptum a Sisenna est, Decembri facere solebat. Cuius ego rei causam cum mecum quaererem, Brutum reperiebam idcirco a more maiorum discessisse, (nam Sisennam uideo causam, cur is uetus institutum non seruarit, ignorare), Brutum autem maiorum institutum temere neglexisse non fit mihi ueri simile.*

sed mensem, credo cet] Ueteres parentabant mense Februario, quem Numa anni mensem constituerat postremum. Quem cum decemuiri transferendo Januario et Martio interposuissent et eodem tamen mense parentaretur, D. Brutus, ut olim, postremo anni mense parentari uoluit, i. e. Decembri.

hostia maxima i. e. oue; nam ut ex uictimis taurus, ita ex hostiis maxima fuit ouis. Cf. Scal. ad Fest. s. u. maxima hostia. Ceterum hanc Bruti opinionem commemorauisse uidetur propter eius a recepto more discrepantiam; uidentur enim fere minoribus hostiis parentauisse; nam paruis manes contenti esse putabantur. Cf. Ouid. Fast. II, 535.

pietatis esse adi.] Hoc cod. arch. mendum Steph. Dau. reliqui sic correxerunt pietati esse adi.; quae correctio tentata etiam est in cod. β. Sed isto modo hostia maxima parentare inepte diceret appendicem esse pietatis (er hielt es für ein Anhängsel der kindlichen Liebe, für äusserlich mit ihr zusammenhängend); nam de officio cuipiam imposito nusquam dicitur. Quapropter, cum interpretamenti male tentati etiamnunc supersit in codd. uestigium pietatis, Bakio ego assentior adiunctum expellendum esse suspicanti.

XXIII. §. 55. extra sacra et gentem] Uerba haec hanc uim habent, ut qui extra sacra et gentem sint (cf. Cic. pro Sull. 13, 39. extra coniurationem hunc esse) i. e. qui sacris et gente, cuius sepulcrum sit, siue sacris gentiliciis non teneantur, eos inferri ius negent esse. Singularum enim gentium sua fuisse sepulcra, in quae alienos inferri nefas fuerit, satis constat. Cf. Becker Ant. rom. II. 1. p. 46. Male Bakius coniecit extra sacra

---

*) non, quod errore in mea edit. omissum est, codd. omnes tenent.

quemquam inferri. Ineptam Pearcii coniecturam extera sacra (dici certe oportuit aliena) Goer. Sch. Mos. Or. probarunt, quasi uero sacra inferrentur, non mortui. Inferri pro inferri mortuum non insolentius dicitur, quam efferri pro mortuum efferri II. §. 66.

A. Torquatus] Nimirum iudicauit hoc pontifex. Sed cum nec pontificem quemquam ex Torquatis fuisse traditum sit nec de re ipsa quicquam constet, quisnam fuerit ille A. Torquatus dictu difficile est. Suspicatur tamen Orellius in Onomast. fuisse eundem, qui censor fuerit a. u. 507, cos. bis a. 510 et 513.

denicales] Extra controuersiam est haec Ranconeti coniectura, quae nititur mendo codd. meliorum. Fuisse autem denicales ferias eas, quibus hominis mortui causa familia purgaretur, Fest. tradidit s. u. denicales. Priuatas eas fuisse idem Fest. auctor est s. u. priuatae feriae (Priuatae feriae uocantur sacrorum propriorum, uelut dies natales et operationes denicales). Quae tanta religione ab uniuersa familia colebantur, ut ei qui iureiurando militari adactus certo die in exercitu adesse deberet, permissum esset, ut postridie quam per eam causam liceret, ad exercitum ueniret. Gell. N. A. XVI, 4. 4.

quia residentur mortuis] In cod. arch. fuit, quod est in codd. melioribus quia residentur mortui, unde leui mutatione ortum est in dett. qua residentur mortui. Sed quicquid Gzius contendit *), non mortui residentur, sed feriae residentur i. e. cessantur mortuis; feriasque h. l. dici mortuis resideri uel eo comprobatur, quod deinde etiam deorum caelestium quieti dies uocantur. Uere igitur Salmasius ad Plaut. Epid. III, 4. coniecit quia residentur mortuis, quod Sch. Mos. Or. Bakius assensu approbarunt. Sine iusta causa longius progressus Lbinus coniecit quia residetur mortuis **). Cf. Plaut. Capt. III, 1. 8. ita uenter gutturque resident esuriales ferias. Dauisio auctore Ern.: qua resident mortui, quod ipsum iam est in edit. Med. 1499. et in edit. Uict. Manutius: quia residunt mortui.

Eas cet.] Scilicet denicales ferias in eos dies conferri oportet (nam quod facere ius est, id, qui improbitatis crimen effugere uolet, facere oportet. cf. II. §. 58. de Off. II, 11. 37.), quibus nec priuatae iam agendae sint feriae

---

*) ipse male sic interpretatur: „mortui quieti dantur".
**) Idem genio indulgens sic aliquando lusit: quia neci dantur mortui.

nec publicae. Parum recte Bakius cum aliis haec sic interpretatur, ferias illas ita instituendas fuisse, ut neque eius familiae, quae ageret, propriae essent, neque tamen publicae, sed omnium funestarum familiarum communes. Nec prudentius profecto Wyttenb. cogitauit de feriis in mensem Februarium conferendis, quo omnibus mortuis parentaretur. Cf. quae modo dixi. Effectus significatio, quae in part. ut inest, post pron. demonstr. optime se habet, ut non necessaria sit correctio quibus a Turn. Man. Lamb. Ern. Wagn. recepta. Cf. I. §. 37. Alio etiam nomine uituperabilis est Danisii coniectura ubi. Gzium, qui meliorum codd. mendo ut ne ipsius suscepto scripsit ut ne ipsius neue publicae feriae sint, latuit non caueri, ne sint ipsius aut publicae feriae (quomodo enim hoc caueri potuit?), sed hoc caueri, ne conferantur in dies eos, quibus iam aut ipsius feriae sint aut publicae. Deinde ipse pronomen ad indefinitam agentis personam referri notissimum. Cf. quae dixi I. §. 56. Denique non erat, cur Lamb. et Bakius in hac generali sententia addi uellent copulam (ius est); qua omissa praedicati uis augetur.

quae finis cet] Non opus est correctione qui a Man. et Rathio commendata. Quae finis est apud Cic. ad Att. IX, 10. 4. Hor. Epod. XVII, 36. Liu. XXII, 57. Idemque eiusdem nominis genus optimi codd. tuentur apud Cic. ad Fam. XII, 1. 1. X, 32. 5. Liu. IV, 2. Funesta familia erat ea, quae funere polluta erat: quae desiit funesta esse mortuo humato et iustis rite peractis (Varr. L. L. V, §. 23. ed. Muell.); id quod nouem dierum spatio uidetur factum esse. Cf. Iust. Nou. 115. c. 5. sancimus itaque, nulli penitus esse licentiam aut heredes aut parentes aut liberos — ante nouem dierum spatium, in quibus uidentur lugere, conueniendi aut quocunque modo inquietandi aut in iudicium uocandi. Deinde intelligendum hoc est, omnia illa: quae finis — religione teneatur tribus ordinibus ita constare, ut singuli ordines binis sententiis contineantur. Quod si ita est, fiat non modo ad haec quod ius sacrificii Lari, uerum etiam ad illa quae finis funestae familiae pertinet. Unde sequitur familiae non genitiuum esse, sed datiuum, qui sequenti datiuo Lari respondeat. Sic enim cum Lbino et Gzio scribendum putaui, cum codd. omnes, id quod in annot. crit. notare neglexi, antiquam datiui formam Lare teneant, quae in ipsa lege optime se haberet, non item in hac disputatione. Deinde, si illa de tribus ordinibus recte disputaui, uerbecibus ineptum est

cum hanc ob causam, quia genus sacrificii, quod quale sit edisseri non uult, isto uocabulo accuratius describitur, tum propterea, quia orationis concinnitas perturbatur, nisi forte idem etiam ad uerba superiora finis funestae fam. spectare existimaueris. Itaque uerbecibus, quod pridem in dubitationem uocarunt Dau. et Wagnerus, ego ut profectum ab homine ista interpretaturo expellendum censeo. Dauisii coniectura in exuerris fiat aliena est, cum ipsum sacrificium cum tota familiae purgatione, non cum eius parte coniunctum sit, quae sunt exuerrae. Cf. Fest. s. u. euerriator.

os resectum] In cod. arch. fuit os reiectum terrae. Sed nec recte illud dicitur pro osse terrae reddito, et os ipsum accuratius definiri oportet. Constat uero membrum mortui apud Romanos abscindi esse solitum, ad quod seruatum iusta fierent reliquo corpore combusto. Cf. Fest. s. u. membrum. Hinc recte de Patricii coniectura (ad Cic. Fragm. 3919. ed. Uerb.) Lamb. Gzius reliqui scripserunt os resectum terra obtegatur. Manutius male coniecit receptum, melius Turnebus et Dauisius exceptum terra (cf. Varr. L. L. V. §. 23.), sed illud tamen propter maiorem litterarum similitudinem probabilius. Sed errant, qui illud os exceptum apud Uarronem os et quidem caluam corporis combusti esse dicunt, quasi excipere non recte dicatur de osse ex corpore nondum combusto demendo. Cf. Cels. VII, 12. 1. tum dens, si fieri potest, manu; si minus, forcipe excipiendus est.

quaeque in porca contr. iura sint, i. e. quae fieri oporteat, si porca sit contracta. Cf. quae dixi II. §. 55. Male quidam contracta ad iura pertinere dixerunt. Cf. §. 57. Porca autem contrahebatur ex eo, quod aut omnino non faciebant iusta defuncto aut in eis faciendis peccabant. Cf. quem Mos. laudat Marium Uict. A. Gr. 11. p. 2470. Quam porcam quotannis immolari oportuisse idem testatur Mar. Uict. ibidem, et praecidaneam eam fuisse appellatam Fest. tradit s. u. praecidanea et Gell. N. A. IV, 6. et Varro ap. Non. p. 163. ed. Merc.

quo tempore cet.] Cf. quae ipse hac de re dixit §. 57.

§. 56. At mihi] Manutii, Lbini, Schuetzii coniecturam ac nuper immerito Bakius probauit. Namque eis, quae praecedunt, opinio subest corpora mortuorum tum cremari esse solita et os tantum resectum, ad quod iusta fierent. Huic igitur iam peruulgato mori opponit antiquissimum sepulturae genus, totius corporis humationem.

apud Xenoph.] Cyrop. VIII, 7. 25.

quod haud procul] Locum sepulcri, in quo Numa conditus sit, describi patet sententia relatiua. In qua quoniam uerbo non possumus carere, primum ex mendo cod. arch. aras elicienda est correctio ara est; deinde quia ad loca finitimos, non procul remotos aliorum locorum situm referimus, negationem tam h. l. addi necesse est quam de Rep. I, 1. Utrumque recte perspexit et Zumptius et Bakius, similemque iam ante Rathius correctionem proposuerat (quod non procul a Fontis ara erat). Sed parum recte tamen illi Wagneri coniecturam Fonti approbauisse uidentur, quae solo Arnobii adu. Gent. III, 29. nititur testimonio, Fontum Jani, qui Janiculum condiderit, filium fuisse. Equidem, cum apud ipsum Cic. de N. D. III, 20. 52. Fontis delubrum Maso ex Corsica dedicasse dicatur et cum Fontinalia apud Romanos celebrari solita a Fonte, non a Fonto appellata esse auctor sit Varr. L. L. VI. §. 22, deo non Fonto, sed Fonti nomen fuisse existimo. Erat autem porta Fontalis, quae item a Fonte nomen accepisse uidetur, prope Janiculum (Liu. XXXV, 10. fin.), in quo Numam conditum fuisse Liu. XL, 29. et Plut. Num. 22. tradunt. Sententiam eandem coniectura parum probabili expresserunt Dan. Goer. Sch. (quod ad Fontis aras), Wagnerus (quod prope Janiculum ad Fonti aras), Lbinus (sepulcro, non procul a Fontis ara omisso pron. quod); peruerse Mos. et Orellius: in eo sepulcro, quo haud procul a Fonti ara cet. Maduigius denique in progr. p. 23. coniecit, quod haud scio an pridem uirum doctum scripsisse poenituerit: eodemque ritu lapideo sepulcro haud procul. Ipsum uocabulum lapideo non praestat, sed tale tamen adiectiuum requiri ait.

C. Marii] Bakius, cui haec non coniuncta cum superioribus displicebant, male tum ante uerba C. Marii orationi inserendum putauit. Ac sententiarum quidem ut eluceret necessitudo, in hunc fere modum eas iungi uellem: „ex quibus unus Sulla, quia C. Marii reliquias dissipari iusserat et idem ne suo corpori posset accidere timebat, igne cremari uoluit“. Sed narrationem eius rei, quae causa fuit, cur igne cremari se uellet, ex reliquarum sententiarum connexu uindicatam praemisit. Quae quia ad ea pertinet, quae sequuntur, non ad ea, quae praecedunt, copulari cum illis profecto non potuit. Deinde uerba acerbiore odio — fuit uehemens hanc uim habent: C. Marii reliquias dissipari iussit acerbiore odio incitatus, quam (incitatus) esse debebat, si sapientiam suam aequalem esse uellet uehementiae. Itaque causa nulla est nec Lbianae coniecturae: acerbo

odio incitatus, cui paruisset nunquam, si tam sapiens fuisset, quam fuit uehemens, nec Manutianae ex cod. nescio quo excerptae: quam fuit felix. Sullae uehementia satis testata est ueterum auctorum testimoniis. Cf. Cic. Phil. XI, 1. 1. Tac. Hist. II, 38. Sen. Contr. II. contr. 12. p. 169. ed. Bip. Idem de Sulla tradit, fortasse ipsum Ciceronem secutus, Plin. H. N. VII, 55. in Cornelia (familia) nemo ante Syllam traditur crematus idque eum uetuisse ueritum talionem ab eruto C. Marii cadauere.

§. 57. timens, ne — posset] Liuii est et posteriorum scriptorum itemque poëtarum timendi uerbis acc. c. inf. ita adiungere, ut metus, ne quid fiat factumue sit, indicetur (Liu. II, 7. fin. III, 22. Curt. IX, 29. Plaut. Mil. gl. IV, 7. 3.); a Cicerone eiusque aequalibus hoc dicendi genus alienum est. Qui infinitiuum ita tantum his uerbis adiungunt, si significant metu aliquid facere nolle (Caes. B. C. I, 64. B. G. VIII, 16. Cic. de *Fin.* II, 14. 47.). Existimandi uim, quam Gzius et Moserus timendi uerbo tribuerunt, nusquam habet. Uerae scripturae pridem a Lbino tentatae et a Rathio probatae (timens, ne — posset) uestigium posset etiamnunc superest in codd. melioribus, ex quibus praeterea Gd. 2 et C et procul dubio δ habent timen suo. In deteriorum codd. plerisque, cum semel particula intercidisset, et h. l. parum scite tentata correctio est posse, quam reliqui probarunt.

declarat enim] Uulgata scriptura declarat etenim nec iusta codicum auctoritate nititur et a Ciceronis consuetudine abhorret. Codicum quidem meliorum cum plerisque deteriorum consensus in cod. arch. fuisse arguit declarat enim, quod merito Car. Stephanus et Lbinus probarunt. Etenim quod probare Tullio propositum est, Sullam primum ex Corneliis se cremari uoluisse, id eo comprobat, quia ex Ennii uersu Scipionem, Sulla non ita multo superiorem, humatum esse ostendit. Ipse Ennii uersus obiecti loco est. Quem uere Gzius animaduertit desumtum esse ex elogio in Africanum scripto, quod apud Sen. Ep. 109. repertum a uiris doctis hunc in modum sit restitutum: Hic est ille situs, quoi nemo ciui' neque hostis Quiuit pro factis reddere operae pretium. Male Wagnerus, quod Maduigio quoque placuit in Emendatt. p. 76, Orellio, Bakio, coniecit etiam, quasi noui aliquid adiungatur.

corpus caesus est] In cod. arch. utrum caesum est fuerit an caesus est, nihil scire refert, si quidem

caesus est natum est ex caesūst. Cuius mendi nemo adhuc certam correctionem proposuit. Prauae quidem sunt coniecturae in dett. quibusdam codd. tentatae: incensum uel intextum uel cessum itemque Turnebi in Adu. XIV. c. 6. et corpus eius est, Dauisii corpus inlatum est uel ingestum est, uiri docti cuiusdam in Misc. Obs. III, 1. p. 70. intectum est, Hartungii (Relig. der Roem. p. 49.) et humus ingesta est. Ad sententiam nulla aptior est Lbini correctione tectum uel Bakii contectum est. Cf. uerba deinde posita quos humus iniecta contegeret. Cic. pro Arch. 10, 24. tumulus, qui corpus eius contexerat. Tusc. I, 16. 36. in terram enim cadentibus corporibus iisque humo tectis.

uenit usu] Quod in cod. arch. fuit mendum penitus humati, id plerisque tolli uisum est Turnebi coniectura ponitur, ut humati dicantur. Quam confidenter nego latinam esse. Non ponitur in sepultis, sed fit, ut humati dicantur. Uerissime igitur Moserus ac post eum Halmius in Phil. I. p. 177. coniecit uenit usu, ut hum. dicantur. Usu autem uenire, (hoc est, quod nos dicimus vorkommen. Cf. Cic. ad Att. VII, 26. 1. de Fin. I, 3. 8. de Or. I, 40. 183.) dicitur, quia ne Ciceronis quidem aetate utriusque uocabuli discrimine exstincto usu tamen ueniebat, ut ipsum humandi uerbum pro generali sepeliendi poneretur. Cf. Plin. H. N. VII. 55. sepultus uero intelligitur quoquomodo conditus, humatus uero humo contectus. Adde Varr. L. L. V. §. 23. Inepte ac licenter Dauisius coniecit: et cum nunc in omnibus sepeliri dicatur, id erat proprium cet.

contegeret] Iam in uett. editt. uulgata est correctio contegeret, quae nititur praua dett. codd. correctione contegerat pro contexerat; nam in ipso cod. arch. suspicor mendum fuisse, quod est in codd. melioribus, conterat; cuius probabiliorem ego correctionem hanc duco, contexerat. Nimirum coniunctiuus genus quoddam sepultorum indicaret cogitatione comprehensum (bei solchen, welche die aufgeworfene Erde bedeckte). Sed quoniam aliud omnino non erat sepultorum genus, melius sane temporis maxime ratione habita notio eorum, qui humo contecti erant, simpliciter circumscribi uidetur (bei denjenigen, bei denen die Bedeckung mit Erde stattgefunden hatte). In plusquamperfecto quod uocant ne haereas, uide Cic. pro Arch. 10, 24. nisi Ilias illa exstitisset, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset. Deinde necessaria prorsus est correctio os

pro eos; nam concrematis corporibus non in totum corpus, sed tantum in os abscissum humus iniiciebatur. Cf. quae dixi II. §. 55.

iniecta gleba cet.] Locus perquam difficilis, in quo restituendo me recte esse uersatum non confidenter dixerim. Sed dicam tamen, quam rationem sim secutus. Ut reliquis locis iam in cod. arch. deprauatis, ita hoc quoque in melioribus codd. codicis arch. scriptura uidetur religiosius esse propagata; in dett., ut plerumque, corrigendi factum periculum est. Iam si meliorum codd. scripturam tum et in illis humatus est et gleba uocatur accuratius consideraueris, dubitari non potest, quin peruerse iam tentata correctio sit in cod. arch. Quis enim illud ferendum putet, quod sepulcrum uel tumulus gleba uocatur? Monachorum hoc est, non Romanorum. Deinde quis subiectorum quae uocant probauerit commutationem, ut primum de loco (locus ille, ubi crem. est corp.), deinde de homine (humatus est), tum denuo de loco iudicetur? (ac tum denique — complectitur). Quid igitur? Haec postrema uerba satis antea de loco tantum sermonem fuisse ostendunt; itemque uerba praecedentia locus, ubi crem. est corpus flagitare uidentur, ut locus deinde nominetur, quo humatum sit; namque uterque non semper idem esse solebat. Sed quid uerba eumque morem ius pont. confirmat? nonne flagitare uidentur, ut deinde definiatur, quo nomine is, cui iniiecta gleba sit, iure pontificio nominetur? Non flagitant. Non enim ad ueterem dicendi, sed ad ueterem humandi consuetudinem referenda sunt, quae etiam iure pontificio confirmari eo uideatur, quod totius corporis humatione sublata tamen, ut sepultura rite conficiatur, glebae iniectione opus esse praecipiat. His probe ponderatis eam corrigendi rationem, quam primus Madu. iniit in Emendatt p. 79. ceteris multo probabiliorem puto. Coniecit is autem: iniecta gleba tumulus, ubi humatus est, ex gleba uocatur. In quibus tumuli nomen iniuria Bakius improbauit, quia in iure pontificio locus ille non tumulus, sed sepulcrum diceretur. Cf. praeter Arch. 10, 24. Orellii Inscr. nr. 4466. quem tumulum duplicem posuit et sibi uiuus posterisque suis et sub ascia dedicauit. Sed incommoda tamen illa sunt ex gleba, quia nec tumuli denominatio profecta a gleba est et iniecta gleba tumulum uocari paullo ante est declaratum. Nec uero Zumptii coniectura simillima haec iniecta gleba tumulus, ubi humatus est gleba, uocatur id incommodi sustulit, quod glebae uocabulum habet. Itaque prorsus id

expellendum censeo, sed praeterea pronomen addendum, quod subiecti locum teneat, in hunc modum: iniecta gleba tumulus is (sc. locus), ubi uel quo humatus est, uocatur. Quod uerba tumulus is, quorum alterum subiecti locum tenet, ad uerbum alterum pertinet, iuxta posita sunt, nihil molestiae habet. Cf. I. §. 49. nullam uirtutem nisi malitiam putent. I. §. 19. eam legem, quae scripto sancit, quod uult. Reliquorum coniecturae hae sunt, Manutii: ini. gl. et ille humatus est et sepulcrum uocatur; Lbini codicem, ut ipse ait, Memmianum secuti: ini. gl. tum is et humatus est et tumulus uocatur; Dauisii: ini. gl. tumulus illic est, ac tum cet.; Orellii: ini. gl. tumulus ille et est et uocatur; Moseri: ini. gl. et illic humatus est et conditus uocatur; Bakii denique: ini. gl. demum illic (sc. in iure pont.) humatus uocatur ac tum cet.

quod os — esse contractam] Hanc ueram esse Mercerii correctionem ex mendo codd. meliorum expressam post Gruterum et Dauisium consentiunt omnes. Reliqua, quae in codd. feruntur, etsi Ern. Wagn. Goer. Sch. Mos. Or. ita retinuerunt, ut hi quatuor particulam et codicum mendo contractet satis confirmatam ante habendas omitterent, mendosa sunt. Quid enim? Rectene piaculum pati dicitur pro piaculum facere? Aiunt sane, non probant. Deinde quis infinitiuum ferendum putet praecedente gerundio? Dici certe oportuit patiendum esse. Quae quia perspexerunt Lamb. Dan. Madu. (progr. p. 24.), ille coniecit piaculum dandum esse, hi piandum (peruerse Zumptius et porca fem. piaculum Lari). Sed piaculum, quod porca femina fiebat, merito Bakius differre negauit a porca contracta, quae quotannis manium expiandorum causa ab herede immolabatur. Cf. Fest. p. 122. s. u. praecidanea. Nam commenticium est, quod Gzius ait, porcam quotannis immolandam fuisse, piaculum semel ac statim post interitum fuisse faciendum. Quid multa? Habemus et h. l. interpretamentum, ut pridem Rathius iudicauit; quo expulso reliqua et habendas triduum ferias; si in mari mortuus esset, eadem praeter piaculum et ferias integra sunt. Particula at, quam Maduigius ante uerba si in mari addi noluit, nec necessaria est, quia contrariorum ratio sua sponte elucet, nec satis probabilis, quia particulae uis ad totam sententiam pertineret nec recte etiam illa eadem praeter piac. et ferias oppositione contineri putarentur. Cf. Cic. de Fin. III, 15. 49. Dauisii autem coniectura atqui multo etiam minus

probari potest. Deinde pluralem pronominis numerum (eadem) haud scio an posuerit, ut iisdem de rebus pontifices etiam in eo decreuisse indicaret, qui in mari mortuus esset, sed ita esse decretum nec porcam esse contractam nec habendas ferias. Quamquam ita breuitatem secutus insulsitatem non effugit. Rathii coniectura idem insulsitatem auget, non minuit. Quod autem P. Mucius in eo, qui in naui necatus deinde in mare proiectus esset, decreuit heredi porcam esse contractam et habendas triduum ferias, idem non decreuit in eo, qui in mari esset mortuus, eius rei causa recte uiris doctis hinc uidetur repetenda esse, quod illius os, antequam in mare proiiceretur, rescindi potuit, huius omnino non potuit.

XXIIII. §. 58. ecquidnam] Haec Aldi coniectura, quae Dauisio placuit et Bakio, et mendo confirmatur codd. meliorum et quid et ipsius Marci responso; ex quo quidem Atticum *) quaerere elucet, non quid sit, sed num quid sit in legibus. Reliqui prauam dett. codd. correctionem quidnam probarunt. De frequenti uoculae ecquid cum et quid confusione uide Zumpt. ad Cic. in Verr. I, 24. 62. II, 4. 11. II, 10. 26.

in XII] Lamb. Ern. Wagn. temere secuti sunt correctionem in cod. α tentatam et in uett. quibusdam editt. (Asc. 1. Junt.) expressam in XII tabulis. Frequens est huius nominis ellipsis. Cf. II. §. 59. §. 60.

uel propter] Ex pluribus causis, quas afferre potuerit, uere Moserus ait unam expromi et eam quidem, quae ad corporis combustionem pertineat. Quo in genere, siue rem reliquis grauiorem afferimus, ut III. §. 23, siue leuiorem, uelut: quam sis morosus uel ex hoc intelligi potest, uel tritissimum est. In leuiore re expromenda nos particula schon uti idem Moserus animaduertit. Caecutiebat et Lbinus, qui Turnebum in comm. primo secutus coniecit credo uidelicet et Dauisius Bakiusque, quorum ille aduocato Isidoro Orig. XV, 11. coniecit uel propter cadauerum foetorem uel propter, hic quid excidisset, non sane indicauit, sed excidisse tamen alteram causam pronuntiauit.

quid, qui — clari uiri?] Recte sic codd. meliores. Nec fuit, cur Madu. in progr. p. 25. quid? quod requireret; id quod ab h. l. alienum puto. Non enim gra-

*) Attici haec uerba esse uideo, quae cet. in uerborum contextu notare neglexi.

uius aliquid adiungitur ad superiora, ut Cic. Cat. I, 7. 25. quid? quod aduentu tuo ista subsellia uacuefacta sunt. Tusc. I, 20. 46. de Nat. Deor. I, 38. 118; sed animus aduertitur ad uiros claros, qui contra legem in urbe sepulti sint, quemadmodum nos dicimus: wie steht es mit den berühmten Männern, die in der Stadt begraben sind? Cf. Cic. de Or. I, 37. 117. quid uero ille M. Cato? nonne et eloquentia tanta fuit cet. de Diu. I, 18. 36. quid qui irridetur partus hic mulae? nonne, quia fetus exstitit in sterilitate naturae, praedictus est ab aruspicibus incredibilis partus malorum? de Nat. Deor. I, 42. 119. Off. III, 21. 81. Eundemque in modum in Exercitt. crit. p. 14. demonstraui refingenda esse haec in Acad. II, 43. 133. quid? quae dicuntur quoniam et acuta mihi uidentur in utramque partem et paria, nonne caueam cet. Quae adiungitur fere interrogatio, qua quid de re indicata sentiamus, declaretur quamque hoc quidem loco talem quandam exspectaueris: „nonne legem sustulerunt?", eam nemo desiderabit, quia et sua sponte auditur et Atticus re, de qua Marci sententiam requirat, indicata a Marco interpellatur. Deinde Lbinus, Zumptius, Bakius male dett. codd. secuti: Claros uiros credo, Tite, fuisse. Quod exploratum erat, claros uiros fuisse, id inepte Marcus se credere diceret. Uniuersum genus ipse Atticus recte constituit; duas eorum species de sua coniectura Marcus ponit. Zumptius praeterea dett. codd. scripturam: quid? post XII probauit, a Cicerone alienam.

quibus hoc ante] Ex eo, quod XII tabulis nondum sancitis hoc uirtutis causa quibusdam tributum est, ut in urbe sepelirentur, recte colligitur, ne ante quidem id omnibus licuisse, nec tamen id lege cautum fuisse, sed more: qui a decemuiris comprobatus populi suffragiis sancitus est. Quae autem duae h. l. species ponuntur, eae non solum eo diuersae sunt, quod alteri ante XII, alteri post ius illud datum est, sed ita etiam, ut illis et sibi et posteris, his solis, non etiam posteris eorum daretur. Dari autem his omnino non potuit, quin legibus soluerentur. Temeraria est igitur Moseri coniectura: si qui hoc, ut C. Fabricius, uirtutis causa soluti sunt omissis uerbis legibus consecuti sunt; itemque Zumptius codicum dignitate ignorata temere praetermissit uerba soluti legibus in dett. tantum quibusdam codd. omissa. Ceterum posteros eorum, quibus hoc uirtutis causa datum est, inuidiae declinandae causa ita tantum iure suo usos esse Plut. tradit

Mor. p. 283. init., ut funeri in forum allato faces quidem subiici, sed statim auferri iuberent.

Publicolae] P. Ualerio Publicolae, qui quater exactis regibus cos. fuit, hunc honorem habitum esse, etiam Plut. narrat in uita Publ. sub fin. Tubertus fuit ille P. Postumius Tubertus, qui a. 249. cum M. Ualerio et duobus annis post cum Menenio Agrippa cos. fuit; de quo Liu. II, 16. memoriae prodidit. Qui quod singularis illius honoris non meminit, hinc parum recte cum Bakio errorem a Cicerone commissum augureris. Idem enim neglexit de Publicola, de quo tamen Plut. narrat. C. Fabricius denique est ille C. Fabricius Luscinus, cos. a. 472, 476, 481, cuius et fides et constantia maxime eluxit in bello aduersus Pyrrhum gesto. Liu. Epit. XIII. Flor. I, 18. Ex App. Hist. Rom. de rebus Samn. III, 10. 4. Plut. Pyrrh. c. 30.

Sed in urbe] Particula sed pluribus sententiis interpositis reuocat rem, a qua profecta est oratio. Laudat in re notissima Gzius Heus. ad Cic. Off. I, 30. 3. Simul et lex pontificum decreto opponitur et quod lex uetet, ei quod pontifices decreuerint. Lepida, non necessaria est Maduigii coniectura (progr. p. 25.), quam Bakius ut uerissimam probauit: sed ut in urbe sepeliri lex uetat, sic decretum cet.

Aram] Particulam et ante aram a reliquis expressam cum Steph. Man. Bakio omisi auctoritate codd. meliorum. Inepte enim sententia ea, quae tamquam loci quaedam index narrationi praemissa est, et ea, a qua narrandi initium fit, particula ista copulatur.

lamina: honoris] Mendi mina est praua correctio, quae est in codd. deterioribus: domina honoris; qua nihilo probabilior est Wagneri coniectura dominae honoris aut Rathii domui. Recte mendum, quod in eodem genere cum illis est, II. §. 28. manu, II. §. 45. cato, Turnebus sustulit coniectura lamina. Quod cum Turnebus ipse cum Lbino ad genitiuum honoris retulisset, Mosero auctore Orellius et Bakius recte ad pronomen retulerunt, quia ara honoris est, non lamina et sic demum numerosa euadit oratio. Lamina modo nominata iterum nominatur eiusque quodammodo notio insignitur, ne in ara hoc scriptum esse uideatur. Gzius, qui domina uncis inclusit, et Schuetzius, qui deleuit, mendi significationem sustulerunt, non sanarunt mendum. Dauisii coniectura numini non illa quidem inepta, sed minus tamen probabilis est, quam Turnebi coniectura. Genitiuus honoris significat aram et locum honoris esse (der Ehre angehörig). Hunc genitiui usum

Gzius comprobauit hac inscriptione apud Grut p. 60. n. 4. expressa: Ueneris Uictricis. Quocirca non opus est datiuo honori, quo cui dedicatum esset templum, significari solebat.

aedis huius] Sic recte codd. dett. Si qui propter meliorum codd. mendum haec uel hec scribere maluerit hic, is meminerit, non difficiliorem mendi ortum fuisse, si in cod. arch. scriptum erat hui' i. e. huius.

publicum locum illum esse intellectum est ex lamina ad aram inuenta; nam solebat lamella aerea locis inaugurandis praefigi. Sed cum exstructis sepulcris, quae ad priuatam religionem pertinebant, priuata religione esset obligatus, id fieri non oportuisse pontifices decreuerunt.

§. 59. sumtus sunt] Iam quorsus reliqua, quae sunt in XII, pertineant, exponit. Male igitur Dauisius Stephani rationem probauit, qui uerbo sunt transposito scripsit: iam cetera — translata sunt de Sol. fere legibus. Similiter haec sunt apposita, ut II. §. 49. uerba: non ita descr. ab antiquis. Nec recte contra codd. sunt omiserunt Man. Ern. Wagn., praesertim cum sequatur alterum participium translata. Goer. Sch. Mos. Or.: minuendi sunt sumtus; Bakius merito ex codd. melioribus: sumtus sunt. Lbinus: cetera in XII de minuendo sumtu lamentationeque funeris. Cf. de hoc genitiuo, quo quorsus pertineat aliquid declaratur, Weissenb. gr. lat. p. 350. Cic. Verr. II, 53. 152. Genitiuum lamentationis Dauisio et Wagnero suasoribus primus Gzius restituit; superiores lamentationes. Deinde Dauisii coniecturam funebris, denuo commendatam a Madu. in progr. p. 25, recepi ut necessariam. Recte quidem dicitur et lamentatio et moeror funeris (Cic. Lael. 3, 11.) de certo quodam funere, non item de genere; multoque etiam minus latine dici minuendae sunt lamentationis funeris uere Madu. animaduertit. Idem mendum (uestimentum funeris) mox pridem ab interpretibus sublatum est eodem modo. Imperite Bakius h. l. praestare dicit in funere, quasi ad minuendi uerbum hoc pertineat, non ad lamentationem.

Hoc plus] Pronomen spectat ad id, quod ante in lege aut iussum erat fieri aut concessum. Singula nunc noluit persequi omnia; satis habuit legis uerbis indicare, sumtus in lege esse circumscriptos. Inepte Raeuardus haec sic descripsit: hoc plus inquit: *ne facito rogum ascia, ne polito,* ut XII tabulas etiam plura continere significaretur quam legem Solonis. P. Manutius: opus, inquit, ne facito cet. Inquit ad legem spectat XII tabularum huc

pertinentem. Cf. §. 60. Bentl. ad Hor. Sat. I, 4. 78. Gernh. ad Cic. Par. p. 320.

ascia erat dolabrae genus ad ligna poliendа aptum. Cum autem Plinii aetate uel pictos esse rogos ex Plin. H. N. XXXV, 7. cognoscatur, nec picta esse ligna ueri simile sit, nisi quae polita essent: recte hinc Wagnerus hanc XII tabularum legem posteriore aetate obsoleuisse colligit.

Extenuato] Recte Bakius, ut ante Wagnerus uerbis extenuato sumtu tribus riciniis — et decem tibicinibus hanc uim subiecit: „sumtu extenuato, ut tria tantum ricinia relinquerentur et decem tibicines.“ Ricinia autem non sunt uestes, quibus mortuus inuolueretur, ut Wytt. et Mos. interpretantur, sed sunt uestes muliebres, quae una cum mortuo comburebantur. Cf. Non. p. 542 p. 549. ut dum supra terram essent, ricinis lugerent, funere ipso ut pullis palliis amictae. et Fest. s. u. recinium (Recinium omne uestimentum quadratum. Hi, qui duodecim interpretati sunt, dixere togam uirilem, qua mulieres utebantur, praetextam clauo purpureo). Eumque uestes purpureas cum mortuo concremandi morem confirmat etiam Uirg. Aen. VI, 221. et Seru. ad h. l. Quas amplius tres cum mortuo concremari et Solonis lex (Plut. Sol. c. 21. p. 359. R.) et XII uetuerunt. Cf. Lips. Ep. Quaest. I, 7. Kirchm. de Fun. III, c. 5. Quae cum ita sint, ne uincla quidem cum Wytt. et Mos. intelligi possunt fasciae, quibus obligatus sit mortuus. Sunt potius, ut ex Festo elucet, claui purpurei riciniis praetexti. Quae uincla dici posse iniuria Gzius contendit. Quapropter probari non potest ea mendi correctio, quae plerisque placuit, et uinclis purpurae (Rath. uinctis purpura). Ad sententiam uerius coniecerunt Turnebus et clauis purpurae, Lbinus et clauis purpureis, Dauisius riciniis clauatis purpura. Sed ut mendi simul origo luculentius cognoscatur, cum Rubenio de re uest. I, 7. scribi malim riciniis cum clauis purpurae. Cf. Cic. Off. I, 8. 25. delectant magnifici apparatus uitaeque cultus cum elegantia et copia. Postrema syllaba omissa ex reliquis litteris cumcla facile natum est uincla; quo facto addita est particula et.

tibicinibus] Ursinus ad Legg. et SCta p. 254. laudatis Gellio XX, 2. et Nonio s. u. siticines p. 54. male coniecit siticines; nam et tibiae in omni funere uel magnificentissimo usurpabantur (cf. Kirchm. de Fun. II. c. 5. p. 90.) et siticines ii tantum nominabantur, qui apud

sitos i. e. apud conditos canerent, non ii etiam, qui in ipso funere tibiis canerent.

genas ne radunto] Eandem XII tabularum legem et Fest. p. 227. commemorat (genas radere uetitum est in lege XII i. e. unguibus scindere) et Plin. H. N. XI, 37. 58.; eandemque in sententiam accipienda sunt uerba Seruii ad Aen. XII, 606. (cautum lege XII tabularum, ne mulieres carperent faciem, his uerbis: mulier faciem ne carpito). Itaque non audiendus est Lbinus, qui, quia mulieres genas carperent forcipibus, non genas raderent, ex Seruio restituit carpunto. Similiter ante Steph.: mulier genas ne carpito. Idem Plut. auctore L. l. uetitum erat in lege Solonis.

interpretes sc. XII tabularum. S. Aelius Paetus, quem ab Ennio propter singularem quandam prudentiam catum et egregie cordatum appellatum esse Cicero auctor est de Rep. I, 18. cos. fuit cum T. Flaminio a. u. 556. Hic idem est, quem Pomponius in Dig. I, 2. 7. post Flauium aliis actiones composuisse dicit et librum populo dedisse, qui appellaretur ius Aelianum. L. Acilium, qui hoc uno loco in iurisconsultorum numero habetur, merito eundem esse iudicant Orellius (in Onom.) et Seyff. ad Lael. p. 29., quem in Lael. 2, 6. apud patres sapientem appellatum esse dixit, quia prudens esse in iure ciuili putaretur. Nec tamen hoc potius loco corrigendum puto L. Atilium, quam illo L. Acilium, quia h. l. codd. omnes pertinaciter tenent Acilium idemque plures codd. in Laelio praebent. L. Aelium Stilonem, uirum et graecis et latinis litteris eruditum Stoicorumque disciplinae deditum, Uarronis magistrum, ut antiquitatis romanae litterate peritum Cicero commemorat in Brut. c. 56. et Uarro in Cic. Ac. I, 2. 8. Eiusdem saepe mentionem faciunt Fest. et Uarro.

Lessum — habento] Lessum habere de eiulatione dicitur de industria facta, ad quam praeficae solebant adhiberi, quae planctus principes fuerunt, non doloris. Cf. Fest. s. u. praeficae. Varr. L. L. VII, 70. A Solone item eiulationem esse uetitam Plut. narrat in uit. Sol. l. l.

ipsa uox i. e. der Laut des Wortes selber. Quo indicari uere Bakius dicit, lessum esse ὀνοματοπεποιημένον.

XXIV. §. 60. mortuo ne ossa legito] Ossa lecta plerique interpretantur membra abscissa et postea terra obtegenda, nescio quid discriminis inter ossa mortuo et ossa mortui legere statuentes. At nec uniuerse ossa

legi recte dicuntur ea, quae ante resecanda erant (nam legi ea demum possunt, quae sine ui demi possunt), nec plura ossa solebant resecari, sed membrum unum. Cf. §. 55. Quaeque Quintiliani uerba VIII, 5. §. 21. Dauisius citauit (infelicissima femina nondum extulisti filium et iam ossa legisti), ea istam locutionem insolenter transferri arguunt ad uulnerati et contusi hominis ossa legenda; quam in sententiam eadem uerba usurpat Sen. de Ben. V, 24. Recte Turn. Wytt. Zumptius hoc dici intellexerunt de ossibus concremati corporis eo consilio colligendis, ut post funus faciant luctumque augeant. Male tamen Zumptius pessimae notae codicem, Uindobonensem, secutus commendauit homine mortuo, quasi uero datiuus non eum significet, ad quem ossium collectio pertineat. Bellicam autem peregrinamque mortem lex excepit propterea, quia eum, qui in aliena terra mortuus esset, domestico funere spoliare iniquum uidebatur, nec tamen eodem tempore et corpus comburi et cineres in domestico sepulcro condi poterant.

seruilis unctura cet.] Lbini coniectura de unctura, quibus seruilis unctura tollitur mendi originem obscurauit, non sustulit mendum. Nec apte de unctura praemittitur, cum unctura in ipsa lege sit nominata, et si illud praemittere uoluisset, addere etiam debuit circumpotationem. Quod quidem Manutium commouit, ut hanc coniecturam tentaret de unctura circumpotationeque. Sed ipsum cod. arch. mendum de unctura, quae seru. unctura tollitur interpretamentum uel h. l. in orationem irrepsisse satis arguit. Primus id uidit Dauisius, qui uerba de unctura quae seruilis tolli uoluit; cui reliqui ita assenserunt, ut tamen seruilis retinerent. Et recte quidem; nam inepte unctura uniuersa tollitur. Sed quid deinceps aut circumportatio, quod Goer. Sch. Mos. ex dett. quibusdam codd. receperunt, aut circumpotatio, quod reliqui retinuerunt? Nonne hoc nomine genus uncturae seruilis contineri necesse est? Itaque necessaria prorsus est correctio circumputatio, tentata illa iam in codd. 11 et 58. Isto modo seruorum unctura tollitur omnisque circumputatio, i. e. circumpurgatio, ne idem honos sit seruis atque liberis et ut sumtus minuatur. Cf. Fest. s. u. imputatum (imp. i. e. nondum purgatum. Putum est enim purum). Nam falluntur haud dubie, qui uncturam tolli existimarunt a seruis i. e. a pollinctoribus factam. Hoc quidem esset uncturam omnino tollere, quam omni tamen tempore a pollinctoribus cum corporis purgatione

esse factitatam satis constat. Cf. Beckeri Gallus II. p. 276. Denique pro tollitur, quia et ipsum legis esse uerbum sequentia ostendunt, Manutii coniectura tollitor est amplectenda.

ne sumtuosa] Recte haec Madu. in Emendatt. p. 80. ita interpretatus est, ut uerbis ne sumtuosa respersio, ne longae coronae nec acerrae leges indicari diceret, quae sibi, ut ad reliqua tenderet, praetereundae esse uiderentur. In qua interpretatione quia pro nec tertio etiam loco uocula ne opus esset, Bakius coniecit nec sumt. resp. nec longae — praetereuntur. At. cf. Liu. II, 32. conspirasse, ne manus ad os cibum ferrent nec os acciperet nec dentes conficerent. Zumpt. ad Cic. Verr. III, 6. 14. Miram praeteritionem confinxerunt Goer. Sch. Moserus, qui uoculas ne-ne non legis esse opinati ad uerbum retulerunt. Dauisius: ne longae acerrae usurpantor; Manutius praeferantur pro praetereuntur.

partam] coniectura necessaria inde a Turnebo uulgata. Cf. Plin. H. N. XXI, 3. 5. Qui coronam parit ipse pecuniaue eius, uirtutis ergo duitor ei. Quam serui equiue meruissent, pecunia partam lege dici nemo dubitauit. Quis ergo honos? Ut ipsi mortuo parentibusque eius, dum intus positus esset forisue ferretur, sine fraude esset imposita. Imprudenter Wagnerus probauit Ursini coniecturam ad Leg. p. 258: parentalibus.

eredoque] Particulam que a Goer. Sch. Mos. Or. omissam merito ex melioribus codd. Bakius reuocauit. Quae enim affertur causa, cur id uetitum esse uideatur, ea non ad praecedentem legem, sed ad sequentem pertinet. In hac autem transitione ab alia re ad aliam part. que frequentissima est. Cf. II. §. 20.

fierent funera *)] Lecti intelligi non possunt ii, quibus imagines praeferri olim putabantur. Non lectis illae impositae praeferebantur, sed ab hominibus gestabantur eorum, quorum essent imagines, simillimis. Polyb. VI, 53. Eichst. de imagg. Rom. Sunt igitur lecti ii, qui ipsi mortuo sternerentur. Iam si plures lecti sternebantur, plura etiam funera fieri necesse erat. Sed illam ipsam uocem funera audire, id quod quibusdam uisum est, haudquaquam licet. Itaque eis, qui eam excidisse dixerunt (cf. Urs. ad Legg. p. 255.) ita assentior, ut non ante fierent, sed

*) in annot. crit. omissa sunt uerba: codd. omnes plures fierent lectique plures

post illam restitui uelim. In Lbini coniectura feretra pro fierent, quae Gzio, Mosero, Orellio, Madnigio, Zumptio placuit, et zeugma displicet et illud, quod praeter lectos ieiune feretra commemorantur, non id, cuius causa lecti sternebantur. Iam si, quomodo fieri potuerit, quaeris, ut uni plura funera fierent, etsi nihil certi ea de re nobis traditum est: tamen ex Sen. cons. ad Marc. c. 3. Druso, cum ex Germania Romam deportaretur, per totam Italiam rogos arsisse cognouimus. Quocirca non inepte haec referri posse uideantur ad eos, quibus, cum extra Romam et mortui et sepulti essent, Romae quoque funus fieret.

id quoque] Goer. Sch. Mos. peruerse idque. Mox Rathius, quem fugit, credo extra reliquorum uerborum nexum poni, coniecit sancitum esse. Cf. quos Madu. laudat, Drak. ad Liu. IV, 17. 7. Ruhnk. ad Ter. Andr. II, 1. 13.

excipit altera lex] Foedo cod. arch. interpretamento praecipit altera lege ut expulso inde a Turnebo omnes excipit. Sed sine causa Steph. (idem Dau. placuit, qui praeterea commendauit excipitur), Madu. in Emendatt. p. 82, Bakius etiam uerba altera lex a Cicerone abiudicarunt. Altera lex non dicitur uniuerse, sed intelligitur altera lex de eadem re proposita. Deinde in ipsis legis uerbis et quoi auro (Lbinus si cui auro) et escunt pro essent recte restitutum est. Dentes autem auro uincti sunt dentes insititii et auro firmati, quos tangit Mart. XII, 23. I, 73. XIV, 56. Laudat Bakius Jacobsium ad Anth. uol. XI. p. 220.

ast im] Im pro eum ueteres dixerunt (cf. Macr. Sat. I, 4.) itemque se uel sed pro sine (Fest. p. 248. et 148. ed Lind.). Denique omni dubitatione uacant Turnebi coniecturae: sepelire urereue (Lamb. 1566: sepelire et urere) atque sepelire et urere (Lamb. sepelire, aliud urere).

§. 61. nam quod] Peruerse Dau. Ern. Wagn. namque. Deinde pro adiici Goer. Mos. Or. adici, quod mendo firmatur Gd. 2. adicientes pro adici aedes. Sed cum Bakius, qui ipse scripsit adiici suorum codd. mentionem non fecerit, id recipere dubitaui. Dr. 1. adduci. Dr. 2. adiici. Falsa igitur Goer. tradit, dicens in omnibus suis codd. esse adici.

bustumue] Festo auctore p. 26. ed. Lind. bustum est locus, ubi mortuus et combustus sit et sepultus. Quocum optime conuenit ea, quae sequitur, coniunctio uerborum forum bustumue. Ceterum nouum ad solum

busti uocabulum pertinere facile est uidere. Itaque sicubi bustum uetustum erat, id amoueri non necesse fuit.

acerbum] Acerbum uocatur incendium, non quia ex se acerba oritur, ut Bakius ait, aut quia nescio quid superstitionis in eiusmodi incendio Romanis fuerit, ut Gzius opinatur, sed quia non in ipso rogo, in quo debet, consistit et alienos quoque calamitate et dolore sine necessitate afficit. Ineptae sunt coniecturae Lbini: incendium uidetur arcere (dici certe oportuit arcere uelle); Dauisii: inc. uer. ac eo rem uetat; Wyttenbachii: inc. uer. ad urbem; Wagneri: inc. uer. aedium; Moseri: inc. arcetur ad urbem uel ab urbe.

forum] Hanc Turnebi coniecturam Fest. confirmat s. u. forum. (id forum antiqui appellabant, quod nunc uestibulum sepulcrum dici solet).

§. 62. dominusque funeris] Dominus funeris uocabatur designator, qui ne quid turbaretur magistratus instar accenso et lictoribus utebatur. Cf. Beckeri Gall. II. p. 283. Paullo ante uerba si quid ludorum (Lamb. male: si qui ludorum) a praecedentibus uerbis Orellius interpungendo disiunxit; Wagnerus particulam et praemitti uoluit. Ludos indictiuorum funerum fuisse uere Bakius ait, qui laudat Lipsii Sat. I, 8.

memorentur] Merito haec coniectura placuit plerisque, etiam Bakio. Dauisius: commemorent. Goer. Sch. Moserus memorantor — prosequitor, quasi legis essent uerba. Honorati uiri sunt ii, qui summis honoribus functi sunt. Cic. Off. I, 39. 138.

easque sc. non laudationes in concione i. e. pro rostris habitas, sed laudes in uniuersum cantus ad tibicinem prosequebatur. Inutilis est igitur Schlegelii suspicio eosque. Deinde Lbini et Dauisii coniecturae (illius: cantu tibicines prosequuntur, huius: cantu ad tibicinem prosequantur) nec a codicibus commendationem habent, nec per se ipsae satis probabiles sunt. Cantus si scripseris, uis eius magis per se ipsa elucet neque laudibus quasi adhaerere uidetur. Neniae autem canebantur a praeficis (cf. Non. p. 145.) et Festo auctore p. 105. fuerunt carmina, quae in funere laudandi gratia cantabantur ad tibiam.

Graecos] Quae inde a Gebh. et Dauisio uulgata est mendi correctio Graecis (Steph.: Graeci — nominant; Lbinus: a Graccho — nominantur), ea displicet propter datiui insolentiam. Cf. Madu. de Fin. p. 27. Itaque quia in codd. est accusatiuus, AP. i. e. apud inter litteras A et G excidisse existimo. Cum Bakio ista omnia expellere,

quia putida sit uerbi graeci commemoratio, uidetur audaciae esse, cum saepe a Cicerone graecorum uerborum praeter necessitatem rationem haberi constet. Cf. II, §. 64. §. 32. Ne hanc quidem satis iustam expellendi causam puto, quod apud nullum graecorum scriptorum ista uox etiamnunc exstat.

XXV. ad naturam acc.] Quippe leges singulas a se constituendas ad naturae normam dirigebat, de qua libro primo dixerat.

Sed credo] De sepulcrorum modo sane aliquid desiderare Tullius uidetur in lege romana. Itaque si ad Att. XII, 35. 2. 36, 1. legem commemorat, qua sepulcrorum amplitudo praefinita sit, ea uidetur post a. 701. latá esse, fortasse a Caesare. Cf. Boxmann de legg. sumtt. c. 2. sect. 3. §. 2. p. 57.

ut ceteri sumtus] Peruagatum est hoc attractionis genus in comparando, de quo cf. quae dixi I. §. 52. Madu. de Fin. II, 3. 8. Errant igitur, qui in his uerbis, quae pendent ex illis: modum requiri puto, audiri dicunt modus definitus est. Singularis numerus totum genus sumtus comprehendit, ut §. 68. funerum sumtus et in lege §. 22.. sumtum luctumque. Cf. quae dixi II. §. 45. Post Uict. Lamb. Ernestium temere Bakius ex dett. codd. reuocauit ceteros sumtus, subaudiri dicens coërceri.

C. Figuli] Ex pluribus eiusdem nominis uiris eum significari uiri docti consentiunt, qui a. 690. cos. fuit cum L. Julio Caesare. De re ipsa aliunde nihil constat.

uides. Sed] Pro hac uerissima Manutii coniectura, quia sed alienum esset, male Bakius substitui uoluit hanc: uides; credoque. Scilicet a concepta immensi, qui tunc fuerit, sumtus notione seiungit et opponit, quod facile ex exemplorum inopia collegeris, olim id secus fuisse. Deinde ampla, quod Steph. et Man. retinuerunt, ne Dauisio quidem displicuit; reliqui exempla.

iubentur — intelligant] Man. et Orellius, id quod Dauisio quoque, Rathio, Wyttenbachio, Wagnero placuit, de coniectura iubemur; omnes deinde ex dett. codd. intelligunt. Uere Madu. in progr. p. 25., cuius rationem Bakius probauit, et iubentur et intelligant restituendum esse dixit. Sed legis nostrae interpretes non sunt singularis illius legis sumtum in ollos luctumque minuunto, ut Maduigio uisum est et Bakio, sed legis, quam Marcus constituit, uniuersae; id quod uerba arguunt quo capite iubentur. Qui quoniam nondum exstiterunt, non possunt profecto iam legem dici intelligere. Futuris igitur

interpretibus praecipit, quid intelligi uelit. Iubentur Madnigius recte ad interpretes retulit, male Bakius ad homines, id quod fieri non potest praemisso utriusque sententiae subiecto communi. Recte Madu.: „Etsi ad omnes lex pertinebat, tamen, quia ceteri nominati non erant, uerbum retulit ad interpretes, qui ipsi eadem lege tenebantur".

§. 63. nam et Athenis] Cum a sapientissimis legum scriptoribus haec neglecta non esse demonstrare propositum esset, ut recta uia oratio procederet, in hunc fere modum eam conformari oportuit: „Nam cum Athenis, posteaquam sepulturae simplicitas diu permansit, sumtuosa fieri funera coepissent, et Solonis lege ea sunt sublata et postea, cum sepulcrorum amplitudines exstitissent, sanctum est, ne quis sepulcrum faceret operosius, quam quod decem homines efficerent triduo". Nec tamen recta uia eo tendit oratio, quo debebat; ac potius longius rem Tullius repetit eiusque quasi historiam persequitur. Uerbis igitur nam et Athenis — humandi simpliciter humandi mos describitur, qui ut Romae (nam ad id spectat particula et), ita Athenis etiam inde ab antiquissimis temporibus permanserit. Inepte igitur Goerenius, quod idem Sch. Mos. Or. expresserunt, retulit ad Atheniensium consuetudinem mortuos tertio iam die efferendi, cum octauo demum die Romae efferrentur. Mendi, quod in cod. arch. fuit (hoc ius), tollendi ratio duplex est. Ex quo aut obiectum licet elicere aut subiectum, quod priori moris nomini aequum ponatur. Neutra qui usi sunt, a recta uia deflexerunt, ut Turnebus (iam illo more a Cecrope, ut aiunt, permansit hoc ius terra hum.), Roeuerus ap. Ualcken. ad Amm. p. 7. (iam olim more a Cecrope, ut aiunt cet.), Wagnerus (nam Athenis et Ἰάλεμος a Cecrope, ut aiunt, permansit et hoc ius). Illam rationem inierunt Stephanus (permansit corpus terra hum.), Lbinus (corporis t. h.) Dauisius (nos usque t. h.), Bakius (ossa t. h.). Sed nec necesse est humandi uerbo adiungi accusatiuum, id quod Maduigio uisum est in progr. p. 26., nec mendi ita satis origo elucet. Itaque alteram ego rationem eo magis amplector, quia uerba terra humandi aliquanto longius uidentur a moris nomine remota esse. Minima igitur mutatione facta scripsi ac ius, ut non solum in more, sed etiam in iure id positum fuisse dicatur. Interpretor igitur Sitte und Verpflichtung. Cf. quae dixi II. §. 55. III, 20. 48. ignoratione iuris sui i. e. muneris, officii, ut recte Turn. interpretatur. Particula et, quae Mosero molesta fuit, ut coniiceret namque etiam Athenis, pertinet ad alteram notionem Romae, quae

auditur. Cf. quae dixi I. §. 23. progr. p. 8. Male Bakius ei respondere dixit posteaquam.

quam cum — iniecerant] Cod. arch. quam — fecerant. Quod mirum in modum Scheff. ita tuetur, ut ex praecedenti humandi notione humatio audiatur. Aut quod — fecerant corrigi necesse est, quod post Brutum et Dauisium placuit Maduigio (in pr. p. 26.) et Bakio, aut cum Manutio et plerisque quam — iniecerant. Hoc probaui propterea, ne proximi, qui glebas tantum iniiciebant, totam humationem perfecisse uideantur. Molestia nominis post pronomen repetiti admodum minuitur et utriusque uarietate casus (ut III. §. 41. rem publicam — res publica), et eo, quod pronomine, etsi ad terram refertur, tamen glebae tantum indicantur, quibus iniectis maior deinde terrae moles obducebatur. Quo de genere cf. Seyff. ad Lael. p. 268.

apud quos] Parum recte pron. ad epulas refertur; sic inter quas aut in quibus dici oportuit. Uera est igitur Maduigii correctio apud quos i. e. coram propinquis. Cic. Or. I, 11. 48. apud populum loqui. in Verr. III, 2. 20. apud senatum uerba facere. Bakius, qui Maduigii coniecturam improbauit, quia ueri simile non esset praeter proquinquos alium etiam fuisse, qui apud eos laudandi munere fungeretur, non intellexit ipsos propinquos coram se mortuum laudasse.

cum quicquid] Nihil ferri potest eorum, quae adhuc uulgata sunt, quum quid ueri (Man. Dau. Ern. Wagn. Mos. Or.) aut quum aliquid ueri (Lamb.) aut quum si quid ueri (Rath. Goer. Sch.), (cum quid uere Zumptius coniecit). Non enim satis erat ueri aliquid aut si quid ueri esset, id praedicari; ac potius dici oportuit, quicquid ueri esset, id esse praedicatum; eaque ipsa correctio confirmatur mendo quo inquid, cuius sane facillimus erat ortus in cod. maiusculis litteris scripto. Iam etsi non iis assentior, qui relatiua sententia prorsus exstincta quicquid ita a Cicerone usurpatum esse dixerunt, ut singularum rerum notionem adscisceret (Lucretii hoc est aliorumque scriptorum uetustiorum), nihil tamen dubito, quin non addito substantiae uerbo quisquis et quicquid dictum sit pro quisquis uel quicquid est uel erat. Quemadmodum igitur Tusc. IV, 19. 44. (ubi enim quidque esset), Verr. IV, 13. 31. (ut, ubi quidque esset, aliqua ratione inuenirent) merito quidque reuocatum est (nec uero intercedo, quo minus idem restituatur de Fin. V, 9. 24.): ita Tusc. V, 34. 98. (quae ut quicquid obiectum est), pro Cluent. 19, 52. (sed ut quicquid

ego apprehenderam), ad Fam. V, 1. 1. (et si quocunque in loco quisquis est) pron. quicquid, quia relatiuam suam uim retinet nec singularum rerum notionem suscipit, retinendum est. Cfr. qui nostra aetate ea de re dixerunt Zumpt. ad Verr. IV, 13. 31. Stuerenb. pro Arch. p. 102. Klotz ad Tusc. IV, 19. 44. Madu. de Fin. p. 655. Bakii coniectura quum ab uno erat uere praedicatum nec a litterarum similitudine nec a sententia commendationem habet. Non uni laudandi munus iniunctum fuisse credibile est. Propinqui omnes, quicquid ueri poterant, praedicabant.

iusta confecta] Sic de Manutii coni. Lamb. Goer. Sch. Mos. Or. Nimirum ad uel at ex praecedenti syllaba at natum est. Ita confecta erant, quod de Dauisii coni. Ernestius et Wagnerus receperunt Bakiusque probauit, in apodosi locum non habet; nec licet tamen orationem sic dissecare, ut Dau. Ern. Wagn. fecerunt: apud quas, cum quid ueri erat, praedicatum. nam — habebatur. ita iusta cet.

§. 64. posteaquam] De Manutii coni. Goer. Schuetz. Mos. Or. sine iusta causa scripserunt postea quum idemque Bakio placuit. Sed Romanos sententiarum uinciendarum studiosos coniunctiuum tam cum hac coniunctione, quam cum simili antequam iunxisse et ueteres grammati tradiderunt a Krausio citati, Diomed. p. 388 et Charis. p. 203 et ipsius Ciceronis aliquot exemplis comprobatum est. Cf. praeter locos a Krausio allatos. Cic. de imp. Cn. Pomp. 4, 9 et ad Fam. II, 19. 1. etiam pro Cluent. 64, 181. posteaquam illa abducturam se filiam, mutaturam esse testamentum minaretur, mulieri crudelissimae seruum crudelissimum non in quaestionem tulit, sed plane ad supplicium dedit. Similis autem ratio est coniunctionum relatiuarum atque pronominis relatiui. Quemadmodum hoc in definienda generali rei notione cogitatione comprehensa coniunctiuum adsciscit (cf. II, §. 30.): sic coniunctiones antequam et posteaquam coniunctiuum ita adsciscunt, si non factorum quaedam successio, sed talis quaedam sententiarum necessitudo declaratur, quae cogitatione tantum comprehendatur. Hoc igitur loco uerba posteaquam — coepissent hanc uim habent: nachdem ein solcher Zeitpunct eingetreten war, dass die Leichenbegängnisse anfingen cet.

Phalereus] Est hic Demetrius Phalereus, Aristotelis discipulus, Atheniensis et Athenarum sub Cassandro, Macedoniae rege, gubernator. Saepius eum noster laudat (cf.

III, 6. 14. de Fin. V, 19. 54. Off. I, 1. 3. Simpliciter eum, ut h. l., Phalereum dicit Or. 27, 94. Wytt.

Solonis] Particula et, cum nec in dett. codd. sit nec in Gd. 2. et δ, in reliquis codd. melioribus orta esse uidetur ex postrema syllaba uerbi praecedentis coepisset. Coniecturae ea, quam olim huic mendo superstruxeram, iam me poenitet, quia isto modo funera lamentabilia grauius efferuntur, quam par est. Cf. Halm. pro Sest. p. 183.

decimam] Male Lamb. de coni. undecimam.

pleraque illa sc. quae generis eiusdem supra sunt commemorata, ut recte Ern. interpretatur. Merito igitur inutilis habita est Lbini ac Dauisii coniectura pleraque alia.

expressa uerbis sunt] Nec recte exprimere uerbis ita dicitur, ut sit ad uerbum reddere nec, si maxime posset, illud admodum probabile esset, quia, quod contrarium esset, pleraque non ad uerbum reddita esse, non indicatur uerbis praecedentibus pleraque illa Solonis sunt, quibus haec ex aduerso ponuntur. Quapropter nec Dauisii quae Wagnero, Gzio, Schuetzio, placuit coniectura expressa uerba sunt probabilis est, nec Krausii l. l. p. 472. expressa ad uerbum uel ipsa uerba sunt, nec Orellii denique expressa uerba uerbis sunt. (Ne recte quidem uerba uerbis exprimere dicitur pro ad uerbum reddere). Si ipsius Ciceronis haec sunt, in hanc tantum sententiam accipi possunt, ut pleraque illa (i. e. de riciniis et reliqua, quae ad sumtum, non ad lamentationem pertinent) simpliciter Solonis esse dicantur, de lamentis uero, de quibus h. l. maxime agebatur, ipsa legis uerba afferantur. Cuius citandae quoniam quaedam opportunitas data erat, tolerabilia ista duco, etsi eadem iam §. 59. posita sunt; laudare non possum.

XXVI. poenaque est] Haec ipsius Ciceronis uerba sunt (es steht eine Strafe darauf. §. 40.); reliqua Solonis esse uerbum inquit indicat. Cuius post monumentum demum ponendi causa erat parenthesis, quam ad bustum accommodari oportuit. Nec rara sunt exempla huius uerbi longius reiecti. Cf. Cic. de Fin. III, 4. 12. Ac. I, 4. 14. de Fin. III, 3. 10. III, 6. 20. Coniecturas Dauisii (monumentum aliquod), Rathii (mon. antiquum), Moseri (mon. inquinauit) uel orationis concinnitas respuit.

deiecerit] Non ferenda est correctio codd. dett. iecerit. Pro simplici uerbo omnes restituerunt compositum in hac re tritum. Cf. Nep. Alc. 3. Cic. Cat. III, 8. 19. Liu. XL, 2. Et probabilius sane est quam id, cuius

mihi aliquando, ne compositum immisceretur simplicibus, in mentem uenit laeserit.

Ceramico] Cum duo essent Athenis Ceramici, alter in urbe, extra urbem alter, h. l. intelligitur is, qui extra urbem erat, ubi multa sepulcra fuisse tradit Paus. I, 29. 2.

uidemus sc. cum adsumus. Sic etiamnunc istas sepulcrorum amplitudines exstare significat. Temere Ern. coniecit uidimus.

quod effecerint] Generaliter loquitur; itaque efficiendi notione ad praesens tempus relata utitur tempore perfecto. Eadem mutata temporis ratione nituntur illa; pro Balb. 10, 26. cum pauci reperti sint, qui — uitam suam hostium telis obiecerint. pro Mur. 11, 25. inuentus est scriba quidam, Cn. Flauius, qui cornicum oculos confixerit. Phil. II, 10. 24. duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid Caesari contra Pompeium suaserim.

§. 65. tectorio] Necessaria haec est correctio mendi textorio. Et opus quidem tectorium, quod superficiei aedificii, muri, sepulcri inducebatur, Uitruuio auctore VII, 2. triplex erat: albarium, arenatum, marmoratum; quorum nihil lex Solonis in sepulcris concessit.

hermas hos dixit, quasi oculis cerneret, quemadmodum similiter ante dixit has amplitudines sepulcrorum, quas in Ceramico uidemus. Immerito Rathius et Moserus Lbini hos omittentis coniecturam probauerunt.

publicae sepulturae eae erant, quae sumtu publico fiebant; in quibus qui de mortui laude diceret, publice constitutus est. Pro sincera codd. scriptura mendum codd. B. et Br. nisi si qui arripuerunt Goer. Sch. Mos. Or., quo uere Bakius ait uoluntati aut fortunae tribui, quod necessitatis erat.

Sublata etiam] Haec iam ad priuatas sepulturas pertinere uere Bakius animaduertit. Mox inde a Uictorio scripserunt habet enim luctum. Sed luctum habere concursus hominum ita dicitur, quasi per se luctum habeat luctusque necessario sit cum eo coniunctus (cf. II. §. 25. 29. Cic. de Diu. I, 30. 62. ad Fam. IX, 6, 5. de Off. III, 6. 19.); id quod de concursu hominum parum recte dicitur, qui uel gaudium et hilaritatem potest habere. Recte, opinor, primus Moserus commendauit auget; ex quo maiusculis litteris scripto et postrema syllaba omissa facilis mendi (HUC) ortus erat. Cf. II. §. 60. quibus luctus augetur. Dauisius coniecerat nutrit.

§. 66. Pittacus, unus e septem sapientibus, leges scripsit Mitylenaeis. Cf. Diog. L. I, 74.

aliorum] Bakius recte dicit intelligi alienos. Nec tamen aut alienorum, aut quod Orell. commendauit alienum corrigi necesse est. In promtu enim est alios h. l. discerni non a nobis solis, sed etiam a nostris. Deinde rursus, quod ad increbruisse pertinet, cum ui quadam praemisit leuioribus uocibus interpositum, ut Tusc. V, 2. 5. o uitae philosophia dux. Cf. II. §. 9.

ciuis e re publica] Quae a Wagnero et Mosero iniecta dubitatio est, utrum, cum recte diceretur e re publica facere (Phil. III, 15. de Or. II, 28.), item recte diceretur in attributiua uerborum coniunctione ciuis e re publica, ut ciuis bonus et utilis, quem Graeci χρηστόν uocant, significaretur, eam prorsus nuper Bakius et ante Orellius (pro Rab. §. 23.) sustulit his exemplis afferendis: ad Fam. IX, 21. 3. praeter hunc C. Carbonem, quem Damasippus occidit, ciuis e re publica Carbonum nemo fuit. Phil. VIII, 4. 13. Ineptam Wagneri coniecturam ciuis in rep. maximus non improbauit Moserus et denuo instaurauit Zumptius.

peritissimus] Unus Bakius nuper cod. arch. mendum paratissimus cum Dauisio probauit. Sic certe cum Dauisio corrigendum esset tuendaeque ciuitati. Uerum quia et in ipsa lege ferenda plus refert eum, qui ferat, ciuitatis tuendae peritum esse quam animo strenuo, et per particulam que adiungi uidetur notio, qua ea quae praecedit compleatur (cf. Seyff. ad Lael. p. 143.), non noui aliquid addi, quod genere ab ista discrepet, reliquorum correctionem magis probo. Tuendae autem ciuitatis peritissimus uidetur uocari, quia legibus ferendis cauit, ne pernicies in ciuitatem illaberetur. Wagnerus sine causa constituendae. Codicis Br. i. e. nulla auctoritate Gzius haec tuendaeque ciu. per. obelis notauit, Schuetzius deleuit.

ante lucem] Legem hanc, cum iam ante Demetrium sancta esset (cf. Dem. adu. Macart. p. 1071. eademque est apud Plat. Legg. XII. p. 960.), a Demetrio non primum constitutam, sed cum obsoleuisset, reuocatam esse Dauisius animaduertit.

quicquam] Quod adhuc de coniectura uulgatum est, quid, id a latino sermone alienum est. Aliquid et quid in sententiis negatiuis ita semper usurpatur, ut notioni affirmatiue et infinite conceptae accedat negatio, ut de

Diu. II, 60. 125. nec frustra aut sine causa facere quid dignum deo est. de Fin. V, 12. 35. ad Att. V, 11. 5. de Off. III, 6. 30. Hoc autem loco non aliquid, quicquid sit, sed nihil super terrae tumulum dicitur statuendum esse, ut negandi uis uel ad pronomen pertineat. Merito igitur Madu. de Fin. p. 471. et Bakius probarunt Lbini coniecturam quicquam Ex cuius nota, praesertim maiusculis litteris scripta, non difficilis mendi quod ortus fuit.

mensas sepulcro impositas ararum quoddam genus fuisse coniicere licet ex Festo s. u. mensa p. 173 et 174. Labellum uas planum ac patulum a similitudine labrorum humanorum dictum. Wytt.

huic procurationi] Non nouum aut peculiarem magistratum huic procurationi praefecerat, sed, ut uidetur, hanc curam mandauerat astynomis. Demochari certe officium non nisi ad eas causas pertinuisse uidetur, quae commemorantur apud Dem. adu. Macart. p. 1069. Bak.

XXVIII. §. 67. uideamus] Temerariae Dauisii (audiamus) et Rathii (ueniamus ad Platonem quoque) coniecturae satis explosae sunt. Locus Platonis est in Legg. XII, c. 9. p. 958.

interpretes religionum] Ἐξηγητάς eos Athenis esse appellatos Wytt. animaduertit; de quibus Creuzerus laudat Ruhnk. ad Timaei Lex. Plat. p. 111.

quae natura agri] i. e. ea pars agri, quae propter naturam suam nihil aliud possit efficere, nisi ut corpora excipiat. Uertit haec graeca Platonis (Legg. XII. c. 9. p. 958.) uerba: ἃ δὲ ἡ χώρα πρὸς τοῦτο μόνον φύσιν ἔχει, in quibus male Astius correxit ᾗ δὲ δὴ χώρα. Significat autem terrae partem interiorem, superficiem agriculturae destinat. Male Moserus agri naturam pro agro dici existimauit aduocatis Ciceronis uerbis de Nat. Deor. II, 54. 136; quorum quidem sententia haec est: aluus, quae est eius natura, receptaculum est cibi et potionis, ut male Bakius aut expellendum esse natura, aut aliud quid in eo latere dixerit. De pronomine (ea) ad coniunctam notionem agri natura relato cf. quae dixi I. §. 26.

ut compleatur] sc. iubet. De affirmandi uerbo ex praecedenti uerbo negandi audiendo dixi II. §. 15.

§. 68. quinque homines] Turnebi haec est correctio necessaria a plerisque probata et confirmata etiam uerbis Platonis. Nimirum temporis descriptio non item descriptis operis non satis ualet ad sepulcrorum sumtum

minuendum. Natum est mendum eo, quod librarii oculus a uocula quinque priore loco posita aberrauit ad posteriorem. Itaque probari non potest uerborum transpositio a Man. Ern. Wagnero probata quinque diebus homines quinque. Goer. et Schuetz.: quini quinque diebus.

amplius] Ex mendo cod. arch. prius quod Dauisius effecit probaruntque Goer. Sch. Mos. Bakius (amplius) magis probo, quam quod Uict. Man. Lamb. Ern. Wagn. scripserunt plus, non tam quia statim uocabulum idem sequitur (ne plus quatuor), sed quia ad sententiam accommodatior est ambitus, quam copiae significatio et apud ipsum Platonem primum μείζω, deinde πλείω ponitur. Krausius in progr. p. 10. coniecit maius, Orellius procerius. De excitandi uerbo proprie usurpato cf. Halm pro Sest. p. 88.

item] Hanc Wagneri coniecturam prorsus necessariam et a Goer. Sch. Mos. Or. probatam repudiauit Bakius iterum mirum in modum porro esse dicens.

ad unam] Huius correctionis sane facillimae, qua opus esse putabam, ut uterque terminus numerali denotaretur, nunc me poenitet, quia ne Plato quidem numerale posuit p. 959. Orellius coniecit minam unam.

Deinceps dicit — impiorum] A Tullio haec primus abiudicauit Wagnerus, deinde Gzius et Moserus, qui obelis notarunt, itemque Schuetzius, qui deleuit, atque Bakius, qui istud immortalitatis argumentum in fine huius libri Ciceronem ornatius esse persecutum credit eiusque disputationis, quae perierit, nonnisi hoc ex margine indicium superesse. Sed quemadmodum haec Bakii opinio nihil habet, quo commendetur: ita ne reliquorum quidem sententia satis probabilis est, quia inficete uerba habemus igitur continuo exciperent illa habetis igitur, statuere autem, id quod Goer. et Mos. faciunt, excidisse alia quaedam temeritatis est. Tullii igitur ista puto habenda esse, etsi parum apta esse concedo ad id argumentum, quod nunc persequitur, sumtum funerum ac sepulcrorum. Sed constat tamen Ciceronem aliorum sententias enarrantem interdum immiscere, quae non arctissimo uinculo cum ea re, quae in manu sit, contineantur. Cf. Cic. Or. 18, 57. Et aliquo tamen, quamquam laxiore uinculo, haec cum illis contineri quis neget? Uideamus reliqua, quae uituperant. „Non disserit ista Plato in Legibus". At attingit tamen p. 959. „Quid deinde reliqua post mortem tranquillitas?" Est tranquillitas, quae post mortem futura est. Cf. Cic. pro Sest. 34, 73.

Spe reliquae tranquillitatis praesentes fluctus tempestatemque fugisse. ad Quint. Fr. I, 1. 15. Nep. Them. 2. „Denique quid uerba eadem illa?" Monstrat nimirum ea, quae de animorum immortalitate mortuorumque conditione et in libro sexto de re publica (Lael. 4, 14.) et in hoc ipso libro §. 43. disputauit, tamquam Attico et Quinto, coram quibus loquitur, notissima. Inepte Dauisius coniecit dicit ea diuina, Wyttenb. dicit diuina illa.

§. 69. religionum locum] Cum Cicero et religionis dicere posset, quemadmodum dixit III. §. 13. §. 48. et religionum, ut III. §. 2. pro Dom. I, 1., ut aut deorum cultum significaret aut caerimonias ad deorum cultum pertinentes: ego ex melioribus codd. cum Dau. Goer. Sch. Mos. Or. hoc recipi idemque in commentariis probauit Bakius; reliqui religionis.

perge cetera] Utrumque cum recte se habeat et ad cetera et cetera perge sc. explicare (et illo modo dixit III. §. 26. Brut. 43, 158. Off. I, 45. 161, hoc modo ad Att. IV, 11. Brut. 74, 258.): hoc ego cum plerisque recepi ex codd. melioribus. ad cetera Uict. Dau. Ern. Wagn. Mox peculiare quorundum codd. mendum pergam quidem (E. 10. 39. Dr. l. M. α) temere receperunt Steph. Dau. Ern. Wagn. Nulla uerbi insigniendi causa est.

hoc praesertim die sc. aestiuo, qui longissimus est. Cf. quae sequuntur et III. §. 30. Sic iam Turnebus interpretatur; male Bakius: „quoniam mane satis est necdum magna diei pars praeteriit".

conficiam, spero] Spero postremo loco positum nihil molestiae habet; accedit enim ad conficiendi, non ad hodierni sermonis notionem. Cf. Ter. Heaut. III, 2. 42. non usus ueniet, spero. Andr. II, 1. 13. interea fit aliquid, spero. ib. III, 5. 12. Temere Gzius, quia a Dr. 2. et a Br. abesse uidit, illud deleri uoluit; languide Lbinus et Schuetzius ut spero coniecerunt.

Igitur faciam] Hoc primus recte Bakius reuocauit ex codd. melioribus; reliqui cum dett. codicibus: sic igitur faciam. At part. sic inepte referretur ad perorandi notionem atque ita diceretur, quasi illa de magistratibus disputatione sermo omnis conficeretur. In consilio capiendo faciendi uerbum tritissimum est. Cf. exempla in Zumptii gr. lat. §. 619. Sed ne nimis consilii capiendi ratio eluceret, dicendi de magistratibus notio, cuius in superiore disputatione nondum facta significatio est, attenuaretur,

utramque non coniunxit notionem (faciam, ut dicam), sed ex aequo posuit (faciam et dicam). Similem ob causam de Rep. I, 39. fin. dixit: adducor igitur et propemodum assentior.

id enim] Solus Lamb. id est enim, quod non displicuit Orellio. In eo, quod utroque modo recte dicitur, codicum meliorum auctoritati obtemperandum puto.

coepisti] Mendum codd. meliorum accepisti ortum est eo, quod postrema praecedentis uerbi (quā) littera sequenti uerbo adhaesit. Occepisti, quod de Gulielmi coniectura expressit Dauisius, comicorum est itemque Liuii et Taciti, non Ciceronis.

M. TULLII CICERONIS
DE LEGIBUS
LIBER TERTIUS.

I. §. 1. quadam admiratione] Pron. quidam substantiuis abstractis additum speciem quandam rei, non rem uniuersam significat. Quapropter pronomine et augetur rei notio et minuitur. Cic. de Or. II, 46. 194. sine quodam afflatu quasi furoris. Off. I, 14. 44. quadam gloria ductus. Cf. Seyff. ad Lael. p. 199 et 322. Inutilis est igitur Moseri coniectura quem equidem admiratione, praua autem Gzii quem nimia quadam adm. Non enim nimiae admirationis recte se uidetur Marcus incusare, qui alibi (ad Att. IV, 15. de N. D. II, 12. 32.) et deum Platonem uocat et cum eo errare se malle dicit, quam cum aliis uere sentire. Cic. Tusc. I, 17. 39.

dicis] Per se sane optima est correctio dicis in omnibus editt. inde a Turnebo expressa, ut quem uniuerse Tullius significauerit, is deinde distinctius nominetur. Cf. Cic. de N. D. I, 31. 86 mortem dico et deos. de Or. III, 44. 174. Nec tamen inepte Atticus ipsam admirandi notionem a Tullio iniectam tenere atque pro illa cognatam quandam notionem (I. §. 15. quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maxime diligis. II. §. 4.) substituere uidetur. (Es ist offenbar Plato, den du verehrst) Qua leuiore re profligata ad caput rei progreditur tu uero — laudaueris). Assentior igitur nunc Zumptio cod. arch. scripturam diligis retinenti.

nostri illi sc. Epicurei, qui primum uerum uidisse dicebant Epicurum omniaque tradidisse, quae ad bene beateque uiuendum pertinerent. Cf. Cic. Fin. I, 5. 14. Lucr. de Rer. Nat. III. init.

quid enim est] Male Beierus ad Off. I. p. 306. uoculam est delendam iudicauit. Cf. quae dixi III. §. 33.

quoniam quidem] Pro eo, quod adhuc uulgatum est, quandoquidem, cum Bakio cum plurimorum, tum optimorum codd. scripturam quoniam quidem restitui. Etenim particula quidem causae uim intendit eamque ipsam causam esse indicat (weil eben). Cic. ad Att. XII, 6. 1. quoniam quidem est missus ad te. Cic. in Verr. II, 1. 22.

§. 2. legem ipsam] Lex ipsa est lex de magistratibus per se spectata, ita ut ratio non habeatur eorum, quae lege illa contineantur; leges autem ipsae §. 5. sunt leges singulae, quibus descriptio contineatur magistratuum. Bakii coniectura lex ipsius non modo necessaria, sed ne probabilis quidem per se est. Alio quodam modo legem ipsam II. §. 14. dicit; ibi enim ipsa lex opposita est laudi ipsis legibus praemittendae.

de religionum lege] Quod §. 13. dicit in religionis lege fecisti, ea non satis iusta causa est eiusdem praepositionis etiam h. l. cum Dauisio inferendae. Quemadmodum in, qua data occasione illud fecerit, indicat: ita de declarat, ad quam rem laudatio illa pertineat. Nep. Them. 2. miserunt Delphos consultum, quid facerent de rebus suis.

ut enim magistr.] Ratio his uerbis redditur eorum, quae praecedunt; quaeque deinde sequuntur uereque dici potest cet., huius ipsius sententiae complendae uim habent. Male igitur Goer. Sch. Mos. Or. uerbis ut enim — magistratus parenthesi circumscriptis potest deteriorum quorundam codd. auctoritate omiserunt, ut uerba uere dici itidem ex uerbo uidetis penderent. Bakii coniectura uereque dicitur nec necessaria est et hanc uim habet, ut haec Stoicorum, quos sequitur, uideatur esse sententia. Quam nusquam tamen Stoicis tribui memini et ab ipso Cicerone puto expressam esse ad imitationem illius dicti Aristotelici (de Art. poët. XXVI, 2. p. 71. ed. Herm.), picturam esse poësin tacitam, picturam autem poësin loquentem.

§. 3. dici intelligi uolo] Haec ego post Steph. Man. Lbinum ex melioribus codd. recepi cum Gzio, qui uerba nihil aliud obelis notauit, et cum Bakio, qui deleuit. Correctos codices secuti Uict. Dau. Moserus scripserunt dici, nihil aliud intelligi uolo, Ern. Wagn. Schuetzius dici nihilque aliud int. uolo. Sed solet Cicero quomodo id, quod posuerit, intelligi uelit significaturus simpliciter id declarare, non quiduis aliud excludere. Cf. I, 12. 33.

Alia est ratio uerborum in Tusc. Dispp. I, 31. 75. secernere autem a corpore animum nec quicquam aliud est mori discere; ibi enim ipsam definitionem ponit, quamuis aliam excludens. Sine causa Moserus hac tentata coniectura quod cum dico, legem intelligi uolo uerbum dici spreuit. De re ipsa uide I. c. 6.

nam et hic cet.] Pron. hic ad mundum, huic ad deum referri pridem intellectum est; estque hic deus praepotens ille Stoicorum deus (I. §. 23.), quem quomodo deinde supremam legem dixerit apparet ex eis, quae I. c. 6. disputauit. Dauisium et Wagnerum, qui huic ad mundum retulerunt, hoc decepit, quod ea, quae pari dignitate per particulas et — et copularentur, his ipsis proxime adiungi oportere nec leuiore aliqua uoce ab iis disiungi posse putabant, nec per chiasmum haec posita esse intellexerunt. Ceterum ut ante a minore ad maius, ita nunc ascendit a maiore ad minus, a mundo ad rerum naturam (maria terraeque) et ad uitam hominum. Imprudenter Dau. coniecit nam et huic (sc. imperio) caelum uel deus paret.

II. §. 4. citeriora] Transit Tullius ab uniuersi mundi gubernatione ad populorum regna, quae ut hominibus propiora uocat citeriora. Cf. Cic. Tusc. V, 25. 71. Cic. Fragm. de Rep. VI. apud Nonium p. 85. ex quibus erat ea minima, quae ultima caelo, cituma terris, luce lucebat aliena. et. lib. I. apud eundem: quare, si placet, deduc orationem tuam de eo loco (caelo) ad haec citeriora. Male Bakio de tempore hoc dici uisum est. Gzius cur ut citeriora uideamus coniiceret, causa nulla erat. Nam quod a melioribus codd. ad (in A B 11. 65. restitutum est ex dett.), a dett. haec abest, id utriusque familiae mendum proprium est. Male igitur Uict. et Lamb. haec omiserunt, Steph. deteriorum quorundam codd. correctionem secutus est ad haec certiora.

ad homines iust.] Opportune Dauisius laudauit Cic. Off. II, 12. 42. apud maiores nostros iustitiae fruendae causa uidentur olim bene morati reges constituti.

idque in rep.] Sic scripsi cum reliquis ex codd. deterioribus. Sed mendo codd. meliorum deteriorumque quorundam idque ut in rep. non ea, quae in dett. codd. tentata est, sed Dauisii correctio idque et in rep. uidetur commendari. Nimirum et Romae et alibi id ualuisse significatur. Cf. quae dixi I. §. 23. II. §. 63. Minus probabilis

est Bakii coniectura id quod in rep., inepta Gzii idque uel in rep., quasi uero in ea id minus exspectaueris.

deinde etiam deinceps] Deinde respondet praecedenti particulae primum; deinceps autem successionem a patribus fieri ad filium indicat, ut uere Bakius animaduertit, ut imperitam Schefferi coniecturam infringeret, qui uerbis deinde etiam praetermissis coniecit deinceps posteris tradebatur. Cf. III. §. 43. Brut. 90, 312. de Diu. I, 30, 62. Liu. II, 47. Wopk. Lectt. Tull. p. 344. ed. Hand. Similiter de Fin. I, 6. 17. principio et primum in eadem sententia ita ponuntur, ut illud ad philosophiae diuisionem, hoc ad ea spectet, quae deinde plura ei obiicit.

quod et in his] Particulam et, quam Or. in suspicionem uocauerat, Bakius perperam dixit delendam esse. Et partitionem indicat (et in aliis et in his), etiam alteram partem augeri significat, ut ad Att. II, 1. 3. Brut. 82, 284. ad Fam. IX, 25. 7., quibus locis omnibus, cum duplex particula et praecedat, nemo tamen addita part. etiam offenditur. Parum recte Bakius etiam de tempore dici putauit, ut idem quod adhuc esset. Cf. Cic. in Verr. I, 4. 11. erunt, qui et in eo quoque audaciam eius reprehendant. Liu. XL, 24. fin. ne interdictione finium nostrorum et nos quoque regno arceamus.

qui nunc regnant i. e. in regibus nostrae aetatis. Imprudenter Dauisius Clerici commendauit coniecturam qui nunc regnantur.

§. 5. neque solum his] Uict. Man. Lamb. Ern. Wagn. scripserunt iis. Sed luculentiore et efficaciore demonstratione in hac magistratuum ciuiumque oppositione opus est.

nam et cet.] Sumsit haec a Platone, quem sequitur. Cf. Legg. VI. p. 762. Sed eadem sententia est apud Arist. Polit. VII, 14. III, 4., eandemque iam a Solone propositam esse Stobaeus tradit Serm. 46, p. 328. ἄρχε πρῶτον μαθὼν ἄρχεσθαι· ἄρχεσθαι γὰρ μαθὼν ἄρχειν ἐπιστήσῃ. Mox peruerse Dau. pro imperet coniecit imperaret nec recte Bakio deteriorum quorundam codd. correctio aliis arrisit pro aliquando.

ut Charondas] Charondae hac de re uerba a Stobaeo Serm. 42, p. 290. suppeditari indicauit Dauisius.

Titanum e genere] Attributi instar haec statuendi uerbo adiuncta sunt, ut Lael. 18, 64. maxime e raro genere hominum iudicare debemus. Cf. etiam II.

§. 66. ciuis e re publica maxime. Platonis uerba sunt in Legg. III. p. 701.

ut illi — sic hi] Etsi ii, qui aduersantur magistratibus, pronomine qui iam notati sunt, tamen caelestium et magistratuum oppositio efficit, ut eorum quoque, qui aduersantur, oppositio luculentius superaddito pronomine demonstr. declaretur. Cf. Cic. Ac. II, 5. 14. similiter uos cum perturbare, ut illi rem publicam, sic uos philosophiam iam bene constitutam uelitis, Empedoclem — profertis. de Or. II, 30. 130. Tusc. III, 29. Exemplorum copiam suppeditat Wopk. Lectt. Tull. p. 25. Cf. praeterea Madu. de Fin. p. 743. Matth. de Anac. p. 17. Halm pro Sest. p. 199.

ordo iste rerum] Hunc uerborum ordinem immerito a Goer. Sch. Mos. Or. neglectum (ipsi ordo rerum iste) potiore codd. auctoritate cum Bakio reuocaui.

IIII. §. 6. iusta imperia sunt ea, quae in iure et legibus sunt posita nec eorum, qui imperant, arbitrio suscepta. Mox Dau. et Goer. hisque pro iisque. Deinde antiquiorem formam ciuis ut legem maxime accommodatam ex codd. omnibus recepi cum Mosero; ceteri ciues.

nec obedientem] Cf. quae de part. nec dixi II. §. 22.

et in noxia] Mendi, quod in cod. arch. fuit, innoxium, probabilior est Gebhardi correctio *), quae Gzio placuit, in noxia, quam coniectura a Uictorio inde uulgata noxium. Nimirum in noxia, quia pro adiectiuo habebant, ad substantiui formam accommodarunt. In noxia esse eum dici, quia noxia, i. e. maleficio obstrictus sit, satis constat. Cf. Plaut. Merc. IV, 3. 30. Quapropter cur idem attributi instar usurpari nequeat, praesertim et reliquis uerbis interpositum et in lege, in qua ut in definitione breuitate opus est (cf. Seyff. ad Lael. p. 119.), non intelligitur. Cf. Iuu. VII, 207. tenuem et sine pondere terram. Cic. ad Att. I, 18. 5. quam ignauus ac sine animo miles. de Or. III, 48. 185. illa sine interuallis loquacitas. de Rep. I, 22. quae de ista consultatione scripta nobis summi ex Graecia sapientissimique homines reliquerunt. Off. I, 8. 29. quibus rebus possimus facillime eam, quam uolumus, adipisci cum honore et fide caritatem. Dau. coniecit nec obedientem nec innoxium. Mox uinclis Gzio principe reliqui; superiores uinculis.

---

*) errraui in annot. crit. id Gulielmo tribuendo, quod Gebhardi est.

uerberibusue] Admodum tenui codd. auctoritate Moserus Gzio suasore ue omisit, obelis certe notauit Orellius. At part. ue in multae et uinclorum locum etiam uerbera succedere posse significat. Cf. uerba deinceps posita aes argentum aurumue. Ceterum si uerum est, quod Liu. X, 9. et alii tradunt (Sall. Cat. 51, 22. 51, 40. Cic. pro Rab. 3, 8. 4, 12 et 13. in Verr. V, 63. 163. App. B. C. II, 26.), legem Porciam magistratibus ius uerberibus in ciues animaduertendi ademisse, Tullius h. l. id eis restituit. Cf. Beckeri Ant. rom. III. 3. p. 150. De prouocatione a minore magistratu ad maiorem, ab omnibus ad populum cf. Geib. Criminalprozess p. 24. 156. sqq. Cic. Rep. II, 31.

populusue] Ex quibusdam codd. indiciis quod Gzius coniecit, populosue, id sane ueri simillimum est in cod. arch. fuisse.

Quom mag.] Pertinent haec ad accusationem rei in concione per magistratum comparandam; in qua iudicandi uerbum legitimum fuisse satis constat. (Liu. XXVI, 3. tum Sempronius perduellionis se iudicare Cn. Fuluio dixit. XL, 16.). Quod h. l. et iudicandi et irrogandi uerbum coniunctum est, illud uidetur ad praeiudicium referri, quod is, qui accusabat, de facto faciebat, hoc ad poenae multaeue irrogationem. Et coniunctum uerbum utrumque est pro Dom. 17, 45., ubi inscite tamen ter ante magistratus accusare dicitur (cf. Wolf ad h. l.), quam multam irroget aut iudicet, cum ipsum et irrogare et iudicare accusantis sit. Irrogandi uerbum ut insolentius absolute ponatur cum praecedens iudicandi uerbum efficit, tum illud, quod ea, quae auditur, poenae notio statim sequitur. Et constat sane uel transitiua uerba, si res, quam actio eorum attingat, facile audiatur, absolute usurpari. Cic. in Verr. IV, 13. 30. quorum alterum fingere opinor e cera solitum, alterum esse pictorem. Sine causa igitur Lbinus coniecit multamue inrogassit uel inrogassitue multam. Male Gulielmo placebat dett. quorundam codd. correctio interrogassitue (γ 10. 58.). Particula quom de poena aut multa (nam ea est poenae multae certatio. Liu. XXV, 4.) tum agi indicat, cum accusatio instituta sit a magistratu. Nihil igitur causae erat, cur aut Bakius quam uel quae uel quorum, aut Halmius (in Phil. p. 177.) quoi coniiceret. Particula quom, id quod Bakius ait, cur a sermone legis aliena sit, non perspicio; et eandem codd. omnes tenent §. 9. quom senatus creuerit populusue iusserit; ubi quas de Bakii coniectura restituere temeritatis est. Cf. etiam §. 10.

geret] Uict. Dau. Ern. Wagn. secundum dett. quosdam codd. gerat. Sed futurum praeceptis aut legibus edendis in sententia relatiua frequentissimum est. Cf. II. §. 21. quae pro populo rite fient. III. §. 10. 11. Off. I, 11. 35. ib. 14, 42. 25, 88. 28, 136. 40, 142. 41, 148.

Minores magistratus] Quemadmodum maiores magistratus ii sunt, quibus maiora auspicia erant, consules, praetores, censores: ita minores sunt ii, quibus auspicia erant minora. Cf. Gell. N. A. XIII, 15. Qui quod partiti iuris plures in plura esse iubentur, hoc praescribitur, ut in suo quoque genere plures sint magistratus minores eorumque munera a reliquorum muneribus seiuncta, ut alia sint quaestorum, alia aedilium, alia aliorum. Ius enim pariter h. l. atque III. §. 48. de munere dicitur atque officio. Cf. II. §. 63. Qui deinceps describuntur magistratus, sunt tribuni militum (quos magistratus esse habitos, inde patet, quod partim eorum populi suffragio deligebantur. Liu. VII, 5. Halm pro Sest. p. 92.), quaestores, triumuiri capitales, triumuiri monetales, decemuiri stlitibus iudicandis. Recte uero primus Bakius ploera scripsit, cum Steph. Man. Dau. Ern. Wagn. plera, Goer. Sch. Mos. Or. pluria scripsissent. Similiter prisce §. 9. oenus pro unus, §. 10. coerari pro curari et oesus pro usus. Sed quod huic rationi consentaneum erat, ut §. 7. cum Lbino, Dauisio, reliquis praeter Bakium coeratores scriberem pro curatores, id inuitis codd. omnibus facere non ausus sum.

quibus iussi erunt sc. imperare Cf. Cic. Verr. I, 26. 65. rogat Rubrium, ut quos ei commodum sit (sc. inuitare), inuitet. Off. I, 18. 59. I, 32. 118. II, 16. 68. Praescribitur hoc, quia uel in comitiis creati tamen ab eo, qui cum imperio apud exercitum erat, iubebantur his uel illis imperare: cui obtemperare hac lege iubentur. Quapropter inutilis est Wagneri coniectura obtemperanto, praua Rathii: a quibus iussi erunt, iis parento. Itemque Manutii coniectura aerariique pro eorumque merito explosa est. Eorum recte refertur ad eos, quibus imperare iussi sunt.

aurumue] Orellii coniecturam aes argentum aurum, in hac plena rerum enumeratione haudquaquam necessariam, immerito Bakius probauit in comment.

quodcumque i. e. quodcumque, quod quidem cum ipsorum munere coniunctum sit, senatus creuerit. Inutilis est Bakii coniectura quodque.

§. 7. ollisque cet.] Aedilitas primus amplioris honoris adscensus esse dicitur, non quod hinc demum ad ampliora, praeturam, consulatum, censuram progredi licuerit (quod secus esse Beckerus ostendit in Ant. rom. II, 2. p. 380.), sed quia qui aediles erant, etsi non maiores erant magistratus, tamen ipsi iam ampliore honore fruebantur. Cf. Verr. V, 14. 36. Polyb. X, 4. Ampliore illo honore non item fruebantur quaestores; ita quaestura in Verr. I, 4. 11. primus honoris, non amplioris honoris gradus uocatur. Peruerse Bakius in comment. maiore interpunctione post sollemnium posita ollis ad omnes illos magistratus minores referri dixit. Ex reliquis autem magistratibus minoribus aediles seorsim descripsit, quia et reliquis auctoritate praestabant et ab eorum commemoratione facilis erat transitus ad magistratus maiores.

aeuitates prisce pro aetates; suboles i. e. liberos (Nachwuchs); familias sc. seruorum (Cic. Off. III, 23. 89. Par. V. §. 36. Jordan pro Caec. p. 232.); pecunias i. e. rem familiarem (Fest. s. u. pecunia p. 130. ed. Lind. Ulp. 195. Dig. de uerb. sign. 50, 16. Burm. ad Suet. Ner. 4, 5.).

urbis templa] Uidetur sane meliorum codd. mendum urbistatem pla indicio esse, ut multis locis aliis, ita h. l. mendi ueteris correctionem in dett. codd. ita esse tentatam, ut mendum omitteretur; eiusque rei indicium uel in hoc mihi uideor inuenire, quod singula nominum paria h. l. coniuncta fuisse uidentur. Sed quod Bakius coniecit tecta templa, quia sollemniter ista coniungerentur (exemplis a Bakio laudatis Cic. Phil. I, 2. 5. XIV, 10, 27. adde haec pro Sest. 24, 53. in Pis. 9, 21.), id ego non probauerim propterea, quia quotiescunque tecta et templa urbis commemorantur, priuata aedificia opponuntur aedibus publicis in auguratis. Priuatorum autem aedificiorum tuendorum non mandata erat cura censoribus. Itaque cum praeter templa loca etiam publica censoribus tuenda essent tradita, loca potius quam tecta restituerim. Cf. Liu. XLII, 3. censorem moribus regendis creatum, cui sarta tecta exigere sacris publicis et loca tuenda more maiorum traditum esset. Uide etiam Liu. XXXIX, 44.

tuento] Man. et Lamb. cum dett. quibusdam codd. tuentor. Sed plurium uerborum deponentium prisce actiuam formam esse usurpatam satis constat. Cf. Reisigii schol. grammat. p. 243. sqq.

describunto] Pro dett. quorundam codd. correctione distribuunto, quae adhuc uulgata est, merito Zumptius

et Bakius restituerunt aliorum codd. scripturam describunto, confirmatam illam meliorum codd. mendo discribunto. Uide similem corruptelam in melioribus discriptione pro descriptione III. §. 12 et de Rep. II, 22. Recte quidem populus rom. (Cic. de Rep. II, 22.) in tribus distribui dicitur, non item recte populi partes distribui dicuntur in tribus. Non sunt enim populi partes, ut §. 11. classes, quemadmodum Mosero uisum est, sed uniuerse dicuntur, ut sententia haec sit: „populi partes tributim describunto". Similiter populi partes tributim et centuriatim describi dicuntur pro Flacc. 7, 15. quae scisceret plebes aut quae populus iuberet, summota concione, distributis partibus tributim et centuriatim descriptis ordinibus, classibus, aetatibus, auditis auctoribus, re multos dies promulgata et cognita iuberi uetarique uoluerunt. Quod autem et h. l. partes tributim et centuriatim descriptae i. e. tribus et centuriae et Cic. Cat. I, 4. 9. partes Italiae distribui dicuntur, eius rei prorsus alia est ratio. Nam pro Flacc. partes populi distribui ita dicuntur, ut singuli in suas tribus et centurias discedere iubeantur et in Catilinaria oratione sermo est de partibus Italiae inter Catilinariae coniurationis socios distribuendis.

pecunias — partiunto] Paullo ante censores aeuitates, pecunias censere i. e. qua quisque aetate, pecunia sit, describere dicuntur; hoc loco populum secundum aetates et pecunias in classes et centurias diuidere itemque ordines i. e. senatores et equites legere iubentur. Parum recte Moserus pecunias partiri dici existimat de tributo cuique pro facultatibus imponendo.

equitum peditumque] Hoc non iam ad ordinum descriptionem, sed ad rem militarem spectat, si quidem, qui equites quique pedites militarent, a censoribus constituebatur tabulis censoriis.

caelibes] Apud Romanos ante legem Juliam et Papiam Poppaeam de maritandis ordinibus nihil hac de re lege sanctum fuit, sed cura tamen eius rei mandata erat censoribus (Gell. N. A. I, 6.), qui aes poenae nomine eos in aerarium deferre iusserunt, qui caelibes ad senectutem peruenissent. Ual. Max. II, 9. 1. Uxorium hoc aes esse appellatum Fest. tradit s. u. uxorium.

mores pop. reg.] De morum regimine cf. Beckeri Ant. rom. II, 2. p. 208. sqq., de senatoribus per censores senatu mouendis eundem p. 230. Cf. §. 10.

quinquennium] Censores initio in quinquennium creati inde ab a. u. 320. lege Aemilia a Mamerco Aemilio dictatore lata in annum unum et sex menses creari coeperunt. Liu. IV, 24. IX, 33. Sed quinquennii spatium, nisi forte iam Ciceronis aetate factum erat, id quod ex Zonara VII, 9. collegeris, reuocari Tullius iubet.

reliqui annui sunto] Est hoc exemplum ex peruagato genere eo, quo duae sententiae, quarum nos alteram primariam, secundariam alteram ponimus *), ex aequo ponuntur. Quod genus tetigit Madu. de Fin. p. 33. et uberius tractauit in Emendatt. p. 24. sqq. Cf. III. §. 22. Pompeiumque nostrum — effero laudibus, de tribunicia potestate taceo. III. §. 49. nos autem de iure naturae — dicere debemus, de iure populi romani, quae relicta sunt et tradita. Quod fugit et Moserum, Zumptium, Orellium, qui haec uerba parenthesi circumscripserunt, et Bakium, qui hoc non suo loco praecipi dixit.

eaque potestas] Semper esse censura iubetur, quia acciderat, ut non quinto quoque anno censores crearentur censusque ageretur. Cf. Beckeri Ant. rom. II, 2. p. 195. Niebuhr Hist. rom. II. p. 176—187. ed. 1.

§. 8. iuris ciu. custos esto] Hac legis parte praetorum libido prohibetur in edictis uel proponendis uel sequendis.

regio imperio] Cf. Cic. de Rep. II, 32. atque uti coss. potestatem haberent tempore duntaxat annuam, genere ipso ac iure regiam. Coss. antiquitus praetores et iudices esse appellatos a praeeundo et iudicando, constat ex Uarrone ap. Non. s. u. consulum, Festo s. u. praetoria porta, Liu. III, 55. Zonara VII, 19. Sed inutilis tamen est Dauisii coniectura a praeeundo, ut a quo nomen acceperint, significetur, ut Quint. Inst. Or. I, 6. 32. sit enim cos. a consulendo uel a iudicando. Sunt ablatiui causae, ut Cic. Or. 19, 62. Theophrastus diuinitate loquendi nomen inuenit.

nemini parento] De hoc summo consulum imperio militari cf. Polyb. VI, 12. 5. Uide etiam §. 6. Cic. de Rep. I, 40.

his] Satis hoc pronomen confirmatur mendis codicum. Scriptura ollis ante Bakium uulgata nulla codd. auctoritate nititur. Ceterum hac lege coss. in discrimine rerum legibus

*) sie sollen das Amt fünf Jahre lang haben, während die übrigen Aemter ein Jahr dauern sollen.

soluti uidere iubentur, ne quid detrimenti capiat res publica. Cf. Cic. Phil. XI, 12. 28.

eumdem magistratum] Legem Tullius instaurauit pridem a L. Genucio a. u. 412. latam (Liu. VII, 42.) et a Sulla renouatam (App. B. C. I, 100.) nec semper tamen obseruatam. Spectat et haec et quae sequitur lex annalis, primum a L. Uillio tr. pl. a. 574. lata (Liu. XL, 44.), ad omnes magistratus maiores, atque haud scio an etiam ad aedilitatem, quam a reliquis magistratibus minoribus seiunxit.

§. 9. discordiae] In cod. arch. discordiae fuit, non discordiaeue, quod post Lbinum, Gruterum, Ernestium reliqui ediderunt. Nec opus esse particula ue arbitror in hac rerum enumeratione, quarum haec aut illa esse possit. Satis est utramque separatim ponere. Cf. II. §. 31. cum populo, cum plebe. III. §. 6. poenae, multae certatio esto. Me inuito in uerborum seriem part. ue irrepsit. Mox Lbini coniectura escunt, oenus (ipse scripserat unus) et meliorum codd. mendo confirmata et ad sententiam maxime accommodata merito probata ab omnibus est; priores ex dett. codd.: estunto, ne amplius.

tenunto] Retinui cum Uictorio tenunto, quod in cod. arch. fuisse certum est, nulla correctione opus esse ratus nec Stephani tenento, quam denuo Bakius commendauit, nec reliquorum teneto. Et quidem secundum tertiam coniugationem tenendi uerbum prisco Romanorum sermone esse declinatum testis est et Festus, qui p. 131. et 217. ed. Lind. futuri exacti formam tetinero et Nonius p. 178, qui itidem perfecti formas tetinerim, tetinerit, tetinisse ex Pacuuio et Attio excerpsit. Pluralis autem numerus (nam ut ad oenus uerbum referretur, singularem poni oportuit) per attractionis quoddam genus et Graecis et Romanis usitatum ad consules refertur. Cf. Cic. Phil. IV, 4. 9. quis illum igitur consulem nisi latrones putant. Ouid. Trist. IV, 10, 85. si tamen exstinctis aliquid nisi nomina restant; et aliquanto insolentius, quia particula ut uerbum non habet, ad quod referatur, Liu. IV, 2. reminiscerentur, quam maiestatem senatus ipsi a patribus accepissent, quam liberis traditur essent, ut quemadmodum plebs gloriari posset, auctiorem ampliore mque esse. Graecorum exempla sunt apud Thuc. I, 82. III, 47. Cf. Popo de eloc. Thuc. p. 160.

magister populi] Dictatorem magistrum populi esse appellatum produnt Cic. de Rep. I, 40. Varro L. L. IV. §. 14. Fest. p. 194. s. u. optima lex.

equitatumque qui] Haec Orellii coniectura maxime confirmatur mendo codd. meliorum equitatem cumque*), quod ita natum est, ut duabus syllabis postremis a prioribus disiunctis librarii inscitia nouam accusatiui formam confingeret. Minus probabilis est Dauisii coniectura equitemque qui regat, quam ab Ernestio et Wagnero receptam probauit Bakius; qua probata nec mendi origo perspicitur nec commode in hac lege eques dicitur pro equitatu. Moserus contorte equitatumque is qui regat ita coniecit, ut is ad dictatorem referretur; peruerse Lbinus: equitatum quicunque regat, habeto par ius cum eo cet.; denique latino sermoni parum conuenienter Steph. Man. Goer. Sch. scripserunt equitem cumque qui regat.

quicumque] Magistro equitum idem iuris datur quod ei, quicumque praetor est, ut quemadmodum praetor consuli, ita dictatori magister equitum pareat. Nulla autem in his uerbis inest significatio magistri equitum non a dictatore dicendi, id quod Orellio uisum est. Inscite Bakius pro quicumque coniecit quique.

ast quando nec consul] Nolo exagitare antiquiorum inuenta, Manutii: ast quando cos. iisset (i. e. periisset) magistratusue populi, reliqui magistratus ne sunto; Turnebi in primo commentario: ast quando cos. abest magistratusue populi, reliqui magistratus ne sunto; Lambini in edit. 1566: ast si quando consulatus est magistratusue populi, nec reliqui magistratus ne sunto; Gebhardi: ast quando consul is est magisterue populi, reliqui magistratus ne sunto. Quorum nihil potest probari. Nec propius tamen ad uerum accesserunt aut Dauisius (ast quando magister est populi, consules reliquiue magistratus ne sunto) aut Rathius (ast quando escit magister populi nec consules nec reliqui magistratus ne sunto) aut Ernestius (ast quando is est magister populi, reliqui magistratus ne sunto) aut Gzius, Schuetzius, Moserus, qui Ernestii coniecturam ita probarunt, ut pronomen is omitterent. Quid enim? Horum omnium coniecturae nec satis codicum uestigia sequuntur nec uerae ad sententiam sunt. Non enim uerum est dictatore dicto reliquos magistratus abdicasse; munera sua obibant dictatoris imperio subiecti. Cf. Beckeri Ant. rom. II. 2. p. 165. sqq. Deinde, id quod uere Maduigius uidit in Emendatt. p. 83, uerba auspicia patrum sunto separari non possunt a

*) in annot. crit. post equitatem omissum est cumque.

reliquis; inepte enim auspicia, a patribus tamquam ex fonte translata ad magistratus, generaliter iubentur patrum esse, non addito tempore, quo ad eos redire debeant. Si autem cum superioribus ea coniunxeris, peruerse dictatori auspicia abiudicantur; nam magistratus esse non possunt, si patrum sunt, ad quos tum demum redire possunt, cum nullus est magistratus patricius. Cf. Cic. ep. ad Brut. I, 5. fin. Sagaciter, ut solet, Maduigius hanc his uerbis sententiam contineri declarauit: cum nec consul magisterue populi nec reliqui magistratus essent, tum auspicia patrum esse iuberi. Quam quia probabam sententiam nec tamen item uerba, quibus expresserat (ast quando coss. magisterue populi nec reliqui magistratus nec escunt, auspicia patrum sunto), probari posse uidebam (dici enim certe oportuit ast quando coss. magisterue populi nec reliqui magistratus nulli sunt, ut ita oratio conformaretur, quasi negatio postremo loco esset secutura, sed ea ipsa tamen duobus nominibus positis in tertio nominando praeciperetur, ut apud Ter. Eun. V, 8. 47. Heaut. I, 1. 11.), quoniam igitur nec illius nec Bakii uerba (ast quando coss. magisterue populi nec reliqui magistratus escunt, auspicia patrum sunto) probari posse uidebam: ipse conieci ast quando nec consul escit magisterue populi nec escunt reliqui magistratus, auspicia patrum sunto. Uerum nec satis probabilis est omissio uerborum ne sunto nec aptam nunc uideo sententiam esse. Si enim tum demum, cum nullus esset magistratus patricius, auspicia ad patres redire iuberentur, hoc nusquam sane fieri potuisset. Quis enim illud umquam fieri potuisse existimet, ut consules duo, praetores omnes aedilesque curules uno anno simul interciderent? Sed fac tamen hoc ipsum hac lege prouisum esse; quam tunc rationem sequebantur, cum nec dictator nec consul esset, sed essent tamen praetores et aediles curules? An praetores, ne dicam de aedilibus curulibus, quibus minora tantum auspicia erant, senatum interregis creandi causa habere poterant? Ita quidem auspicia a praetore translata essent ad interregem, ab hoc deinceps ad consules recens creatos. Hoc quidem fieri nullo pacto potuit. Nam etsi praetori quoque maiora erant auspicia, non eiusdem tamen potestatis et consulis et praetoris auspicia fuisse Gellius tradit XIII, 15. 4; eaque una causa erat, cur praetores comitia habere non possent consulum rogandorum causa. Quid igitur? Quia a praetore et aedili curuli auspicia transferri non poterant ad consulem nec tamen auspicia redire poterant

ad senatum, quam diu ullus erat magistratus patricius: reliqui magistratus, cum nec consul nec dictator esset, magistratu abire iubebantur, ut auspicia ad patres redirent. Cf. Beckeri Ant. rom. II. 1. p. 308., qui idem factum esse comprobauit, si consules uitio creati iussi essent magistratu se abdicare. Huic rationi quod consentaneum est, Tullii uerba ex meliorum codd. uestigiis ast quando consulis magistratusue populi nec rũt reliqui magistratus ne sunto hunc in modum leuiter refingenda puto: ast quando consules magisterue populi non escunt, reliqui magistratus ne sunto. Mendi, quod est in codd. melioribus nec rũt, origo facillima fuit, si non escunt sic scriptum erat: ñescũt. Est autem, quod post consulis in codd. dett. reperitur, iam non puto in cod. arch. fuisse, sed correctionem esse tentatam in dett. et inde translatam in A B 11. 65. et si fides Bakio habenda est, in cod. E.

possit] Pro mendo cod. arch. possint merito Manutii coniecturam possit, quae ne Bakio quidem displicuit, receperunt Goer. Sch. Mos. Or. Etenim singuli interreges creabantur, et singulari etiam numero mox §. 10. utitur (eique quem patres produnt). De interregibus autem successu temporis prodendis cogitare inficetum est.

imperia per metonymiam uocantur ii, qui lege curiata instructi erant imperio militari i. e. proconsules et propraetores nec non consules, dictator et si qui alii imperio militari ornati aduersus hostem proficiscebantur (nam parum recte Bakius dixit hanc legem tantum de prouinciis regundis esse); potestates autem magistratus ciuiles, ut quaestores, qui eorum, qui cum imperio erant, comites erant; nam aliae potestates ex urbe non exibant.

se et seruos] Fuerunt, qui se et suos commendarent. Et poterat sane generalius loqui, quemadmodum fecit in Verr. II, 10. 28. comites nominans, non debebat. Ministri enim, quos plurimos secum habebant, maximam partem uel serui uel liberti erant, quos et ipsos seruorum nomine h. l. comprehendi uere Gzius animaduertit. A quibus plurima proconsulum aut propraetorum nomine nefarie gesta esse, quis ignorat? Cf. Cic. in Verr. II, 10. 27.

populi sui] Bakius, qui pro sui, quod abundaret, coniecit sine ui, non attendit h. l. sermonem esse de potestatibus in aliena terra commorantibus, qui soi populi gloriam augere iubentur, non eius, quocum illis res est.

ratum esto] Sancit nimirum id, quod cum aliis legibus (Ualeria a. 305, Publilia a. 415.), tum Hortensia a. 467.

sanctum Romae erat, ut quod plebes tributim iussisset, Quirites omnes teneret. Cf. de illis Liu. III, 55. VIII, 12; de hac Plin. H. N. XVI, 10. 37. Gell. N. A. XV, 27.

nene plebem cet.] Idem in republica rom. sanctum fuit lege Duillia (a. 305), ut qui plebem sine tribunis reliquisset, tergo et capite caederetur. Liu. III, 55.

§. 10. auspicium] Maioribus magistratibus maiora, minoribus minora erant auspicia. Cf. Gell. N. A. XIII, 15. Hartung Rel. der Röm. I. p. 111. sqq.

iudiciumque] Omnibus magistratibus in suo cuique munere accusandi et multae dicendae potestatem fuisse tradunt Dion. Hal. X, 50. Gell. N. A. XI, 1. 3. Ceterum cum maioribus non omnes omnino dici magistratus minores, uelut triumuiros capitales, monetales, reliquos, sed eos tantum, quorum certus ordo esset (quaestores, aediles, praetores, consules) uel hinc intelligitur, quod ex eis senatus esse iubetur; quod sic puto intelligi oportere, ut magistratus anno in senatu possint adesse, eo praeterlapso per ipsos censores legendi sint. Cf. §. 7. Beckeri Ant. rom. II, 2. p. 304.

exque iis] Sic malui cum Uict. Or. Bakio scribere, quam cum Gzio et Mosero exque his (Lamb. eque his). Steph. Dau. Ern. Wagn. Schuetz. ex quois, Manutius ex quis. At pron. relat. alienum est in proponenda lege noua.

ast potestas] Pro eo, quod in cod. arch. fuit ast potestas, Uict. Steph. Lamb. Dau. Ern. Wagn. peruerse scripserunt ast ni pot. (nam seruari etiam solebant senatus auctoritates, non modo decreta); melius de Wyttenbachii coniectura Moserus et Orellius ast si pot., quod idem Bakius probauit tentatumque pridem est in cod. β (at si). Sed parum credibile est, paucorum uersuum interiecto spatio tribus deinceps locis (nam etiam aut quid natum est ex ast quid, non ex ast si quid) eandem particulam aut casu periisse aut de industria esse sublatam. Itaque ast cum Man. Goer. Schuetzio retinendum puto, non quod ast cum illis pro ast si usurpari existimem (nihil enim prisca forma ast differt a recentiore at), sed quia Romani interdum duas sententias, quarum altera alterius conditio est, conditionali particula omissa ex aequo ponunt, esse aut fieri aliquid fingentes, quod si factum sit, aliud sequatur. Cf. Hor. Sat. I, 3. 15. decies centena dedisses huic parco, quinque diebus nil erat in loculis. Ter. Heaut. III, 1. 78. dare denegaueris: ibit ad aliud illico. Magnam exemplorum copiam ex poëtis collegerunt Bentl. ad Hor. Sat. II, 6. 48. Heindorf

ad Hor. Sat. I, 1. 16. Nec uero a pedestri oratione hoc alienum esse, multi ueterum scriptorum loci arguunt. Cic. de Fin. II, 17. 57. occultum esse facinus potuerit, gaudebit; deprehensus omnem poenam contemnet. de Nat. Deor. I, 21. 57. in Verr. III, 2. 4. pro Sest. 42, 92. Par. V. §. 36. VI. §. 44. Beier ad Off. III, 19. 75. Zumpt. ad Verr. V, 65. 168. Kritz ad Sall. Jug. 64, 5.

prohibessit] Est haec mendi prohibet se, quod est in codd. melioribus, uerissima correctio, inde a Stephano uulgata. Sed male simul a plerisque recepta est ea mendi correctio, quae est in deterioribus, senatus consulta. Quod si ad seruanto retuleris, absurdum est (erat enim id, quod senatus decreuit, si prohibitum erat, non senatus consultum, sed auctoritas. Dio Cass. LII, 23. LV, 3. Cic. ad Fam. VIII, 8. Manut. ad Fam. I, 2.), si ad prohibessit, non necessarium, quia facile decreta audiuntur ex eis, quae praecedunt. Itaque cum Manutio et Gzio, quorum etiam Bakius rationem probauit, illud deleui.

is ordo uitio uacato] Supra §. 7. censoribus senatus purgandi officium iniunxit; h. l. quid senatores ipsi sequi debeant, praecipit.

quom suff. consciscentur] Haec nescio cuius coniectura a Gebhardo expressa et ab Ernestio inde uulgata, in qua tamen aequabilitatis causa pro quum substitui quom, cum reliquorum codd. mendis, tum mendo Gd. 2. confirmatur. Ita creatio magistratuum, iudicia populi, iussa uetita, cum suffragiis sciscentur, nota esse iubentur optimatibus; id quod hanc uim habet, ut ista omnia, dum sciscantur, non scita demum nota esse uelit. Quod idem est atque si dicat suffragia in magistratibus creandis et in legibus sciscendis optimatibus nota sunto. Cf. §. 38. Quapropter non opus est hac audaciore uerborum transpositione a Turnebo et Lbino in edit. 1566. commendata: cum consciscentur, suffragia optimatibus nota; quam Steph. etiam et Manutius ita probarunt, ut pro consciscentur scriberent sciscentur. Consciscendi uerbum recte in iis usurpatur, qui una cum aliis rem sciscunt. Cf. Liu. I, 32. senatusque populi romani Quiritium censuit, consensit, consciuit, ut bellum cum priscis Latinis fieret. Liu. X, 18. Tusci fere omnes consciuerant bellum. Dauisius praue pronomine transposito coniecit: cum suffragiis sciscentur, ea optimatibus; Bakius perperam secundaria sententia a uerbo disiuncta et ad subiectum relata: iussa uetita, quae suffragiis sciscentur, haec

optimatibus nota. Plurali numero suffragiis, quem Dau. et Bakius commendarunt, non opus est. Plin. H. N. XVIII, 6. 8. cum in suffragium tribus oporteret ire. Liu. XXXI, 7. centurias in suffragium mittere; ibid. ite in suffragium. X, 21. ad suffragium centurias uocare.

IV. Ast quid] Sic recte Manut. et Gzius. Uide quae modo dixi. Uict. Steph. Dau. Ern. Wagn. at si; ast si Wyttenbachio suasore Mos. Or. Bak.

coerari oesus sit] Haec Taurellii et Dauisii coniectura, a Gzio illa probata, Maduigio (Emendatt. p. 86.), Orellio, Bakio non minus meliorum codicum mendo, quam sententia atque oratione confirmatur. Turn. Man. Lamb. Ern. Wagn. Schuetz. Mos. coeratore oesus (Lamb. usus, Man. usu) sit.

produnt sc. si necesse est, contra quam in aliis magistratibus, quos populus solet creare. Est igitur mera, ut uere Bakius uidit, magistratus descriptio sine ullo rei gerendae indicio. Quapropter non opus est Moseri coniectura prodent.

rogassit] Rogare, si creandi uim habet, non dicitur, nisi de magistratibus populum legem uel magistratum rogantibus. Itaque recte paullo ante dicitur consulum rogandorum causa (interrex enim populum rogat), itemque de Diu. I, 17. 33. Ti. Gracchus comitia consulibus rogandis habuit. Liu. I, 17. magistratibus rogandis, multis locis aliis; nusquam autem populus uel plebs legem aut magistratum rogare dicitur. Nimirum rogatur, non rogat. Quocirca probo equidem Bakii coniecturam plebes creassit ut necessariam, rogandi uerbum quod praecedit causam esse ratus, ut idem a librario dormitante repeteretur. Mox Turn. Man. Lamb. censuerint pro oesus erit. Deinde sine causa Lbinus quaeque cum populo, quod item Gzio placuit.

§. 11. ast quid] Non opus est correctione ulla nec Dauisii quom nec Moseri quidquid nec Orellii, quae Bakio placuit, ast si quid. Omnium autem minime probari potest, quod Man. Ern. Wagn. ediderunt ast qui turbassit. De passiua uerbi forma non recte dubitatum est. Cf. Uarro de Re R. c. 14. parietes omnes, ut iussitur, calce et caementis faciat.

actoris] Auctoris, quod in cod. arch. fuisse certum est, solus Ern. retinuit cum Wagnero. At non de auctore rogationis, qui uel alius esse potest atque actor, ueluti legis cuiusdam agrariae actor fuit Flauius tr. pl., auctor Pompeius (Cic. ad Att. I, 19. 4.), sed de actore

agitur; omnisque ea de re dubitatio tollitur explicatione §. 42, ubi plerique codd. actoris nomen tenent.

auguri publico] Augures publicos et habitos et nominatos esse Festus tradit s. u. publici augures, publicique nominantur II. §. 20. Quod in explicatione legis §. 43. non item additum est adiectiuum, haec causa est, quod legem plene propositam satis erat indicare. Temere Steph. Man. Ern. Wagn. publico omiserunt. Augures autem a magistratibus in auspicium adhiberi esse solitos satis constat. Cf. Beckeri Ant. rom. II, 3. p, 71. Hartung Rel. der Röm. I. p. 112.

promulgata cet.] Uerba in aerario, quae in cod. arch. fuisse certum est, ab hoc loco aliena esse fere omnes consentiunt. Nimirum agi non possunt ea, quae iam in aerario sunt condita. Haec acta iam erant et scita a populo. Itaque alii retentis et transpositis illis in aerario uerbum correxerunt, ut Puteanus (promulgata, cognita agunto, in aerario seruantor) et Dauisius (promulgata, populo placita in aerario condita sunto), alii seruatis uerbis reliquis pro aerario nomen aliud substituerunt, ut Manutius (proposita in foro), Gzius (prop. in aere), Orellius (prop. in albo), Bakius (proposita tempore). Quorum ego nihil probo. Si his participiis et prouulgatio et suasio ac dissuasio denotaretur, illam solo promulgandi, hanc cognoscendi uerbo declarari putarem, ut pro Flacc. 7, 15. atque uerba proposita in aerario pro interpretamento haberem. Sed cum suasio ac dissuasio deinde separatim commemoretur (rem populum docento cet.), haec omnia ad solam prouulgationem rei, de qua cum populo agatur, uidentur referenda esse. In hac autem eiusdem rei commemoratione trium uerborum cumulatio, quam duorum coniunctio uidetur aptior esse. Quapropter sola uerba in aerario, id quod ante iam Wagnero placuit, expellenda censeo.

nec plus] Nec, cuius particulae uis negandi ad plus, non ad uerbum pertinet, ego cum Bakio restitui ex codd. melioribus; superiores ne plus. Cf. quae dixi II. §. 19.

de singulis rebus simul] In cod. arch. semel fuisse plerorumque codd. consensus arguit. Sed nunc non illud, ne de eadem re populum rogent saepius, sed hoc praecipitur, ne duas res coniungant lege una (cf. expl. §. 43.); id quod saepe ante factitatum cautum est lege Caecilia et Didia a. 655. Cf. Cic. pro Dom. 20, 53. Eiusmodi legem saturam esse uocatam auctor est Festus s. u. satura. Hanc sententiam quia effici putabam Gruteri

coniectura simul, quam ab Ernestio et Wagnero probatam in uerborum seriem Moserus et Orellius receperant, hoc substituere satius habebam, quam cum reliquis semel expellere. Aliter nunc sentio semelque omnino expellendum censeo, non quod hanc abundantiam, quam uocula simul habeat, a legis sermone admodum alienam putem, sed quia a singularum rerum agendarum notione uoculam simul, quae ad plures spectat eodem tempore agendas (Jordan pro Caec. p. 180.), abhorrere existimo. Hanc enim uim uerba nec plus quam de singulis rebus habent: „tantummodo de singulis rebus.

docento] Pertinent haec ad suasionem ac dissuasionem legis, quae fiebat uel ab eo, qui laturus erat, uel ab aliis et magistratibus et priuatis pro concione, antequam comitia haberentur (cf. Beckeri Ant. rom. III, 3. p. 91.); idque ut fieri pateretur is, qui concionem aduocasset, hac lege (doceri — patiunto) sanxit. Immerito igitur haec Bakio interpretationem sapere uidentur.

patiunto] Sine codd., ut uidetur, Uict. Man. Lamb. patiuntor. Cf. §. 7.

priuilegia sunt iussa populi uel plebis in priuos i. e. singulos ciues irrogata, cum leges attingant omnes. Gell. N. A. X, 20. Fest. s. u. priuos. Uetitum id erat et legibus sacratis et XII tabulis. Cf. pro Dom. 17. pro Sest. 30, 65.

de capite ciuis i. e. de omni ciuis statu, libertatis, ciuitatis, familiae; nam haec tria caput eius continebant., Cf. Geib Criminalprozess p. 24. Beckeri Ant. rom. II, 1. p. 100.

comitiatum maximum i. e. comitia centuriata. De capite autem ciuis rom. ne quid statueretur nisi in comitiis centuriatis, iam XII tabulis sanctum fuit. Cic. de Rep. II, 36. pro Sest. 30, 65; eaque uel postea ualuit ratio, etiamsi aliquoties tribuni plebis hanc legem perruperint, ueluti in accusando Coriolano. Cf. Marquardt Ant. rom. II, 3. p. 152. sqq. Partes populi sunt h. l. classes et centuriae, in quas populum censores distribuebant; particula que explicandi uim habet. Cf. Seyff. ad Lael. p. 151.

quod quis earum rerum] Genus neutrum pronominis ad nominis uim, non formam relatum nihil insolentiae habet. Caes. B. G. I, 32. nihil earum rerum. Sall. Jug. 102. rerum humanarum pleraque. Cic. de Diu. I, 53. 119. earum rerum utrumque a corde proficisci. Cf. Kritz ad Sall. Jug. 41. 1.

fidem legum] Ex cod. arch. mendo fidem legem plerique extricarunt correctionem fide legem, Lbinus et Orellius, qui plurali numero opus esse perspexerunt, fide

leges. Sed fide si aduerbium esse cum Mosero existimaueris, non usitatum fuit, siue pro ablatiuo cum aliis habueris, ne is quidem Romanorum consuetudini conuenit. Cf. Seyff. ad Lael. p. 465. Madu. de Fin. p. 22. Nam alia est ratio loci de Off. II, 8. 27. socios aequitate et fide defendere; ubi ablatiui instrumenti sunt, non modi. Ut recte tamen diceretur fide custodire, custodiendi modus describeretur; hoc autem loco id praecipi necesse est, ut fides legum sit incorrupta nec dubitata. Uerissime igitur Maduigius (in progr. p. 26.) et Bakius coniecerunt fidem legum. Et similiter Cicero dixit pro Arch. 5, 9: nam cum Gabinii leuitas — omnem tabularum fidem resignasset et Quint. Inst. Or. V, 7. 36. aliter oraculorum, aliter haruspicum fides confirmari aut refelli potest. Idem Zumptius probauit in interpretatione uernacula. Sed quod in melioribus codd. id esse dixit, haud dubie lapsus est.

priuati i. e. ii, qui magistratu abierunt. §. 47.

discedere] Hoc merito post Lbinum Madu. commendauit in progr. p. 27. recepitque ex codd. melioribus Bakius. Comitiorum consuetudinem facete. h. l. Tullius imitatur. Nam quando ad legem sciscendam populus in comitium conuocabatur, primum lex recitabatur. Cf. Marquardt Ant. rom. II. 3. p. 95, qui praeter alios laudat Cic. Phil I, 8. 19. I, 10. 24. App. B. C. I, 11. Quo facto populus in centurias aut in tribus discedere iussus tabulas accepit. Quo in genere discedendi uerbum legitimum fuisse auctor est Asc. Ped. pro Corn. Balb. p. 70. Or. (His peractis cum id solum superest, ut populus sententiam ferat, iubet unumquemque is, qui legem fert, discedere. Imperatiui forma discedite, quam a Dauisio commendatam probarunt Moserus et Orellius, h. l. nec opus est, quia satis est de illo comitiorum more admonere, nec probabilis propterea, quia, ut uere Madu. uidit, isto modo posterius priori tamquam conditioni praecedenti adiungitur (in Verr. I, 17. 45. II, 23. 57. Tusc. I, 13. 30.) nec Tullius hoc in genere copulandi particula utitur, ut posteriores. Cf. exempla a Maduigio allata: Sen. Ep. 4, 16. 13, 15. 16, 6. 20, 6. de Benef. IV, 18. 3. Peruersitas coniecturae discerem a plerisque probatae (Steph. Man. Ern. Wagn. Goer. Sch.) uel hinc apparet, quod in ipsis comitiis, antequam in suffragia iretur, nec suadendae nec dissuadendae legi locus fuit.

V. §. 12. sed ea] Non nouam quandam haec sententiam continent, sed attributi instar adiunguntur praecedenti

nomini descriptionis, ut Cic. Cat. Mai. 18, 65. (seueritatem in senectute probo, sed eam, sicut alia, modicam). Non necessaria est igitur Bakii correctio sed ea p. n. ciu. est. Atque si esset necessaria, rectius certe est post nostrae restitueretur. Lbinus sine causa et ea paene.

in illis libris] Quod in cod. arch fuit in libris, id quoniam oppositum esset sermoni, probari non potest; meritoque de Turnebi coniectura, quae eadem tentata est in codd. β et γ, posteriores pron. illis addiderunt. Sed quia grauiter illi libri monstrantur, pronomen cum Orellio et Krausio (in Jahnii Ann. 1849. p. 77.) ante libris restitui, quo loco positum est, ubicunque hoc in sermone illi de rep. libri indicantur. Cf. III. §. 13. §. 32. §. 38; quibus locis Krausius addidit ad Att. X, 4.; reliqui in libris illis.

temperationem] Cf. quae de hoc attractionis genere dixi I. §. 47. Inutilis est Lbini coniectura temperatio. Spectant autem haec ad ea, quae disputauit Cic. de Rep. II, 23.

qui praesint] Coniunctiuum a Steph. Man. Dau. Ern. Wagn. uulgatum merito ex codd. melioribus Bakius reuocauit. Quem cur post Uict. et Lbinum Gzius, Schuetzius, Moserus, Orellius repudiarent indicatiuo adscito ex deterioribus, causa nulla erat; non minus enim recte haec sententia alteri implicata, quam ab ea uindicata ponitur, ut Off. I, 25. 89.

ex eorum comp.] Praepositio ex, quae a paucis tantum codd. dett. abest, parum recte Bakio omittenda uidetur.

nihil habui sane, non modo multum] Sic recte cum codd. dett. Uict. Lamb. Goer. Sch. Mos. Or. Ex duabus rebus, quarum altera leuior, grauior altera sit, leuiorem per particulas non modo adiungi grauiori satis constat. Cf. praeter locos a Gzio laudatos ad Att. VIII, 9. 2. ad Fam. I, 9. 21. etiam Cic. de Diu. II, 55. 113. ad Fam. IV, 14. 2. Qui meliorum codicum scripturam nihil habui, sane non multum probarunt, Steph. Man. Dau. Ern. Wagn. et nuper Bakius, ii non intellexerunt, sane recte in concedendo, non item in restringendo usurpari dicique oportuisse certe non multum.

§. 13. Reddes igitur cet.] Insolentius hoc dictum esse et Wagnerus et Rathius sensit. Nec tamen insolentiae causam et rationem aut illi aut alii satis recte explicarunt. Reddendi uerbo res addatur necesse est, quae reddatur, siue nomine simplici declaratur siue tota sententia. Quare hoc quidem loco hunc in modum exspectaueris orationem conformatam: reddes igitur, ut in religionis

lege fecisti, sic de magistratibus, quibus de causis maxime placeat ista descriptio. Sed reddendi notione pluribus uerbis interiectis aliquantisper obscurata omnia illa: ut disputes, quibus — descriptio ex faciendi notione nectuntur Attici in mente etiamnunc inhaerente. Hinc in responso Marcus non reddendi uerbo utitur, ut II. §. 34, sed faciendi. Macrologiam igitur recte Bakius dixit; qui tamen uerba ut disputes ex reddendi uerbo nectens a recta uia deflexit.

quod faciendum fuit]. Male haec uerba tenuissima paucorum codd. auctoritate Grut. Dau. Ern. Wagnerus delerunt. Quorum rationem nostra aetate Bakius probauit, quia excusationem quandam haec continere uiderentur ab h. l. alienam. Nimirum loci illius ista fuisse declaratur.

§. 14. a Theophrasto Peripatetico de rerum publicarum legibus atque institutis multum esse quaesitum mox ipse Tullius tradit et libri eius declarant, quorum mentionem fecit Madu. de Fin. p. 628.

Diogene] Codd. omnes Dione. Sed nihil nobis traditum est de Dione Stoico, non modo de Dione, qui de magistratibus scripsit. Nam parum recte inde, quod a Diog. L. VII, 190. 192. Dion quidam commemoratur, cui duo Chrysippi libri inscripti fuerint, scriptorem fuisse collegeris. Nec uero de Dione Paeanieo quicquam constat, qui nominatur in Atheniensium psephismate in Zenonis defuncti honorem scripto (Diog. L. VII, 12.). Merito igitur Turnebi coniectura Diogene uidetur probata esse a Wytt. Goer. Sch. Mos. Or. Bakio. Est autem Diogenes Babylonius, Chrysippi auditor. Cic. de Diu. I, 3. 6.

VI. Panaetio] Panaetius Rhodius, Antipatri Stoici discipulus, Scipionis Africani minoris amicus; cuius de libris, quos multos scripsit, pauca quaedam fragmenta supersunt, quae collegit uan Lynden. Lugd. Bat. 1802.

ueteres] Perspicuum est ueteres Stoicos significari, Zenonem, Cleanthem, Chrysippum, cum de Stoicis h. l. solis sermo sit. Cf. quae dixi I. §. 36. Eandem de ueteribus Stoicis sententiam declarauit de Rep. III, 4. init.

uerbo tenus i. e. ultra uerbum i. e. contemplationem non progressi sunt nec ad ciuilem usum disseruerunt. Uerbo tenus disserere est igitur quod nos dicimus theoretische Untersuchungen anstellen.

ab hac igitur fam.] Parum recte Gzius et Moserus comparato Ciceronis loco de Nat. Deor. I, 5. 11. haec retulerunt ad Academiam, cuius ipse esset sectator; recte cum aliis Bakius retulit ad Academicorum et Peripateticorum

familiam, quae iam indicaretur Platonis, Aristotelis, aliorum nominibus afferendis. Ueteres Academici et Peripatetici saepius a Cicerone dicuntur una familia i. e. disciplina contineri (Cic. Ac. I, 4. 7. de Fin. IV, 2. 3.). Utrisque etiam de Diu. II, 1. 3. de Fin. IV, 2. 5. IV, 22. 61. huius ciuilis loci diligentius tractati laus tribuitur. Uerbis Platone principe non recte Bakius hanc uim tribuit: „cuius sc. familiae Plato princeps fuit". Princeps h. l., ut saepe, de eo dicitur, qui agendi principium capit, non de rei auctore (indem Plato den Anfang machte) Cic. de Off. II, 4. 14. principes inueniendi. de Or. III, 32. 129. Liu. XXI, 4; idque luculenter confirmatur uerbis sequentibus post Aristoteles illustrauit, ex quibus elucet ante aliquem dici scripsisse. Temeraria est coniectura Schefferi: ab Academica uel Academicorum familia, quae Rathio placuit itemque Walkeri ad Cic. de N. D. I, 33. ab alia familia. Lbinus meliorum codd. mendum ad hanc familiam probauit. Mox imperite pro uerbis profectus ab eodem Platone sc. a quo Aristoteles profectus erat, Dau. coniecit profecti ab eodem Platone.

ciuilem in disputando locum i. e. hanc omnem philosophiae partem, quae ad ciuitates pertinet. Nam, ut saepe, per metonymiam pro re ponitur actio cum re coniuncta. Itaque ut Tusc. V, 7. 19. dicit in philosophia (caue enim putes ullam in philosophia uocem emissam esse clariorem), ita Legg. I. §. 36. dicit in disputando itemque I. §. 16. si ullo in genere disputandi i. e. si ulla in parte philosophiae. Adde locos a Bakio et a Gzio laudatos Cic. N. D. I, 5. 10. non enim tam auctoritates in disputando, quam rationis momenta quaerenda sunt et Partt. 23, 78. quae sint in disputando uera, quae falsa. Similiter de Off. II, 2. 6. discendi genus dicitur pro disciplina et dicendi uerbum tritissimum est pro eloquentia. Deinde uerba in disputando attributi instar addita cum uerbis ciuilem locum, quibus sunt interposita, in unam quandam notionem coalescunt. Cf. quae dixi ad III. §. 6. Male et Wagnerus coniecit philosophiae et Rathius, id quod Mosero placuit, disputando, ut ad illustrandi uerbum hoc referretur.

Heraclides Ponticus, Platonis discipulus, qui floruit circa Olymp. 113, praeter alia multa scripsit etiam quaedam de ciuitatibus, ex quibus etiamnunc quaedam fragmenta supersunt, quae collegit Koeler. Hal. 1804.

Theophrastus Eresius, primum Platonis, deinde Aristotelis auditor eiusque post obitum (Olymp. 114, 3.) in philosophia tradenda successor. Temere Bakius participia institutus et doctus interpolata esse suspicatus est.

habitauit] Metaphora perquam trita de eis, qui multum uel in loco (Cic. Brut. 89, 305. et ii, qui habitabant in rostris. pro Mur. 9, 21. de Or. I, 62. 264.) uel in re aliqua uersantur (Cic. de Or. II, 38. 160. ibid. II, 72. 292.).

Dicaearchus] Ex multis libris, quos Dicaearchus Siculus ex urbe Messana, Peripateticus clarus scripsit (uixit circa Ol. 115.) pauca etiamnunc fragmenta supersunt, quae collegit Fuhr. Darmst. 1841. Cf. Osann in Diar. schol. 1833. p. 1097.

a Theophrasto] Etsi praepositionem *a* sequente nomine in libris philosophicis *) attributi instar ita usurpari constat, ut sectae a principe eius auctore ortus significetur (Cic. Off. III, 33. 116. atqui ab Aristippo Cyrenaici), idem tamen non recte cum Maduigio (de Fin. p. 646.) Bakius ad nostrum locum transferre uidetur; ac potius participii praecedentis uis etiamnunc in Tullii mente inhaerens uel ad haec pertinere uidetur, pariter ut de Or. II, 14. 58. uis participii profectus etiam ad uerba pertinet post ab Aristotele Callisthenes; de Or. autem III, 17. 62, quem locum idem Bakius citauit omnia illa a Platone — ab Antisthene — ab Aristippo ex manandi uerbo pendent. Nec uero in hoc genere illa sunt de Fin. V, 7. 19. ab his principiis; quae notabili loquendi breuiloquentia ad referendi uerbum referuntur (von diesen Principien aus), quemadmodum similiter dicit de Off. I, 2. 8. dicitur: institutio a ratione (von einem Princip aus) suscipitur de aliqua re.

de quo feci cet.] Cf. II. §. 64.

umbracula erant loca umbrosa cum gymnasiis coniuncta, in quibus philosophi litteras profitebantur; quae nostro more dixeris auditoria. Ex quibus per metaphoram elegantem a ludis et bello repetitam doctrinam in rei publicae administrationem forique concertationes transtulisse dicitur. Eadem metaphora Cic. utitur omissa gradatione Brut. 9, 37. (delectabat magis Athenienses quam inflammabat; processerat enim in solem et puluerem,

*) in his quidem passim aduerbialia propter defectum participii ens attributorum instar usurpari satis constat. Cf. de Fin. I, 6. 17. ex aeterno intelligi debere. III. §. 5.

non ut e militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti, doctissimi hominis, umbraculis); addita de Or. I, 34. 157. Praepositionem in sine iusta codd. auctoritate praeter necessitatem delerunt Lamb. Ern. Wagn. Goer. Sch. Cf. quae dixi II. §. 2.

VIII. §. 15. aliquem de tribus] Perspicuum est Marcum significari. Ceterum quam laudem h. l. Atticum sibi tribuentem facit, eandem sibi ipse tribuit loco a Mosero laudato de Rep. I, 8. Cum eodem Demetrio se comparat et ad disputandi subtilitatem et ad forense dicendi genus Off. I, 1. 3.

quaesitum igitur ab illis est] Ex melioribus codd. hunc uerborum ordinem cum Bakio recepi ante iam susceptum a Uict. Lamb. Ern. Wagnero. quaesitum igitur est Dauisius, quaesitum est igitur Moserus et Orellius scripserunt; Goer. et Sch. est prorsus delerunt. Cf. Madu. de Fin. p. 772. Seyff. ad Lael. p. 509, qui laudat Muetz. ad Curt. VIII, 1. 6. p. 722.

unus magistratus, cui reliqui pareant, siue is unus est homo siue plures, est summus rei publicae magistratus (non rex), cuius potestate reliqui omnes teneantur; id quod apparet ex his: quod exactis regibus int. plac. nostris maioribus. Singulari autem hac potestate exactis regibus consules esse usos Liu. II, 1. tradidit. Iam sententiarum ratio ut prorsus constaret, sic scribi oportuit: „quoniam regale ciuitatis genus repudiatum est ac nomen tamen tantum regis uidebitur repudiatum, si unus omnibus magistratus imperabit, non sine causa apud nos consulibus oppositi sunt tribuni". Sed facto (regum expulsioni) annectit obseruationem generalem (da man nun eben die königliche Gewalt nicht hat haben wollen, so wird doch nur der königl. Name aufgegeben erscheinen). Atque haec ipsa generalis sententia effecit, ut deinde non solum tribunos, sed ephoros etiam commemoraret.

§. 16. a Theopompo] Ephoros Spartae cum magistratibus, tum regibus esse oppositos ad potestatem eorum moderandam satis constat. Cf. Cic. de Rep. II, 33. Plat. Legg. III. p. 692. A Theopompo eos esse constitutos plerique ueterum scriptorum tradiderunt, Arist. Pol. V, 11. Dio Chrys. LVI. p. 565. et quos Gzius laudat Plut. Lyc. 7 et 27. Ual. Max. IV, 1. 8. Addidit Bakius Archytae testimonium ap. Stob. XLIII, 134. Ipsi Lycurgo tribuunt Her. I, 65. Plat. Ep. VIII. p. 354. A. Quod si uerum est, hoc tamen constat eam, quam in ciuitate habuerint, potestatem eos a Theopompo rege accepisse.

in iure positum est sc. ut sint regio imperio. Cf. §. 8.

ne id, quod fuerat, esset i. e. ne immoderatam illam potestatem haberent, quae regibus exactis eis obtigerat. Ueram hanc Wagneri interpretationem immerito a Mosero esse uituperatam ostendunt ea, quae sequuntur: hoc enim primum minuit cet. Ipse Moserus sic interpretatur: „ne rursus ita opprimeretur populus sub consulibus, ut sub regibus fuerat oppressus". Mox Bakius, quia pronomen abesse non posset, coniecit deinde quod hic attulit. At subiecti notio satis indicata est sententia praecedente ipse qui eo non teneretur.

§. 17. potestate nata] Male et Dau. coniecit demum nata et Rathius potestate (sc. consulum) deminuta. At ista potestas est tribunatus.

uis multitudinis] Optimatium grauitas est quod nos dicimus politischer Einfluss der Optimaten; quae sublata et in multitudinem translata non ius, sed uis est. Illa auctoritate, haec impetu ualet. Hoc igitur ipsum, quod primum commendatum a Wagnero non displicuit Mosero, Orellio, Zumptio, cum nulla sit hoc in genere codd. auctoritas, recipere non dubitaui. „At uis, inquit Bakius, in facto consistit uiolento nec dici potest conualescere". Quasi uero uis non etiam proprietas esse possit, ut uis leonis apud Cic. de Diu. I, 70. 144. uis oratoris de Or. II, 27. 120. cf. etiam de Rep. II, 22. confecta est uis populi uniuersa; similiterque in Fragm. 24. pro Corn. apud Orell. IV. 2. p. 451. uis potestasque suffragiorum conualescere dicitur.

non est, Quinte, ita] Sic secundum meliores codd. scripsi cum Uict. et Bakio; reliqui cum deterioribus: non est ita, Quinte. Mox cum plerisque editoribus ex codd. dett. recepi non enim ius, quia in uerbis superbius et uiolentius, non in iuris uocabulo dicendi pondus est. In quo posita esset, si cum Uict. et Bakio ex melioribus codd. restitueres non ius enim. Ceterum ius illud est ius consulare nulla re temperatum, ut recte iam Turn. interpretatur, non ius optimatium, quemadmodum Wagnerus explicat.

conuersa lex in omnes est] Multis haec mendosa uisa sunt. Dauisius coniecit confecta pax inter omnes est; Gzio sententiae pars in lacuna latere uisa est uerbumque conuersa est additum ad loci sententiam explendam; Bakius ex syllaba con efficiendum esse dixit tum et in fine sententiae hoc latere: seditionis est; reliqua non

expediit. Sed ipsa locutio conuersa est nihil insolentiae habet. Cf. Cic. de Fin. III, 7. 24. sapientia in se tota conuersa est. Sententia autem, quam probabiliter iam Turn. explicauit, haec est: „posteaquam ad immodicum illud ius consulare nata tribunorum potestate modica quaedam temperatio accessit, ut non ad arbitrium ciuitatem regere atque uel plebem premere uel patriciis fauere possent: lex conuersa in omnes est i. e. et consules et patricios tenuit, eoque demum uera euasit. Cf. Fragm. Cic. de Rep. apud Lact. Inst. VI, 8. est quidem uera lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes cet. Periit autem lacuna sequenti praeter ea, quae fortasse praeterea de magistratibus disputauit, omnis legum enarratio usque ad hanc legem §. 9: domum cum laude redeunto.

VIII. §. 18. redeunto] Omnis hac de coniectura, quae mendo meliorum codicum nititur, dubitatio eximitur eo, quod idem uerbum in lege est §. 9 et saepe explicationi ipsa legis uerba praemittuntur. Cf. §. 28. 30. 38. 40. Repedandum, quod est in codd. melioribus, correctio est parum probabilis, etiamsi uerum sit, quod Festus et Nonius s. u. repedare tradunt, repedare antiquitus dictum esse pro recedere.

apertum est profecto cet.] Hunc uerborum ordinem cum Uict. Dau. Mos. Bakio recepi, quia maiore dett. codd. parte confirmari uidetur, nec multum ad sententiam interest, utrum hunc ordinem probes an illum, quem Steph. Man. Lamb. Ern. Wagn. Schuetz. receperunt (apert. prof. est). Sine iusta causa Gzius etiam h. l. uoculam est deleuit, quam deinceps merito omnes delerunt. Qua posita (quam est quemquam cet.) nec quemquam recte se haberet (dici oporteret quempiam) et aliena esset exceptio nisi rei publicae causa. Nec quicquam iuuaremur assumto pronomine hoc (quam hoc est), id quod Gzius uocula illa assumta addendum esse dixit. Exstincta autem uocula est optime se habere quemquam, pro quo Gzio auctore Sch. Mos. Or. ex paucis quibusdam dett. codd. receperunt quempiam, demonstratum est a Maduigio in progr. p. 11. et de Fin. p. 471. Adde Seyff. ad Lael. p. 41. Nimirum subiectum infinitae sententiae generale est, nec infinitae alicuius personae notio ita concipitur, ut esse eam indicemus. Cf. III, 18. 42. et quae dixi ad II. §. 66.

legari] Mos apud Romanos inualuerat, ut senatoribus, qui in prouincias ad res suas procurandas proficiscerentur, et nomen et ius legatorum a senatu tribueretur, quo et honore maiore et sumtu minore res suas persequerentur.

Quas prouinciis graues ac molestas fuisse legationes passim Cic. declarauit de Leg. agr. I, 3. 8. II, 17. 45. pro Flacc. 34, 86. Eiusmodi autem legatio libera uocabatur (Cic. ad Fam. XII, 21. Cic. de Leg. agr. II, 17. 45.), quia et exire et redire licebat, cum placeret nec ullo rei publicae munere eorum opera impedita erat. Annuum autem liberae legationis tempus a Cicerone consule constitutum non diu tenuisse uidetur, si quidem denuo liberae legationis tempus lege Julia definitum esse ex ipso Cicerone ad Att. XV, 11. 4. nouimus. Nec ullo alio loco huius Tulliae legis mentio facta est.

isti] Imperite Bakius coniecit istic; aliena ab h. l. est loci descriptio, recteque pronomine id genus legatorum monstratur, quod mente quasi intuetur. Cf. quae dixi I. §. 54.

syngraphas] Quemadmodum inter Romanos litterarum obligationes fiebant nominibus transscribendis in accepti et expensi codicibus: ita inter peregrinos fieri solebant chirographis et syngraphis. Cf. Gai III. §. 134. Praeterea litterarum obligatio fieri uidetur chirographis et syngraphis, ita scilicet, si eo nomine stipulatio non fiat, quod genus obligationis proprium peregrinorum est. Inter chirographum et syngrapham Salmasio auctore de usuris cap. 6 p. 133. hoc interfuit, quod chirographis simpliciter debere se aliquid testabantur ei, cui ea seruanda tradebantur; syngraphae autem ceteras quoque debiti conditiones continebant et binis exemplaribus scriptae et ab utroque signatae utrique eorum, qui contraxerant, tradebantur. Cf. Rein roem. Civilpr. p. 327. Zumpt. ad Verr. p. 169, qui laudat Sauinii dissert. de Romanorum contr. litterali in Act. Acad. Berol. 1816.

in hominibus]. Frustra Moserus defendit mendum codd. meliorum in omnibus et Rathius coniecit in hominibus est hoc fortasse leue uitium. Sententia recte iam a Turnebo ac denuo a Maduigio explanata haec est: Nolo dicere, quam iniuste et importune isti se gesserint, qui in prouinciis usi sint libera legatione; nam esse potest, ut in hominibus (barbare: in personis), non in ipsa re hoc uitium positum sit; sed si istis omissis rem ipsam spectamus, quaero, quid re ipsa sit turpius, quam senator legatus sine ullo rei publicae munere. Similiter hominibus res ipsae saepius opponuntur. Cf. Cic. de Fin. I, 20. 66. sed ad rem redeamus, de hominibus dici non necesse est. Tac. de Or. 25. non est oratorum uitium, sed hominum. Adde quae Bakius laudauit Cic. de Off. II, 22. 76. III, 31. 111. in Verr. I, 21. 56. Cat. Mai. 16, 55.

Mox temere Bakius pro uerbis senator legatus, quae Ciceronis non essent, coniecit senatorem legari.

reapse pro re ipsa (nimirum ipse conflatum est ex pron. is et syllaba pse; ita ex ablatiuis re eapse ortum est reapse) antiquiores dixisse Festus sub h. u. tradit eademque forma Ciceronem esse usum testis est Sen. Ep. 108, 31. Cf. de Rep. II, 39, ubi perinde ut h. l. in cod. scriptum est reabse; ibid. I, 2. de Diu. I, 37. 81. Lael. 13, 47.

uidebatur] In cod. arch. fuisse uideatur, insignis codicum consensus arguit. Sed inepte Tullius ex eo, quod tunc uideretur, cum leges scriberet, colligeret, quid ante profecisset, nisi tr. pl. intercessisset; id quod luculentius etiam inde perspicitur, quod id, quod conceditur, interponitur uerbis, quae ad praeteritum tempus spectant (ego consul — tamen sustulissem). Denique ne coniunctiuus quidem uideatur probabilis est in re haudquaquam dubia. Merito igitur Rathius, Maduigius (de Fin. p. 526.), Bakius Ernestii coniecturam uidebatur probarunt, tentatam illam iam, si fides Bakio est, in cod. 10; nam in cod. C, ex quo eandem excerpsit, esse non potest, si quidem is desinit III. §. 12. Mendi hoc genus non admodum rarum. Recte item Lbini coniecturam audebas pro mendo audeas probarunt Maduigius, Wesenbergius, Bakius pro Sest. 14, 32. Halmius, quia parumne est antecederet itaque scribi oporteret ausus es, tueri conatus est audeas ingeniose, non uere. Nam imperfectum in continuatione eorum facinorum, quae ante iam indicauit (contemneres — proderes — affligeres) recte se habet; nec audendi notio pariter ut fallendi refertur ad tempus praesens (parumne est?).

leuis] Quod sine ulla codd. auctoritate Man. Lamb. Ern. Wagn. ediderunt leuissimus, eo non opus est profecto; nec uero probabilis est Moseri opinio, cui in scripturae discrepantia, quae paene nulla est, tribuni plebis nomen latere uidetur. Quis fuerit ille tribunus, suspicari difficile est. Moserus suspicatur Labienum esse citans Vell. Pat. II, 40.

§. 19. sed iis, qui] Tecte his Attici uerbis Jul. Caesar carpitur, qui, cum anno 703 ei de Galliis esset decedendum, senatus auctoritati parere nolle putabatur. Cf. Cic. ad Att. V, 2. 3. ad Fam. VIII, 4. 4. VIII, 5. 2. 7. 10. Ceterum generatim nominantur ii, qui in prouinciis sunt, non ii indicantur, qui tunc ipsum in prouinciis erant, ut probari non possit pron. his, quod permutatione fere perpetua est in A B Gd. 2. Nec quisquam id h. l. probauit.

Quo uerius deinde pro his, quod plerisque placuit, post Uict. Steph. Manutium Orellius et Bakius receperunt iis.

si parebunt] Ex diuersa dett. codd. scriptura parebunt — pareant suspicari licet duobus modis correctionem mendi parebant, quod haud scio an in cod. arch. fuerit, tentatam esse in deterioribus. Sed pareant, quod Uict. Lamb. Ern. Wagn. receperunt, respuit oratio; sequi oporteret in apodosi nihil iis sit. — his legibus sc. quas nunc fero. Bak.

sed sequitur] Particulam sed, quia otiosissima esset, tenuissima cod. 10. auctoritate Bakius expellendam censuit. At etsi alibi ad nouam legem transiturus ista particula non utitur (aut iam ponit, ut II, §. 27. III. §. 27. aut deinde, deinceps, tum III. §. 48. aut nullam denique particulam, ut III. §. 43. sequitur illud): hoc tamen loco optime se habet, quia posteaquam se cohibuit uerbis sed iam, si placet — redeatur (Cic. Off. III, 9. 39. Lael. I, 5.), paucis uerbis interiectis illam cohibendi notionem redintegrat.

quae est] Substantiae uerbum a reliquis omissum rectius de Gzii coniectura Sch. Mos. Or. Bakius post pron. relat. quam Turn. Man. Lamb. post nostra restituerunt.

occupatis] Nam ex monte sacro plebem armatam Romam recessisse atque in Auentino consedisse indeque armatam in Capitolium uenisse tradidit Cic. in Fragm. pro Corn. apud Or. IV. 2. p. 451. Cf. etiam de Rep. II, 33. Sall. in Fragm. Hist. I, 8. p. 213. ed. Gerl. foenore oppressa plebs montem sacrum atque Auentinum insedit. Alii tantummodo montem sacrum commemorant Dion. Hal. VI, 45. Liu. II, 32. Flor. I, 23.

procreatum] Participium quia referri oporteret ad potestatem tribuniciam, Manutius coniecit procreatam idque et Ern. et Wytt. probauit nec displicuit Wopk. Lectt. Tull. p. 203. At a feminino genere nimis praeceps erat transitus ad pueri similitudinem. Dauisius et Schuetzius ipsum tribunatus uocabulum excidisse rati ille coniecit tribunatum inter arma ciuium, hic procreatum uidemus tribunatum. At uero pro tribunicia potestate primum commemorata Quinti animo tribunatus notio progrediente sermone succurrit. Unde facilis deinde ad eam, quae sequitur, similitudinem transitus fuit; quae ipsa haud scio, an ut id fieret causa fuerit. Nec raro pro abstracta quam uocant rei notione ante posita succurrit concreta aut pro nomine translato proprium, ad quod reliquorum uerborum genus accommodetur. Cic. pro Mur. 8, 18.

quaésturam una petiit et ego factus sum prior. de Off. I, 34. 122. maxime autem haec aetas a libidinibus arcenda est — ut eorum (sc. iuuenum) — uigeat industria. ad Fam. I, 9. 15. primum illa furia muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam Deam. pro Sest. 17, 38. duo importuna prodigia, quos egestas — constrictos addixerat.

necatus] Codicis arch. scripturam legatus qui ita defenderunt, ut legare prisce pro ablegando poni dicerent, nec hoc ipsum exemplis comprobarunt nec illud demonstrarunt ablegandi uerbum huic loco conuenire. Nam remouendi uim cum habeat, non interimendi, addi necesse fuit, quo puer ablegaretur, uelut in Tiberim (nam mersos esse debiles monstrososque liberos Seneca tradit de Ira I, 15.), ut ablegando interitum esse paratum intelligeretur; nam qui recreatur et denuo nascitur, eum interiisse, non modo remotum esse necesse est. Itaque ne Aurati quidem coniectura ablegatus, quae Lbino placuit et Ernestio, probabilis est. Quam eo etiam minus ego probauerim, quia a Cicerone antiquam XII tabularum uocem retentam esse parum probabile est; nam ne reliqua quidem uerba insignis ad deformitatem puer XII tabularum esse patet. Eamque ipsam ob causam nec letatus probo, quod de Gruteri coniectura Goer. Sch. Mos. scripserunt nec leto datus, quod Orellius coniecit; omniumque coniecturarum maxime mihi uidetur probabilis esse ea, quam Puteanus et post eum J. F. Gronouius in Obseruatt. in script. eccl. c. 19. p. 202. proposuisse dicitur: necatus. Ex quo uerbo litteris maiusculis scripto quomodo legatus oriri potuerit, facile est intellectu. Quod autem tribunatus cito necatus esse dicitur, id recte plerisque spectare uisum est ad illud tempus, quo decemuiris ad leges scribendas creatis nec tribuni erant nec reliqui magistratus. Cf. Liu. III, 33. placet creari decemuiros sine prouocatione et ne quis eo anno alius magistratus esset. Liu. III, 54. Gzius perperam tribunatum necatum esse dicit lege Cornelia tribunicia, recreatum per Cottam a. 679, natum denique per Pompeium pleno eius iure reuocato a. 684. Mox pro cod. arch. mendo creatus *), quod Manut. Uict. antiquiores tenuerunt, merito inde a Lbino editoribus placuit correctio recreatus, ut tribunatum ante

*) in cod. B et γ fuisse recreatus parum recte ex Bakii silentio collegeris.

et creatum et necatum denuo creatum esse indicaretur. Syllabae re facilis post tempore omissio fuit. Nam in melioribus codd. non reperiuntur uerba nescio quo pacto, quae sunt in deterioribus quaeque plerique editores omiserunt (Steph. Man. Dau. Ern. Wagn.) et omittenda esse dixit Gzius, cum ipse in uerborum seriem recepisset. Sed cum per se ipsa haudquaquam inepta sint, si uim eorum non solum ad recreandi uerbum (nam hoc minus mirari debebat), sed etiam ad reliqua uerba multoque — natus est pertinere existimaueris (cf. Seyff. ad Lael. p. 499.) atque alia etiam mendi origo possit cogitari: expellere illa puto audaciae esse. In mea editione me inuito omissa sunt. Inepte pro creatus Rathius coniecit alius, Lbinus renatus pro natus.

IX. Quae enim ille non edidit?] In cod. arch. quod fuisse ueri simile est quem enim, id non habet quo referatur, si quidem nec referri potest cum Lbino ad tribunum improbum nec recte cum Wagnero excidisse putatur tumultum. Uerissima profecto et facillima huius mendi (quē) correctio est ea, quam tentatam iam in dett. quibusdam codd. post Lall. et Gzium reliqui receperunt (quae enim). Habemus igitur id rhetoricae interrogationis genus, quo adscita negandi particula id uolumus, quod interrogamus, affirmari, ueluti: quis Epicureorum paupertatem non extimescit? i. e. quiuis Epicureorum extimescit. Sententia igitur huius loci haec est, nihil nefarii, nihil mali esse, quod tribunatus non ediderit. Mala pronomini addere, id quod Dauisius noluit, non opus est; malas res fuisse, quas ediderit, sua sponte intelligitur. Dixerunt de hoc interrogandi genere Maduigius de Fin. V, 22. 61. p. 723. et Bakius hoc ipso loco, opportune laudantes Cic. Phil. XIII, 23. quod facinus parricida non edidit? de Fin. II, 22. 73. quod adulterium, quod stuprum, quae libido non se proripiet? Sed male his Bakius immiscuit illa ad Fam. XI, 27. 4. quod officium tuum defuit? de Leg. III. §. 20. quid iuris bonis uiris Tib. Gracchi tribunatus reliquit? in quibus inscite negationem latere dixit in uerbo. Nimirum non intellexit omissa in hoc genere negandi particula id, quod interrogamus, negari, ueluti quis Stoicorum paupertatem extimescit? i. e. nemo Stoicorum extimescit. Atque in hoc ipso genere est illud de Fin. II, 23. 76. quem clamorem concionis aut quam spem consulatus eius, qui tibi paratissimus est, futuram putas? i. e. nullus clamor futurus est concionis, quo uocem

illam collaudet nec ulla spes consulatus. Parum recte Maduigius de Fin. p. 723. ibi alterum rhetoricae interrogationis genus confusum esse putauit cum exclamandi quodam genere, quale habemus §. 22. sed ille quas (i. e. quantas) strages edidit! de Fin. II, 28. 93. quos ille cruciatus perferebat! Tusc. II, 8. 20. quas hic uoces apud Sophoclem edit! (sumsi haec exempla a Bakio). Inepta est Lbini coniectura: quem enim ille edidit?

ut impio cet.] Continuatur similitudo pueri procreati luditque Cicero in patrum appellatione, si quidem pietas maxime erga parentes censebatur. Bak.

omnia infima summis] Nulla h. l. opus est correctione, quae et ante dupliciter tentata a Dauisio est (omnia turbauit, miscuit, infima summis paria fecit aut quod etiam Wagnero placuit, infima summis paria fecit, omnia turbauit, miscuit) et nostra aetate a Bakio (omnia infima summa paria fecit cet.). At sic uerba infima summa, quae ἀσυνδέτως posita eandem uim habent, quasi particulis et — et coniuncta sint (ad Fam. V, 8. 5. scribis de omnibus minimis maximis rebus. ibid. utantur in omnibus publicis priuatis negotiis), obiecti tantum (omnia) epexegesin continerent simulque pertinerent ad uerba illa turbauit, miscuit. Continent uero epexegesin uerborum omnia paria fecit et per breuiloquentiam quandam dicta sunt pro omnia et infima quidem summis paria fecit. Similiter apud Liu. IV, 1. cum infimis summum imperium uulgari patres queruntur. Gzium, qui uerborum ipsorum turbulentiori profluxu auctorem turbas istas imitatum esse ait, et Moserum, qui uerba tria ἀσυνδέτως coniungi dixit, merito Bakius castigauit.

cum afflixisset] Posteaquam, quae primum puer impius fecisset, exposuit, sic pergere potuit: nec deinde tamen conquieuit. Sed maluit tamen Tullius euentum eorum, quae primum patrauit, breuiter describere, quam res simpliciter enumerare. Cf. de hac orationis forma sic inchoata, quasi deinde sit secuturum, sed mutata deinde et alio quodammodo absoluta in primis Beierum ad Off. I, 14. 44. et quos de Fin. p. 36. Maduigius laudat Manutium ad Fam. II, 9. et VII, 23. Wopk. Lectt. Tull. p. 52. Heus. ad Off. II, 28. 9. Particula que, quam Gzius uoculae cum addi uoluit, non opus est in hac incitata Quinti oratione. Quae ad omnes eas leges spectat, quibus patriciis ordinis priuilegia ademta sunt.

§. 20. Namque] Non progreditur Quintus in disputatione, sed id, quod de turbulento tribunorum impetu uniuerse disputauit, exemplis confirmat. Itaque pro praua dett. codd. correctione atque, quae adhuc uulgata est, recepi uerissimam mendi anque, quod in melioribus est, correctionem namque a Bakio tentatam.

C. Flaminium] Is tr. pl. legem de agro gallico et piceno uiritim diuidendo a. 526. tulit et ad Trasimenum lacum interfectus est. Cf. Cic. Ac. II, 5. 13. Brut. 14, 57. de Inu. II, 17. 52. Cat. Mai. 4, 11. de N. D. II, 3. 8. Polyb. II, 21.

quae iam prisca uid. cet.] Sententia horum uerborum recte iam a Gzio explicata haec est: relinquam ea, quae quia iam uetustis temporibus facta sunt, nostram aetatem non sane attingere uidentur. Nam prisca sunt ea, quae multo ante fuerunt, nunc fere in more non sunt. Cf. Cic. de Or. III, 11. 42. Cotta gaudere mihi uidetur grauitate linguae sonoque uocis agresti et illud, quod loquitur, priscum uisum iri putat, si plane fuerit rusticum. Similiterque in laudem dicitur prisca seueritas de Har. Resp. 13, 27. prisca sanctimonia Tac. Ann. III, 69. et de oratione coniunctim prisca uerborum uetustas de Or. I, 43. 193, ubi uide Ellendtium. Recte igitur Mos. Or. Bakius post uetustatem interpunxerunt, male superiores post uidentur. Deteriorum quorundam codd. correctionem quae prisca sunt omissis uerbis propter uetustatem Lamb. Gebh. Ern. Wagn. ita probarunt, ut hi tres iam retinerent, quod una cum uerbis propter uetustatem a Dr. 2. Med. Harl. 1. 2. D. abesse in annot. crit. non adnotaui.

quid iuris bonis uiris] Tenuissima paucorum codd. dett. auctoritate Bakius uiris omisit, quia in tali descriptione Cicero bonos, non bonos uiros appellare soleret. Quod secus esse plures eum Ciceronis loci docere poterant ab ipso laudati, ut pro Sext. 49, 105. sed ualebant in senatu multum, apud bonos uiros plurimum. ib. 53, 114. uir et bonus et innocens et bonis uiris semper probatus. de Off. II, 17, 58. si postulatur a populo, bonis uiris non desiderantibus, attamen approbantibus faciendum est; quibus quidem locis non eae, quas Bakius excogitauit, causae singulares Tullium, ut substantiuum adderet, impulerunt. Si quid discriminis interest inter bonos et bonos uiros, quod puto interesse, profecto hoc est, quod boni in unum quoddam genus collecti cogitantur, in bonis uiris nominandis magis sin-

gularis uirorum notio elucet. Unde fit, ut addito numerali semper substantiuum addatur, ut pro Sest. 19, 44. cum multis bonis uiris concidissem. ad Att. II, 1. 10. ea plaga nonne ad multos bonos uiros pertinet? At ad Quint. Fr. I. ep. 1. c. 14, 41. omnes boni — omnes improbi.

Ti. Gracchus, qui tr. pl. fuit a. 621, in primis lege agraria plebi contra optimates consulturus fuit et Octauio collegae intercedenti potestatem abrogauit. Liu. Epit. 58. App. B. C. I, 9. 11. Plut. Tib. Gracch. c. 8. 9. de Har. Resp. 48, 103. D. Brutus et P. Scipio coss. fuerunt a. 616; quos C. Curiatius tr. pl. in carcerem coniecit, quod non impetrauit, ut sibi denos quos uellet milites eximeret. Liu. Epit. 55. Quod si Quintus h. l. negat ante factum esse, memoria labi putandus est; non enim solum minatos esse idem tribunos ante legimus apud Liu. IV, 26. II, 56., sed etiam factum esse in delectu habendo a. 603, ex Liu. Epit. 48. nouimus. Nam nec recte cum Manutio affirmaueris oratorie id, quod perraro factum sit, numquam factum dici, nec probabilis est aut Wagneri coniectura *et* quod ante factum non erat, C. Gracchus cet. aut Bakii suspicio, cui uerba quod ante factum non erat interpolata esse uidentur, quia tam languida sint, ut concitatam Quinti disputationem prorsus corrumpant. Mihi uero ad insolentiam eius facinoris notandam uidentur addita esse; quo simul hoc efficitur, ut etiam Ti. Gracchi in tribunatu audacia magis augeatur.

ruinis et iis sicis] Pro eo, quod codd. omnes tenent, ruinis, de Turnebi coniectura inde a Lbino editum est runis, quod teli quoddam genus fuisse auctor est Festus p. 133. Sed ruinas, quibus rei publicae statum commutaret, C. Gracchum tr. pl. a. 631. edidisse, quis neget, qui quantas fecerit contentiones cognouerit, ut optimatium potentiam frangeret plebisque iura augeret. Quae etsi nec tantae erant, ut omnis rei publicae status recte ab eo dici possit permutatus esse et quae plebi ab eo iura erant uindicata, rursus eidem erepta sunt: tamen ad tempus certe permutatus rei publicae status durauit nec magis ueritatis fines egressus est Caium affirmando omnem reip statum permutasse, quam egressus est Tiberium affirmans nihil plane iuris optimatibus reliquisse. Nec ruinis non firmatur permutandi uerbo, quod sequitur; pro quo cum Maduigio (Opusc. I. p. 471.) et Bakio sine ulla codd. auctoritate *)

*) nam cod. Ox. E, qui solus habet perturbauit, auctoritas nulla est.

perturbandi uerbum, etsi per se sane h. l. melius est, restituere non ausim. Nam licet alibi permutare apud Ciceronem uim habeat rem pro re dandi et accipiendi (cf. Madu. Opusc. I. p. 472.), tamen nec prorsus commutandi notio analogiae contraria est et apud alios scriptores deprehenditur. Cf. Plin. H. N. XIX, 6. 32. sequenti anno permutata ratione semen gignitur. Lucr. I, 827. tantum elementa queunt permutato ordine solo. Nec uero zeugma quicquam incommodi habet, praesertim cum digladiationes etiam permutatio sequeretur (Cic. de Rep. III, 37. 63. perturbatio et totius commutatio rei publicae). Deinde ut pronomen ad sicas tantum pertineat, cum Turnebo, Manutio, Mosero restitui iis sicis, quod uel maxime commendatur mendo codd. meliorum; plerique inuerso ordine sicis iis; cum Uictorio Gzius emissitiis.

Saturnino, Sulpicio, reliquis] Seditiosorum tribunorum enumerationem non absolui patet. Cum igitur duos certe nominari necesse esset, ueluti Or. 3, 109. An ego Homero, Ennio, reliquis poëtis cet, recte Gzius ex cod. arch. mendo Saturnini supplicio elicuit Saturnino, Sulpicio, quos iungi etiam animaduertit de Har. Resp. 19, 41. Addidit Bakius Sall. Fragm. Hist. I. p. 947. ed. Cort. Idemque Gzius pro reliquisque primus ex melioribus codd. restituit reliquis. L. Appuleius Saturninus cum iterum tr. pl. a. 654. pluribus legibus popularibus, agraria, frumentaria, aliis plebem una cum Glaucia praetore concitasset, a Mario, a quo primum adiutus deinde relictus est, publice interfectus est. Cf. Cic. pro Rab. 7, 20. Cat. I, 2. 4. Phil. VIII, 5. 16. Vell. Pat. II, 12. App. B. C, I, 28. P. Sulpicius Rufus tr. pl. 666. cum auctore Mario leges promulgasset, ut exsules (sc. populares) reuocarentur, noui ciues libertini in tribus distribuerentur, ut imperio Sullae abrogato C. Marius aduersus Mithridatem dux crearetur, cumque aduersantibus consulibus Q. Pompeio et L. Sullae uim intulisset, a senatu Sulla auctore hostis iudicatus et cum in uilla quadam lateret, indicio serui extractus et interemtus est. Cf. Liu. Epit. 77. App. B. C. I, 55. sqq. Vell. Pat. II, 18 et 19. Cic. de Or. III, 3. 11. Plut. Sull. 10.

§. 21. proferam] Maiore hoc codd. auctoritate inde a Dauisio editum est, quam ante proferamus.

quis umquam] Repetita uocula umquam ita quibusdam displicuit, ut Ern. et Schuetz. alteram deleri uellent, Moserus Gzio suasore priorem mutaret in inquam,

quasi interrupta oratio redintegraretur, Bakius denique quisquamne commendaret. At repetita particula grauitatem orationi addidit incitato huic Quinti sermoni maxime accommodatam. Pluralis numerus (nobis — statu nostro — nobis quidem) nec, ut Mosero uisum est, imprudenti Ciceroni excidit, nec librariis debetur, quemadmodum Rathius iudicauit, sed eo nititur, quod quae ad Marcum uel commoda uel incommoda pertinent, et ipsum Quintum attingere uidentur. Sic similiter Marcus ad Quint. Fr. I, 9. 27. cum uero, inquit, ei generi hominum praesimus, etsi non ipse, sed frater prouinciae praefuit. Cf. in primis Cic. ad Quint. Fr. I, 14. 41. Laudauit etiam Bakius Cic. de Diu. I, 28. 59.

tam nobis inimicus] Hic uerborum ordo, quem post Uict. merito ex melioribus codd. Bakius restituit (reliqui omnes tam inimicus nobis) et numerosiorem reddit orationem et efficit, ut leuiore uocula interposita uerba tam — inimicus magis acuantur. Cf. Lael. 3, 11. *quam* autem ciuitati *carus* fuerit, moerore funeris indicatum est. Cf. quae dixi II. §. 9.

non modo ulla in domo, sed nulla in gente i. e. non dicam ulla in domo i. e. familia plebeia mucronem illum tribunicium non potuisse reperiri (nam id fortasse nimium esset), sed in gentibus, quae patriciorum erant (Liu. X, 8.), certe reperiri non potuit. Temere Man. et Lamb. in marg. edit. 1584. sed nulla; idque Dauisius quoque probauit, nisi forte scribendum sit non modo ulla in domo, sed nec ulla in gente. Negandi uim in altera sententiae parte expressam simul ad priorem eiusdem sententiae partem pertinere satis constat; nam parum accurate praecipiunt, qui non modo pro non modo non poni dicunt. Cf. Cic. Ac. II, 19. 62. quod non modo recte fieri, sed omnino fieri non potest. Off. III, 19. 77. pro Sull. 9, 26. Descenditur autem a re maiore ad minorem; quo in genere Romani sola particula sed utuntur. Cic. de imp. Cn. Pomp. 22, 66. quae ciuitas est in Asia, quae non modo imperatoris aut legati, sed unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit. pro Sest. 20, 45. Quae deinde commemoratur gentium perturbatio, ea spectat ad Clodium, qui cum patricius esset, a Fonteio, homine plebeio, adoptatus est, ut ad tribunatum posset accedere, quem soli plebeii capere poterant. Liu. IV, 25. Cic. pro Dom. 13, 34 et 35. Perturbatio autem uocatur, quia contra ius pontificium et contra auspicia facta adoptio est, eoque uerba etiam

spectant cui ne esse quidem licuisset tribuno. Cf. pro Dom. c. 14 et 15. Suet. Tib. 2. Quint. Inst. XI, 4. Denique in tenebris rei publicae id factum esse dicit, quia in ciuium dissensione leges impune tum uiolabantur. Similiter tenebras rei publicae dici ad Fam. IV, 3. 2. Bakius animaduertit.

§. 22. sine spe bona eum esse patet, qui nihil boni speret in futurum (ohne alle gute Aussicht für die Zukunft); quo furor augetur. Cf. Cic. in Verr. I, 14. 42. Moseri causa hoc commemoro, qui et prauam Gzii annotationem repetiit spem consilium esse dicentis, quo peragendo boni quid ad nos redundaturum speremus, nec mendum codicis Uind., quod et Schuetzio placuit, sine specie improbauit.

furor edere potuit] Hanc coniecturam ex cod. arch. mendo (futura reddere) expressam et pridem uulgatam immerito nostra aetate Bakius improbauit, qui ipse parum probabiliter hanc tentauit: quas foetu edere potuit impura bellua e multorum conflata furoribus. Furor Clodio commode tribuitur nec minus recte dicitur furor strages edere, quam pro Mil. 2, 3. socios Catilinae rapinis et incendiis et omnibus exitiis publicis pascere. Quod autem furor multorum furoribus inflammari dicitur, Clodii furorem multorum sociorum furoribus etiam augeri significatur. Similiter in Verr. I, 1. 2. dicitur inuidia senatus concionibus inflammari, i. e. inuidia senatus, quae iam erat, concionibus maximopere augeri, et §. 26. inflammata inuidia. Non erat igitur, quod Bakius reprehenderet illud pro Dom. 55, 141. inflammatus furor.

Sulla tribunis plebis ius legum ferendarum et cum plebe agendi ademit sola intercedendi potestate relicta. Cf. App. B. C. I, 100. Liu. Epit. 89. Vell. Pat. II, 30. Caes. B. C. I, 7. Dion. Hal. V, 77. Beckeri Ant. rom. II. 2. p. 289. Pompeius autem tribuniciam potestatem, qua ad suam utilitatem uteretur, lege restituit a. 684. Cf. Liu. Epit. 97. Plut. Pomp. 22.

ceteris] Turnebi coniectura in ceteris, quae a Manutio recepta ne Ernestio quidem et Mosero displicuit, haudquaquam necessaria est. Nimirum ablatiuus non solum rem, qua aliquid in rerum natura efficitur, sed etiam rem indicat, quae hominem ad peragendum aliquid impellat. Haec autem aut externa quaedam est aut in sensu posita. Et hanc quidem, quippe qua continuo actio pellatur, ablatiuo denotari tritissimum est, ueluti amore patriae, metu mortis. Externae autem res, quippe quibus non

item actio efficiatur continuo, plerumque praepositione adscita ponuntur, uelnti ars propter utilitatem laudatur. Nec desunt tamen exempla, quibus hanc quoque continui effectus notionem a Romanis expressam esse intelligatur. Quod etsi saepius cadit in uerba intransitiua et passiua, ut Leg. III. §. 15. non tam regni, quam regis uitiis repudiatum est i. e. non tam regni, quam regis uitiis effectum est, ut repudiaretur. de Diu. I, 7. 13. utilitate et ars et inuentor probatus. in Caec. 3, 8. de Fin. III, 10. 33. Brut. 90, 308. Lael. 41, 51: tamen ne actiua quidem hoc genere exclusa sunt. Cf. Cic. de Fin. II, 26. 83. si fructibus et emolumentis et utilitatibus amicitias colemus i. e. si fructus causa sunt, ut amicitias colamus. Sall. Cat. 23. inopia minus largiri poterat. Cic. pro Mur. 23, 47. Seyff. ad Lael. 14, 51.

amplissimis summisque] Cumulauit adiectiua, ut Pompeii reprehensionem insigni quadam laude ceterarum rerum compensaret. Itaque Bakius errauit, qui summis ut ex terminatione praecedentis uocabuli ortum expellendum iudicauit.

X. §. 23. uituperari potest] Quas ex dett. codd. receperunt correctiones uituperabilis (Uict. Man. Mos. Or.) aut uituperio est (Gebh. Dau. *) Ern. Wagn.), eae non probabiliores sunt, quam aut Gzii quae Schuetzio placuit coniectura uituperetur aut Bakii consulatum uituperes. Nam consulatus est ipsum munus, quod per se aut laudabile aut uituperabile i. e. aut laude aut uituperatione dignum est, non fit, si consulum peccata collegeris. Quae ipsa conditio satis eam sententiam flagitari indicat, quam Madu. in Emendatt. p. 88. coniectura in cod. γ, non in Dr. 2. tentata: consulatus uituperatio est declarare uoluit. Sed substantiua uerbalia in io desinentia ita tantum potestatem rei faciendae assumunt, si adiectiuum aut pronomen accedit. Cic. Ac. II, 16. 51. omnium deinde inanium uisorum una depulsio est. Leg. II, 16. 41. Cf. progr. 1841. p. 21. Mendum codd. δ et Gd. 2. uituperet duorum uocabulorum notis in unum conflatis natum est ex uituperari potest. Cf. quae dixi II. §. 32. prol. p. XVI.

ego enim] Particula enim refertur ad id, quod paullo ante uitia tribunatus a Quinto praeclare perspecta

---

*) hic tamen ex mendo codicis Par. uituperio est sed consulum coniecturam etiam peiorem elicuit uituperio esset, si.

esse concessit. Non opus est igitur Dauisii coniectura autem. Inepte Gzius enim transeundi particulam esse dicit.

in ista ipsa] Ista ipsa sc. trib. potestas non oppositum habet non in alia, sed ipsa est per se non consideratis exemplis singulorum, ut recte Bakius animaduertit.

multo saeuior multoque ueh.] Merito hunc uerborum ordinem, cum post Steph. et Manutium Goer. Sch. Mos. Or. inuersum (multo ueh. multoque saeuior) expressissent, ex melioribus codd. Bakius reuocauit. Nimirum cum uehementia effectus sit saeuitiae, optime saeuitiae per particulam que, quae complendi uim habet, adiungitur uehementia.

quod habet] Tenui quatuor codd. dett. auctoritate Bakius scripsit quum habet, quod in genere loqui Tullius uideretur; at de populo romano cogitari duce tunc non carente ostendunt ea, quae sequuntur: quam si nullum haberet.

suo periculo] Pronomen se, quod Mos. Or. Bakius post suo, de Gzii coni. Schuetzius ante suo posuit, quia in cod. arch. non fuisse certum est, recipere non ausus sum. Cf. quae dixi I. §. 53.

§. 24. et quidem] Hunc harum particularum usum in eius, quod ab aduersario dictum est, uel concessione uel eleuatione uere Maduigius exposuit in Emendatt. p. 90 et de Fin. I, 10. 30. (Post Gzium et quidem plerique atque adeo esse dixerunt). Nimirum et adiungit aliquid aduersarii obiectioni tamquam complementum, quidem illud ipsum attendi iubet. Cf. Cic. Tusc. III, 20. 48. de Fin. II, 3. 9. pro Planc. 12, 31. pro Rab. Post. 8. Eademque istarum particularum ratio est in amplificatione et confirmatione eius, quod affirmatum ante est, ut Cic. Lael. 21, 79. rarum genus! et quidem omnia praeclara rara. Cf. Zumpt. ad Verr. IV, 38. 83. et Seyff. ad Lael. l. l., qui laudat Cic. de Or. II, 33. 142. Simplicem particulam et itidem in concedendo et eleuando usurpari perperam Bakius collegit exemplis his: §. 24. et eos quamuis enumeres multos licet, pro Scauro §. 41. at creditum est aliquando Sardis. Et fortasse credetur aliquando, si integri uenerint. Nulla ibi rei ex aduerso positae eleuatio est, sed sola adiunctio quaedam; in Verr. autem III, 82. 90, quem locum idem citauit, particula et explicandi uim habet; de quo uide Naegelsbach. Lat. Stil. p. 382. In diluenda quidem et eleuanda obiectione et abesse potest, quidem, quo quod obiicitur, intenditur, numquam potest. Cf. exempla a Bakio allata Cic. N. D. III,

33. 82. **at Phalaris, at Apollodorus poenas sustulit.** Multis quidem ante cruciatis et necatis. pro Caec. 3, 8. est enim turpe iudicium. Ex facto quidem turpe. in Verr. I, 9. 22. causam enim, inquit, cognosci oportet. Ea quidem re, quod aliter condemnari reus non potest; ubi male Bakius et restitui uoluit ante ea. Quod non modo opus, sed ne uerum quidem est; certe Tullius scripsisset et ea quidem re. Sed interest tamen nonnihil, utrum et praefigatur nec ne. Praefigitur, si quod alius affirmauit, alia affirmatione eleuaturi sumus; omittitur, si id quod ab aduersario positum est, restringi uolumus, non ipsi affirmationem adiungere.

Quin ipsum Ti. Gracchum] In cod. arch. procul dubio haec erant: quin ipsum Ti. Gracchum non solum nectus, sed etiam sublatus intercessor fuerat. Praepositio per post Uict. Steph. Manutium a Wytt. Mos. Zumptio probata, ut in dett. quibusdam codd. ante ipsum orationi insereretur, mendum fuerat effecit. Quo uerbum contineri eiusdem fere potestatis, quam percellendi uerbum habet, satis arguunt ea, quae sequuntur. Quapropter probari non potest Orellii coniectura seruauerat aut Schefferi fuderat. In reliquorum autem coniecturis, Dauisii perculerat, Bentleii fregerat, Gzii strauerat praua temporis descriptio merito displicet. Ad hanc quod attinet, ueriorem rationem inierunt Puteanus et Wagnerus, quorum ille coniecit: quin perdidit ipsum Ti. Gracchum non solum uetitus, sed etiam sublatus intercessor, hic quin perdidit hoc Ti. Gracchum, quod per ipsum non solum uetitus, sed etiam sublatus intercessor fuerat. Sed nec reliqua sunt probabilia et uerbum non illo loco est restituendum, sed ex mendo fuerat eliciendum; cui ad litterarum similitudinem nihil conuenientius est, quam strauit *); quo ne ad sententiam quidem quicquam melius potest excogitari. Opportune Gzius, ut sternere pro prosternendi uerbo dici demonstraret, laudauit Cic. Tusc. III, 29. 72. si eorum plaga perculsi afflictos se et stratos esse fateantur. Praua deinde est correctio uetitus, quam tentatam in codd. dett. multi probarunt (Uict. Dau. Ern. Wagn. Goer. Schuetz. Zumpt.). Cum sublatus ad tribuniciam potestatem Octauio abrogatam pertineat, quod antecedit participium ad intercessionem Octauii neglectam referri necesse est, quia particulae non

*) strauit enim sic notabatur ſtrāt.

solum — sed etiam illo leuiorem rem a Graccho patratam, hoc grauiorem indicari arguunt. Et neglectam esse primum Octauii intercessionem, deinde potestatem ei abrogatam satis constat. Cf. Liu. Epit. 58. App. B. C. I, 9. Cic. pro Mil. 27, 72. Vell. Pat. II, 2. Flor. III, 14. Quomodo igitur tribunus, cuius neglecta intercessio sit, uetitus potest nominari, cum ipse uetet, non uetetur? Deinde uero non recte dicitur simpliciter uetari; quid facere uetetur, addi oportet, nisi facile suppletur. Hinc uerissimam esse elucet Manutii coniecturam neglectus, ex mendo codd. meliorum nectus expressam, quam merito assensu comprobarunt Madu. in Emendatt. p. 96. et Orellius. Quam quod Bakius cum alias ob causas inanes, tum ob hanc improbauit, quod ex Cic. Phil. II, 22. 53. (intercessio neglecta, ius tribunicium sublatum) idem neglectus atque sublatus esse appareret: non animaduertit profecto ibi ius tribunicium dici sublatum, non ipsum tribunum. Quod ipse coniecit inuentus, uel hoc nomine improbari necesse est, quia utroque participio facinus indicari necesse est a Ti. Graccho patratum. Lbinus male coniecit nexus, Schefferus inuectus. Uernaculo sermone sic interpretor: Ja, selbst den Ti. Gracchus stürzte dies, dass er den Einspruch seines Collegen nicht blos unbeachtet liess, sondern ihn auch selber absetzte.

nisi quod cet.] Scilicet potestate Octauio abrogata ius sacrosanctum tribunorum et leges ciuitatis uiolauit. Quare senatus consulto facto, ut uiderent coss., ne quid detrimenti caperet res publica, a L. Opimio cos. interfectus est. Cic. Phil. VIII, 4. 14. de Or. II, 30. 132. Cat. I, 2. 4. Brut. 34, 128. Dio Cass. XLVI, 49, cui ista poena diuina uidetur fuisse.

maiorum in illo uide] Eleuato eo, quod aduersarius opposuit, ad sapientiam maiorum animum aduerti in illo iubet, quod potestatem tribuniciam plebi concesserint, commoda quae attulerit, declarans. Itaque ut facillima, ita uerissima est Manutii coniectura inde a Dauisio uulgata maiorum in illo uide. Pronomine ille monstratur tribuniciae potestatis concessio tamquam tempore remotior. In illo autem uide hanc uim habet: erkenne darin, quemadmodum similiter Cic. in Verr. I, 28. 72. ait: in quo uideo Neronis iudicio non te absolutum esse improbitatis, sed illos damnatos esse caedis, ut iniuria Bakius unum haec Ciceroniana sit locutio, dubitauerit. Minus probabilis est Turnebi coniectura, quae Lbino placuit, maiorum in hoc uide. In Halmii coniectura sapien-

tiam maiorum hoc loco uide (Phil. I. p. 178.), praeterquam quod longius a codd. uestigiis recedit, ne loci quidem commemoratio admodum placet.

quo — putarent, non quod omnia sibi cum patriciis iura aequata putarent (nam hoc tum ne flagitabant quidem), sed quia plebeia illa potestate concessa id se adeptos esse existimabant, ut suo iure non minus ipsi, quam patricii uti possent nec iam ex horum arbitrio penderent. Ernestianam mendi putarint correctionem merito reliqui probarunt, unus Bakius reliquit, qui putant coniecit praesentem a Cicerone opinionem declarari existimans. Quod secus esse uerba ostendunt: in quo uno fuit ciuitatis salus. Cum igitur propter haec opus sit tempore praeterito, tum coniunctiuus flagitatur, ut genus temperamenti declaretur cogitatione conceptum (tale temperamentum, ut cet.). Cf. quae dixi I. §. 2. II. §. 30.

et praeter eos cet.] Aduersario duos Gracchos fuisse dicenti non solum hoc, sed etiam illud concedit Gracchorum similes et uituperabiles (non perniciosos, ut Bakio uisum est) quamuis multos posse enumerari; idque ita necesse esse adiungit tum, cum deni tribuni creentur. Generaliter igitur loquitur de tribunis omni aetate creandis (wenn zehn auf einmal erwählt werden). Cf. III, §. 34. cum aliquid uerum et rectum esse dicitur. Male igitur Orellius Maduigio auctore sine iusta codd. auctoritate scripsit creentur, Uict. Man. Lamb. crearentur, quod ab hac generali sententia prorsus abhorret. Sed in causa afferenda quia dicit leues, etiam non bonos *) fortasse plures reperiri, hercle ante dici necesse est, perniciosos tribunos nonnullos reperiri. Atque hanc facilem mendi nullos correctionem pridem Lbinus proposuit, quam plerique post eum interpretes tenuerunt. Nullos, quod Gzius retinuit, sententiam peruersam reddit. Quam peruersitatem qui tollere conati sunt interrogandi signo post tribunos posito, ut Gulielmus et Gruterus, ii non attenderunt interrogationem propter sequentem affirmationem ab h. l. alienam esse. Bakius perperam de uniuersis magistratibus, non de solis tribunis sermonem esse ratus omisso uocabulo tribunos male haec coniecit: cum deni creantur, multos in omni memoria reperies perniciosos, leues; sed bonos fortasse plures. Nec probabiliter Halmius

*) maius enim est uitium non bonum i. e. malum (unpatriotisch), quam leuem esse; nec tamen non bonum esse tantum ualet, quantum perniciosum esse.

in Phil. I. p. 178. coniecit: leues etiam quam bonos fortasse plures. Oppositi sibi sunt nonnulli et plures. Iam illos quia perniciosos dixit, hi quales sint, addi necesse est. Peruersa interpunctione Zumptius sic scribi iussit: Et praeter eos quamuis enumeres multos. Licet, cum deni creentur, nonnullos cet.

inuidia quidem s. o. c. i. e. hoc certe efficitur, ut senatui non inuideatur.

§. 25. ut multis praecl. inst.] Cicero posteaquam tribunatum defendit eiusque utilitatem exposuit, aut reges non expellendos fuisse colligit, aut plebi concedendos fuisse tribunos, ut re, non uerbo libertate uteretur; nec id tamen regibus expulsis *) factum esse, sed libertatem ita esse datam, ut plebes ex patriciis penderet, idque ut fieri pateretur, eam praeclaris quibusdam rebus esse adductam. Quae tamen duae sententiae conflatae in unam sunt. Hinc facile est uidere, adduceretur recte primum reuocatum esse a Gzio probatumque a reliquis excepto Bakio, qui addicendi uerbo, quod retinuit, adstringendi uim tribuit, quam nusquam habet. Sed quae sunt res, quibus plebs adducta est, ut principum auctoritati cederet? Nam uniuerse multa praeclarissima ea dici posse praeter Gzium nemo ausus est affirmare. Lbinus coniecit multis praeclarissimis legibus, Dauisius S. C. praeclarissimis, Cannegieterus multis priscis legibus, Schuetzius muneribus praeclarissimis, Orellius multis praeclaris rebus gestis, Maduigius in Emendatt. p. 99. uinclis praeclarissimis, quod idem Krausio placuit in Jahnii Ann. 1849. p. 78. Sed quae exactis regibus plebem impulerant, ut principum auctoritati cederet, ea nec uincla dici possunt nec senatus consulta nec munera nec res gestae nec leges denique. Nam Ualerii Poplicolae potissimum opera id effectum esse constat. Cf. Cic. Rep. II, 31. haud mediocris hic (sc. Poplicola), ut ego quidem intelligo, uir fuit, qui modica libertate data facilius tenuit auctoritatem principum. Eius autem lex erat una, qua magnam apud plebem gratiam iniret, lex de prouocatione. Dion. Hal. V, 19. 70. Liu II, 8. Plut. Popl. c. 11. Sed plura tamen eam consecuta sunt instituta; nam lege perlata, ut ipse Cicero scribit, statim secures de fascibus demi iussit

*) nam de hoc solo tempore loquitur, quo regibus exactis nondum tribuni erant, ut parum recte haec quidam retulerint ad aetatem posteriorem, qua tribuni iam nati acriter plebi libertatem uindicabant.

instituitque, ut singulis consulibus alternis mensibus lictores praeirent fascesque demitterentur, cum coss. in concione dicere coepissent. Itaque mendi praeclarissimis duorum uocabulorum confusione nati (cf. praef. p. XVI.) etiamnunc uerissimam puto correctionem eam, quam et ego in progr. 1841. p. 22. et Bakius proposuit, praeclaris institutis, eamque uel eo confirmari puto, quod saepe praeter leges commemorantur instituta cum illis coniuncta. Cf. I, §. 42. III, §. 43. de Rep. II, 1. Tusc. I, 1. 2.

XI. Nostra autem cet.] Tribunatum ut ipsum per se non perniciosum esse demonstret, suam quoque causam attingit. Intelligitur autem tribunicia potestas Clodii, non uniuersa, quae mox tribunatus nomine nuncupatur; incidere autem in trib. potestatem est quod nos dicimus auf die trib. Gewalt stossen, mit ihr in Berührung kommen, quemadmodum similiter dicitur ad Fam. II, 18. 3. in tribunicios terrores incidere. Uere sic iam Gzius explicauit, male nunc Bakius sic interpretatur: „mea causa incidit in ea tempora, quibus illa potestas per Pompeium restituta uigebat".

seruitia incitata] Quod Gzius coniecit concitata, id etsi per se aptissimum est (cf. exempla a Bakio et Gzio laudata pro Sest. 24, 53. seruitio denique concitato. pro Flacc. 2, 3. et 3, 6. pro Dom. 21, 54. serui ex omnibus uicis concitati. in Pis. 4, 9.): tamen inuitis codicibus pro incitata recipere nolui. Nimirum illud ad cogenda seruitia pertinet, hoc ad inflammanda. Eiusdem autem uerbi repetitio eo minus incommoda est, quod priore loco attributi instar est, altero praedicati uim obtinet. De uinclis per Clodium solutis cf. Plut. Cic. c. 30.

terrore militari] Erat enim tum cum exercitu ad portas Caesar, cuius arma Ciceroni Clodius intentabat. Cf. Cic. pro Sest. 19, 42. intenta signa legionum existimari ceruicibus ac bonis uestris falso, sed putari tamen.

cum illa tum peste sc. quam Clodius seruitiis concitatis et uinclis solutis excitabat; nam ut Clodium ipsum, etsi non raro pestis uel addito genitiuo, quod frequentissimum, uel omisso, ut in Verr. III, 54. 125. V, 63. 162. de homine dicitur, sic appellari non existimem, uerba faciunt opposita cum grauissimo rei publicae tempore. Cum illa igitur sibi certamen fuisse negat; cum qua si sola habuisset, id suscepisset nec dubium fuisset, quin superior fuisset discessurus; habuit uero cum grauissimo rei publicae tempore: nam nec pugnare cum Clodio eiusque sociis ciuitati

periculosum non erat, et oppressio eius magnam rei publicae perniciem attulisset, cum coss. profusi sanguinis tribunicii ultores exstitissent. Cf. Cic. pro Sest. 20. et 21. pro Planc. 36, 89. Errauit Bakius, qui quia cum Clodio sibi certamen fuisse non posset negare, coniecit: cum illa tum potestate, ut ipsa tribunicia intelligeretur potestas, non Clodii. Cum illa tempestate correctio est parum probabiliter tentata in codd. dett.

cui si non cessissem] Etsi ex mendo codd. B E δ cui cessissem facile est efficere cui nisi cessissem (Goer. et Schuetz. ni scripserunt, quod locum habet in sponsionibus formulisque iudiciariis): tamen quia et in principe deteriorum libro si non fuisse certum est et reuera cessisse Ciceronem recte indicatur, hoc probabilius quam illud est, quo conditionem sola cogitatione contineri declaratur; idemque quodammodo confirmatur eo, quod in codd. A et Gd. 2. negandi uocula omissa certe particula si seruata est. Eandem exilii sui rationem explicat pro Sest. 15—24. post red. in sen. c. 13. et 14. ad Quint. Fr. I, 4.

beneficii sc. eius, quod rei publicae praestiterat Catilinaria coniuratione oppressa. Beneficium hoc item uocat Cic Par. IV, 1. 29.

non modo liber, sed etiam] Perperam Bakius in comment. probauit particulae etiam omissionem, quam post Gzium Schuetzius et Moserus expulerant, uncis incluserat Orellius. Nam et in principe deteriorum libro etiam fuisse certum est et mendum h. l. conceptum esse in melioribus, quippe a quibus etiam particula sed absit. Ac recte se habet particula in hac ascensione a re minore ad maiorem; nam maius est seruo Ciceronis salutem caram fuisse quam libero. Cf. III. §. 21.

§. 26. quodsi is casus cet. i. e. si res, quas pro salute rei publicae gessimus, non omnibus gratae cecidissent, quemadmodum similiter dicit pro Mil. 30, 81. si minus fortissimi uiri uirtus grata cecidisset. Si autem non gratae ceciderant, nec ipsae gratae erant, nec gratus erat casus earum (ihr Ausfall war nicht für Alle ein angenehmer). Potuit igitur Cicero scribere, quod post Wagnerum *) iterum Bakius flagitari dixit: ut non omnibus gratae essent, non debuit. Alterum ut praeferret, pronomen is effecit, quo cum ui quadam posito magis ipsius casus, quam rerum gestarum descriptio requiri uidebatur. Wyttenbachii rationem,

*) idem Wagnerus praeter hanc etiam illam minus probabilem coniecturam proposuit: ut non omnibus gratus essem.

quae Mosero et Creuzero placuit, satis refutauit Maduigius in Emendatt. p. 99. Is quia casum putabat esse lapsum uel ruinam rerum, particulam non ante omnibus delendam esse dixit. Gzium, qui sic interpretatus est: „si res, quas pro salute patriae gessi, non eum euentum habuissent, quem omnes grata mente agnoscerent", fugit casum non esse euentum. Euentum enim dixit exitum (Resultat), id quod elucet ex uerbis, quae addidit: „homines enim uulgo non tam consilium in rebus agendis, sed casum i. e. exitum earum euentumque spectant".

et si nos mult. fur. inuidia] Extra controuersiam posita est particula et, quae in affirmatione pro negatione substituenda legitima est (cf. I. §. 18.) quamque Turnebo, Manutio, Lbino exceptis reliqui probarunt; itemque nos, pro quo in dett. codd. est correctio in nos, qua ductus Dau. coniecit: et si in nos multitudinis uis furentis inflammata inuidia erupisset tribunicia, quae sic in me populum — incitasset. Sed hoc quaeritur, utrum cum superioribus scribendum sit multitudinis uis furentis inflammata inuidia, an cum Goer. Sch. Mos. Or. multitudinis inflammata inuidia. Et horum quidem ratio primum confirmatur auctoritate codd. meliorum, in quibus uis non exstat; deinde ut eam probemus, facit ingrata eiusdem uocabuli in proxima sententia iteratio; tum metaphora insolentius posita: animus eiusque motus et cupiditates inflammantur, non uis. Sententia uero huius scripturae haec est: si multitudo aut ipsius inuidia, aucta etiam per tribunos, aut aliena ui (sc. tribunicia) incitata nos pepulisset cet. Utriusque igitur notionis contraria ratio ut magis eluceret, dici oportuit si multitudinis inuidia, non multitudinis uis nos pepulisset. Inuidia inflammata recte dicitur inuidia multitudinis per tribunos etiam aucta. Cf. quae dixi III. §. 22. Parum probabiliter igitur Bakius coniecit: et si nos multitudinis uis furentis, si flamma inuidiae pepulisset. Sine causa etiam Lbinus pro pepulisset coniecit perculisset, Rathius urbe pepulisset, cum, unde pulsus sit, dubitari nequeat. Cf. Cic. pro Caec. 11, 31. Liu. XXXIV, 26. Ual. Max. I, 7. extr. Inepte Gzius laudat Cic. ad Fam. IV, 13. quamquam enim nulla me ipsum priuatum pepulit insignis iniuria, ubi pepulit est attigit. Deinde Gzii coniectura tribuniciaque uis, a Sch. Mos. Or. probata (superiores Turnebi coniecturam secuti ediderant si tribunus aliquis, Lbinus si tribunus plebis aliquis) et mendo codd. meliorum et sententia confirmatur;

qua temere relicta Bakius coniecit tribunusque in me populum cet. Tribunicia uis, quae dicitur inuidiose, cur parum recte dicatur, quia deinde singulorum tribunorum exempla sequantur, ego non intelligo. Est enim tribunicia uis, qualis in tribunis non omnibus, sed singulis quibusdam elucere solet.

in Laenatem] C. Gracchus diem dixit P. Popillio Laenati, qui anno postquam Tib. frater interfectus est, consul in Ti. Gracchi partes saeuierat. Vell. Pat. II, 7. pro Dom. 31, 82. 32, 87. Schol. Bob. post red. ad pop. p. 252. Cessit tum Graccho Laenas et rogatione tribunicia restitutus est L. Bestiae a. 633. Cic. Brut. 34, 128. post red. in sen. 15, 38. Q. Metello Numidico cum unus in Saturnini legem agrariam, quam non iure latam iudicabat, iurare nollet, a. 654. diem dixit L. Saturninus tr. pl. Sed ne ciuilis tumultus auctor fieret, urbe cessit et Rhodum se contulit in exilium. Mox Saturnino oppresso rogatione Calidia reuocatus est. Cf. pro Dom. 31, 82. 32, 87. pro Planc. 28, 69. in Pis. 9, 20. Schol. Bob. pro Planc. p. 272. Vell. II, 15. App. B. C. I, 29. sqq.

facere debent] nam eorum etiamtunc libri exstabant, unde solatia peti possent. Temere haec Rathius in suspicionem uocauit

clarissimi uiri sc. principes ciuitatis Atheniensium. Bakius, ut romanae ciuitatis principes intelligerentur, hac pro illa coniecit. Sed notissima hercle sunt illa Atheniensium exempla, quae ipse Cic. de Rep. I, 3. ab Athenis translata Romam esse dicit; et de Atheniensibus, non de Romanis Marcum h. l. cogitasse inde elucet, quod non uniuerse philosophos nominat, sed Athenienses. Gzius coniecit clarissimi isti uiri; certe illi dici oportuit; sed non opus est pronomine.

ciuis perniciose popularis, i. e. ciuis, qui ad ipsius ciuitatis perniciem populi studiosus est, opponitur ciui innoxie populari, quem Plinius uocat Ep. VI, 31. 3. Certum quendam uirum num spectauerit, dubium est. Gzius Caesarem peti existimat.

dici admodum] Inuersus uerborum ordo admodum dici, quem Gebh. Ern. Sch. receperunt, omni codd. auctoritate caret. Uerbis admodum et prorsus ita est cum is utatur, qui alteri se assentiri indicat (cf. Ruhnk. ad Ter. Hec. III, 5. 8. II, 2. 1.), Marcum ista Quinto suppeditare patet, ut ad aliam rem possit transire. Uere igitur iam Goer. Sch. Mos. Or. uerba sic distribuerunt, ut nos fecimus; superiores (Steph. Man. Dau. Ern.) particula aut

omissa fere in hunc modum: admodum. Att. Prorsus ita est. Q. Haud equidem assentior cet. Lbinus uero hoc coniecit: admodum. Q. Prorsus ita esse haud equidem assentior. Bakius denique, qui uerbis: scis solere — pergas uelim Quinti personam praeposuit omnia ista: scis solere — prorsus ita est temere a Cicerone abiudicauit.

haud equidem] Quintus Marco, ut eis, quae disputauit, assentiatur adhortanti non assentitur, sed tamen ad reliqua ut pergat concedit. Necessaria est igitur coni. pridem uulgata haud pro aut.

perseueras — et — permanes] Bakius, qui, ut nescio quam tautologiam tolleret, uerbis et permanes expulsis haec commendauit: perseueras tu quidem in tua uetere sententia, non intellexit unam constanter permanendi notionem dissolui in duas. Absolute autem perseuerandi uerbum usurpari documento est Cic. in Verr. IV, 39. 85. Uetus Quinti sententia uocatur, quia eam non modo c. 8. et 9. explicauerat, sed idem multo ante senserat.

Nec mehercule] Ante Maduigium et Bakium uerba: Nunc mehercule Quinto, reliqua ego sane — audiamus Attico tribuebantur. Sic et inficete Quintus fieri posse significans, ut aliquando sententiam suam mutaret, nunc tamen retineret, et Atticus, qui III. §. 37. nihil sibi populare umquam placuisse dicit, hoc ipso loco a Quinti sententia discedens rem popularem probaret suamque a Quinto dissensionem inepte particula sane declararet. Certe ego uero dici oportuit, id quod Lbinus sensit, qui at ego coniecit. Quamquam ne sic quidem recte se haberet particula sed, quae sequitur. Uerissime igitur Maduigius in progr. p. 27. et Bakius particula nec pro nunc substituta haec omnia Attico tribuerunt. Similis correctio (non) iam tentata est in codd. dett.; sed copulandi particula non possumus carere. De uocularum sane hercle coniunctione Madu. laudauit Leg. II. §. 8. Plaut. Trin. III, 3. 53. Adde Ter. Hec. III, 5. 9. Phorm. III, 3. 9. Sane concedentis, hercle confirmantis est.

XIII. §. 27. auspicia et iudicia] De auspiciorum iure, quo magistratus utebantur, cf. Marquardt Ant. rom. III, 3. p. 70; de iure magistratuum de rebus, quae ad ipsorum munus pertinerent, iudicandi et multae dicendae III. §. 10. De utroque placito a Bakio laudatur Rubino Unters. über röm. Verf. I. p. 48. sqq. et p. 87. not. 1, tum p. 443—447.

ut esset populi potestas (sc. ea), ad quam prouocaretur, i. e. ut populi potestas prouocationi relinqueretur, non ipsa primam iudicationem haberet. Gzius, qui sic interpretatus est: „ut ad populum prouocatio esset tamquam ad supremum iudicem" nescio an idem senserit. Zumptius, qui sic conuertit: die Gerichte, ohne dabei die Macht des Volkes, auf das man sich berufen kann, aufzugeben" non animaduertit disseri h. l., quid secutus Marcus hoc praescripserit. Bakius, quia hoc caput tantum ad ius magistratuum spectaret nec de populo, ad quem prouocaretur, posset cogitari, coniecit: ut populo i. e. priuatis esset potestas. Insolentius est h. l. tempus praeteritum esset — impedirent, pro quo exspectaueris sit — impediant. Sed usus est illo propter subnatam praescriptionis iam ante perfectae notionem. Cf. quae de simili notionum et temporum enallage dixi I. §. 58.

ex iis cum Uict. Lamb. Or. Bakio recepi ex codd. dett., quia in hanc generalem rei descriptionem magis pronomen is quam hic cadere uidetur; reliqui ex his.

efficitur] Ut recte efficitur dici demonstraret, Bakius laudauit Drak. ad Liu. XXIX, 35. 10. Cort. ad Diu. XI, 10. 5. Vell. Pat. II, 73. 3. Immerito Creuz. et Mos. ex aperto dett. codd. mendo senatus consulto efficitur coniecturam expresserunt senatus conficitur. Quod uere Bakius dixit displicere uel propterea, quod conficere de certo numero diceretur, sublata autem cooptatione censoria senatus annuis magistratibus aucti certus numerus cogitari non posset. Male Lbinus constituitur scripsit pro efficitur, peruersius etiam Dau. haec coniecit: quod senatus constat, efficitur populare id sane.

populare est] Hanc Turnebi coniecturam, quae Rathio quoque placuit nec displicuit Mosero, recepi cum Man. et Lbino, quia in hac longiore sententia aegre uerbo caremus; eaque plane confirmatur cod. arch. mendo popularem (popularē), quod sine ulla mendi suspicione Ern. retinuit. Nimirum nota uerbi est (ē) exstincta est praecedentis uocabuli littera postrema; quo facto duo uocabula conflata in unum sunt. Schefferus peruerse coniecit: populare, Marce, sane; Goer. Sch. Mos. Orellius: populare sane, mendo sublato, non sanato. Ceterum hanc senatus fuisse conditionem Ciceronis aetate uere Bakius animaduertit, qui praeter Rubin. Unters. I. p. 150. not. 2. laudauit Cic. pro Sest. 65, 137. deligerentur in id consilium ab uniuerso populo aditusque in illum ordinem omnium ciuium industriae ac uirtuti pateret; in-

deque id beneficium populi rom. a Cic. in Verr. IV, 11. 25. appellari dicit. Antea senatores legi esse solitos per censores satis constat.

uitii] Uitium hoc dicit descriptionis rei publicae, quia populi potestas isto modo mirifice augeri uidetur.

§. 28. eius decreta rata sunto] Hac lege omnes et priuati et magistratus et ipse populus senatus decretis teneri iubetur; saepe enim accidisse constat, ut plebs senatus auctoritatem in legibus sciscendis negligeret. Male Bakius etiam hoc hac lege uetari iudicauit, ne senatus decreta ulla intercessione irrita fierent. Intercessionem non uetari ostendunt ea, quae in ipsa lege §. 10. addita sunt: at potestas — perscripta seruanto. Qua facta non iam decreta, sed auctoritates erant, quae ratae non erant.

praeclara uero cet.] Uoculam est, quam Turn. post lex ex codd. se recepisse ait quamque a Lbino inde reliqui expresserunt, cum Bakio expuli. Non opus est ea in hac asseueratione et admiratione, praesertim addita confirmandi part. uero.

sed et late patet cet.] Mendi quod in cod. arch. fuit sed et laterat et ut praua est haec correctio in codd. dett.: sed altera ut et, quam, cum similiter ante Uict. et Steph. sed et altera, ut et scripsissent, Gzius probauit. Ueriorem correctionem a Turnebo sic inchoatam [sed] et late patet, ut (eandem Lamb. Ern. Wagn. Mos. tenuerunt) egregie Man. ope codicum ita absoluit, ut tentata iam est in codd. β et γ: sed et late patet, ut; eamque merito assensu Orellius comprobauit. Praeclaram igitur Quintus totam illam legem dicit, sed priorem tamen eius partem latioribus finibus contineri (sehr allgemein gehalten sei) eoque censorem interpretem quaerere dicit, qui ubique, num uitio quis senatorum inquinatus sit, iudicet. Non recte mihi uidetur Halmius in Phil. p. 178. praeter uerissimam Manutii correctionem etiam mendum codd. dett. altera probare, quia nunc de altera legis parte, de altera: ceteris specimen esto demum §. 30. disserat. Lex est una quaedam; ad hanc igitur altera referri necesse esset, ad partem, quae nominata non est, referri profecto non potest. Nec uero opus est partem insuper indicari, cum ipsa legis pars, quam Quintus quodammodo reprehendit (alteram nihil curat), recitetur (ut uitio careat ordo). Marcus ipse, cum priorem legis partem Quinto auctore singillatim explicuisset, alteram deinde separatim interpretatur. Temeraria est Dauisii coniectura: praeclara uero, frater, ista lex si quae alia, ut

uitio careat ordo: at censorem quaerat interpretem, itemque Schuetzii: praeclara uero — lex est, ut uitio careat ordo et late patet, ut censorem quaerat interpretem atque Bakii: sed laborabit hoc, ut uitio careat ordo et censorem quaeret interpretem. Mox praua dett. codd. correctio ut et uitio post Uict. et Steph. male probata est a Lbino et Gzio, Denique sibi respondere necesse est uerba et late patet — et quaerit. Hoc igitur postremum recte de Turnebi coniectura receperunt Moserus et Orellius; Bakius quod consentaneum erat eius coniecturae laborabit, commendauit quaeret; reliqui retinuerunt mendum quaerat, quod originem traxit ex praecedente particula ut.

§. 29. etsi tuus est totus ordo] Hunc uerborum ordinem iam a Uict. Dan. Goer. Sch. Mos. Or. expressum et meliorum codd. auctoritate confirmatum immerito Bakius deseruit, qui ex dett. quibusdam codd. et ex correcto cod. A cum Steph. et Lamb. scripsit etsi tuus totus est ordo atque insuper ordo a grammatico esse suspicatus est. At totus ut ad uerba etsi tuus est, ita etiam ad pronomen ille pertinet uerborum ordine implicatiore, nec tamen nouo. Unde uim non infringi elucet, quae posita est in pronomine tuus. Man. Ern. Wagn. etsi est totus tuus ordo.

pace tua] Gzium qui sine ulla ratione idonea particulam tamen ante pace restitui uoluit, fugit hercle concessiuam sententiam interiectam esse.

sed etiam iudices omnes, id quod maius est; nam iudices de maleficiis tantum iudicabant, censores uel uitia notabant.

XIII. qui nunc sunt] Quo minus haec uerba cum Bakio pro interpretamento possint haberi, ordo impedit uerborum praecedentium his de hominibus. Nisi sententiam relatiuam addere noluisset, procul dubio scripsisset nec de his hominibus, quemadmodum scripsit de hoc senatu. Quibus omissis minuitur etiam orationis concinnitas; respondent enim illis: si qui — noluerint.

quisquam] Hoc merito post Uict. Lamb. Dauisium codd. auctoritate reuocauit Bakius. Steph. Man. Ern. Wagn. Goer. sine iusta codd. auctoritate et contra Tullii consuetudinem umquam; nam sic particeps substantiui instar esset; quod ita recte fieri solet, si genus hominum indicatur, ut sapiens, prudens, liber, non ita ut singuli homines uirtute aliqua praediti significentur; umquam

quisquam, quod Gzio arrisit receptumque est a Mosero et Orellio, est mera correctio, tentata illa iam in codd. β et γ.

§. 30. tenes ord. legum] Legem de educatione et disciplina nondum constituit. Confidit igitur Atticus fore, ut aut postea illam constituat aut ut lege aliqua adducatur, ut de hoc loco praecipiat.

praeteriero] Praue administrata est correctio in dett. codd. dupliciter, ut aut ceteris aut praetereundi uerbum omitteretur. Hoc post Uict. et Man. male Bakius probauit. Audiri enim necesse esset repetere uoles. At et uoles durius auditur et dici oportuit: si quem alium praeterierit. Quod autem post Steph. et Lbinum in ed. 1566. inde a Dauisio praeter unum Bakium omnes scripserunt praeterii. ceteris, id ad omissionem iam commissam, non etiam ad futuram pertineret. Iure igitur ex meliorum codd. mendo praeteris, quod natum est duorum uocabulorum notis in unum uocabulum conflatis, expressi praeteriero. Ceteris; cuius correctionis suspicionem nunc uideo iam olim in margine mouisse Lbinum. Cf. II. §. 50. pontificum pro pontifices cum. II. §. 57. contractet pro contractam et. II. §. 32. summos pro si enim deos.

quod si tenemus] Iam in duobus codd. ambross. (β et γ) mendo simul retento ea tentata est correctio, quae et in antiquioribus est editionibus et inde a Stephano in omnibus: quod si est. Haec quidem (wenn das der Fall ist) ad uitam pertinerent atque hanc uim continerent: si reuera senatus ceteris specimen est. Male Bakius hanc his uerbis uim contineri dixit: „si uerum est“. Ita dici oportet: quod si ita est. Cf. quae dixi I. §. 45. Bakii autem correctio, quam et ipse ut probabiliorem recepi, ad ipsam legem et rationem pertinet eaque omnia contineri significatur. (Halten wir diesen Grundsatz fest, so haben wir damit Alles).

L. Lucullus] De L. Luculli, eius qui Mithridatem uicit, uillarum magnificentia cf. Plin. H. N. IX, 54, qui eum a Pompeio Xerxem togatum scribit esse appellatum. Cic. Off. I, 39. 140. Uarr. R. R. I. c. 13. Colum I, 4. 6. Uell. Pat. II, 33, qui eum huius profusae in aedificiis conuictibusque et apparatibus luxuriae primum auctorem dicit. Cf. etiam quem Bakius laudauit Ath. VI. p. 274. F. Intelligitur autem uilla eius Tusculana (Plut. Luc. c. 39. 43.), cuius magnificentiam Lucullo exprobrauerat Gabinius tr. pl., cum rogationem suam de bello piratico in gratiam Pompeii suaderet. Cf. Cic. pro Sest. 43, 93. et Halm. ad h. l.

ferebatur] Steph. Man. Ern. Wagn. sine codd. auctoritate efferebatur, quod ne dici quidem uidetur nisi de rebus, ut Cic. de Or. I, 24. 111. petamque a uobis, ne has meas ineptias efferatis.

quasi com. respondisset i. e. ita de eo loquebantur, quasi quod respondisset commodum esset. Lamb. et Dau. quam commodissime respondisse, quam patet correctionem esse mendi, quod est in aliis codd. dett.: quasi commodissime respondisse, in quo quasi inepte additum esset ad mitigandam metaphoram, quae nulla est.

duos] Hanc ego formam a Steph. Man. Lamb. expressam (reliqui duo scripserunt) restitui, quia a cod. arch., in quo eam fuisse codd. arguunt, non temere discedendum esse putaui.

iis, qui] Maiore codd. auctoritate cum Steph. Man. Lamb. Dau. Ern. Wagn. scripsi iis; Gzio auctore reliqui his. Sed non ipse eques romanus et libertinus, sed uniuersum genus monstrari uidetur. Gud. 2, codicis ceteroquin optimi, nulla est hac in re auctoritas.

inferioris] Non quod tenuioris ipsum per se displiceret, sed quia uidetur correctio esse mendi interioris, quod est in codd. melioribus et huius ipsius probabilior est correctio iam a Uict. Lamb. Dau. expressa inferioris, hoc ipsum, non illud recepi. Idem uocabulum quod primum sententia propria, deinde paucis uerbis interiectis translata est usurpatum, id nihil molestiae habet. Cf. Seyff. ad Lael. p. 268.

Non uides, Luculle] Lucullo, qui iam a. 697. mortuus erat, ad id, quod commodissime respondisse ferebatur, Marcus sic respondet, quasi etiamtunc uiueret. Uicem igitur ille quodammodo obtinet eorum principum, qui eadem luxuria et cupiditate tenebantur. Hinc mox ad genus ipsum eorum transiit, qui Luculli similes erant. Imperfecto tempore in primaria sententia pro plusquamperfecto (licuisset, si tu non fecisses aut licuisset, si tu non faceres sc. ut cuperes) Romanos uti in re continua nec semel facta satis constat. Cf. Liu. IX, 19. Persas, Indos aliasque si Alexander adiunxisset gentes, impedimentum maius quam auxilium traheret. Cic. Phil. VIII, 4. 14. num igitur eum, si tum esses, temerarium ciuem aut crudelem putares? Tusc. I, 37. 90. cur igitur Camillus doleret, si haec post trecentos et quinquaginta fere annos euentura putaret? in Verr. III, 13. 32. pro Rosc. Am. 36, 103. pro C. Rab. 5, 15. Disseruit

hac de re accuratius Frd. Ellendt de formis enunciatorum condit. linguae lat. Reg. Pruss. 1827.

§. 31. eorum uillas] Temere Bakius pronomen, quod codd. omnes tenent, interpolatum dixit; quo expulso non satis, quorum essent uillae, eluceret. Signa et tabulae, quae deinceps commemorantur, intelliguntur eae, quas proconsules, propraetores, imperatores ex prouinciis et regnis auferebant; qua de re Cicero copiose dixit libro IV. orationis aduersus Uerrem habitae.

cupiditatis eiusdem] Teneri alicuius rei quia alibi apud Ciceronem non exstat, pro eo, quod in cod. arch. fuisse certum est, cupiditatis eiusdem, Steph. et Man. cupiditatis uocabulo omisso scripserunt eisdem, Lbinus cupiditatibus eisdem, quae correctio ex duobus codd. dett. (39. 96.) excerpta denuo Zumptio et Bakio placuit. Sed ut facilior, ita probabilior esset Krausii coniectura (in Jahnii Ann. 1849. p. 79.) cupiditates, eisdem. Sed non opus est ulla coniectura, si quidem teneri ad similitudinem uerborum reum uel noxium (Tac. Ann. V, 11.) esse iunctum est cum genitiuo; idque tritissimum sane apud iuris consultos (Paul. Dig. VI, 1. 4. furti teneri) ne alii quidem scriptores spreuerunt. Cf. Quint. Inst. Or. V, 14. 11. non quisquis hominem occidit, caedis tenetur. Tac. Ann. XI, 7. fin. quem (sc. modum) egressi repetundarum tenerentur.

XIV. secuturam] Pro hac cod. arch. scriptura, quam praeter antiquiores soli Uict. et Lbinus retinuerunt, immerito post Steph. Man. Dauisium sine codd. auctoritate reliqui secutam scripserunt, quia de re praeterita sermo esset. Ita est sane. Sed non minus recte animus aduertitur ad id, quod mutatione facta secuturum erat, quam ad id, quod secutum est. Participium enim fut. act. non solum ea significat, quae facere iam aggredimur, uerum etiam ea, quae eo iam tempore certum est fieri, quod descriptum est. Namque tempus certum non magis hoc participio, quam ceteris denotari constat. Cf. Sen. Ben. VI, 3. hae sunt diuitiae certae perpetuo mansurae. ibid. III, 35. pater filio uitam dedit perituram. Liu. II, 10. Horatius Cocles rem ausus est plus famae habituram quam fidei. Quamquam autem attributi instar hoc participium nomini non adiungitur a Cicerone, ut a posterioribus scriptoribus: nihil tamen id insolentiae habet hoc loco, quo obiecti locum tenet. Cf. Cic. Par. II. §. 17. nihil potest esse certi, nihil quod exploratum habeat permansurum sibi unum diem. Atque ab

hoc participio mox facilior est transitus ad sententiam generalem, quae sequitur: idque haud paullo uerius est, quam ab historia, quam participium perf. indicat. Eandemque sententiam et Cicero generalem posuit ad Fam. I, 9. 12. (quales in re publica principes essent, tales reliquos esse ciues) et ipse Plato, quem ob oculos habuisse uidetur de Legg. IV. p. 711. Particula et, quam Bakius ante quaecumque de coniectura addi uoluit, hanc incitatam orationem, in qua eadem sententia paullisper uariata iteratur, languidiorem redderet.

§. 32. Platoni] Cf. II, 15. 39.

quod ipsi] Male ex dett. quibusdam codd. Goer. Sch. Mos. Or. scripserunt ipsi quod. Opposita sibi h. l. sunt uerba corrumpuntur et corrumpunt, ut uere Bakius animaduertit, non ipsi oppositi sunt aliis, ut III. §. 16, quem ipsum locum documenti causa attulerunt.

haec res i. e. id quod de morum mutatione, quae in principibus exstiterit, mox in populo secutura, idem etiam de paucis recte dicitur. Bakius, qui haec res ad legem retulit, quae dilatari non posset, coniecit: atque haec lege dilatata — etiam possunt.

in illis libris sc. in libro IV. de Rep. Cf. Lact. de opif. diu. c. 1.

XV. §. 33. Proximum est autem] Mendum codicis arch. proximus, quod natum est ex proximūst, causa fuit, ut deinde est adderetur. Cf. I. §. 48. Qua sublata uocula merito Bakius post Steph. et Manutium scripsit proximum est i. e. proxime sequitur. Insignitur igitur proxime sequendi notio, non argumentum legis quae sequitur; id quod fit, si cum reliquis scripseris proximum autem est de suffragiis i. e. der nächste Punct aber handelt von der Abstimmung oder betrifft die Abst. Particulam autem Beiero suasore ad Off. II. p. 88. expellendam iudicauit, quia propter praecedentia nulla transitiua coniunctio (ipsius sunt uerba) ferri posset. At particula autem in disputatione promouenda non solum usurpatur, cum ab alia re ad aliam transitur (Off. I, 23. 77.), sed etiam cum re, de qua agatur, in uniuersum commemorata ad eam accuratius definiendam acceditur. Cf. Cic. Phil. XI, 10. 24. Nunc quod agitur agamus. Agitur autem liberine uiuamus, an mortem obeamus. Quae Beierum autem ad particulam expellendam causa impulit, ea nostra correctione concidit. Quamquam illius quidem ratio, quam exposuit ad Off. I, 3. 9. (dixit enim praemissa coniunctione monosyllabas uerbi esse formas non posse tertium

locum obtinere) pridem explosa est. Mox sine codd. Steph. Man. Lamb. Attice pro Tite.

suffragia in magistratu mand. cet.] Bakius haec omnia: in magistratu mandando — rogatione sciscenda tamquam ab interprete aliquo profecta deleri uoluit, quia Marcus istud non pueris, sed Quinto et Attico explicaret, idque comprobari putauit et praua locutione reum iudicare et peruersa duorum nominum (lege aut rogatione) disiunctione. Ac uere quidem iudicat ista non esse necessaria. Nec minus tamen uerum est, non omnia ea esse expellenda, quibus ad sententiae integritatem non opus sit. Ad orationem autem quod attinet, etsi uere negat reum iudicare recte dici pro iudicium de reo ferre (nam iudicari reus is dicitur, qui condemnatur. cf II. §. 37.): parum recte tamen idem transferre uidetur ad uerba iudicare de reo. Deinde uero notiones non modo re ipsa, sed etiam contemplatione diuersas per particulam aut disiungi constat. Cf. Cic. de Fin. III, 21. 71. nec uero rectum est cum amicis aut bene meritis consociare aut coniungere iniuriam, ubi Reisigius in schol. grammat. p. 443. atque coniungere coniecit. Accedit denique, ut utriusque nominis, etiamsi saepe promiscue usurpetur (Gell. N. A. X, 20.), tamen discrimen quoddam sit. Cf. Fest. s. u. rogatio p. 135: Rogatio est, quum populus consulitur de uno pluribusue hominibus, quod non ad omnes pertineat, et de una pluribusue rebus, de quibus non omnibus sanciatur. Nam quod in omnes homines resue populus sciuit, lex appellatur. Cf. Jordan pro Caec. 34, 100. Equidem ex cod. arch. uestigiis: in magistratu mandando an de reo iudicando qui in lege ea arbitror eliciendą esse, quae edidi. Particulae copulatiuae uel codicum uestigiis confirmantur*) uel sententia; nam hoc quaesiuit, num in omnibus istis rebus clam an palam suffragia ferre melius esset. Superiores omnes male disiunctiuas particulas asciuerant, quasi uero Tullius de singulis rebus, non de omnibus quaereret. Augetur uero haec molestia eo, quod deinceps etiam legis et rogationis uocabula eadem particula disiunguntur. - Praepositio in, cuius etiam ad alteram sententiae partem (ac de reo iudicando) uis pertinet, in hac ipsa repeti non poterat propter duarum praepositionum

*) an et ac saepe permutatur (Schwarz ad Plin. Paneg. p. 270. 285.) nec atque ex qui efficere temerarium est, cum saepe in his libris primas uocabulorum syllabas oblitteratas esse constet. Cf. II. §. 28.

concursum; pluribus uerbis ab altera disiuncta nihil molestiae parat; in tertia tamen parte repetita est propter memoriam eius admodum imminutam. Gerundiui formam (mandando magistratu) sequi gerundium nihil noui habet. Cf. Cic. Phil. XIV, 9. 26. princeps enim omnium Pansa proelii faciendi et cum Antonio confligendi fuit. Denique sciscenda, quod a cod. arch. abfuisse certum est, correctio necessaria est, tentata iam in duobus codd. ambr. et post Stephanum uulgata ab omnibus. Goer. Sch. Mos. Orell. praepositione in temere expulsa scripserunt suffragia magistratu mandando; deinde praeter Uict. Manut. Lbinum, qui aut de reo iudicando ediderunt, reliqui omnes: aut reo iudicando; denique Steph. Man. Dau. Ern. Wagn.: aut lege aut rogatione sciscenda, Gzius et Moserus: quin lege aut rog. sc. Orellius prius aut uncis coërcuit, Turnebus atque lege, Lbinus itemque lege coniecit.

ferre] Bakii coniectura ferri haudquaquam necessaria est. Mox uerba sequentia, a superioribus inficete sic dissecta, ut priora: an etiam id dubium est? Attico, posteriora: uereor ne a te rursus dissentiam Quinto tribuerentur, recte Bakius Quinto attribuit omnia, id quod ante iam fecerat Lbinus. Haec enim illis ita inhaerent, ut diuelli ab eis nullo pacto possint. Nec recte Quintus §. 37. Attico legem tabellariam non probari ex uultu eius colligeret, si quid sentiret ante iam uerbis declarasset. De part. an Bakius laudauit Maduigii disputationem de Fin. p. 61.

qua te fuisse] Lbinus sine causa de coniectura scripsit in qua. Etenim praepositio ante pron. relat. non solum ita omittitur, si in relatiua sententia uerbum auditur, ut utraque sententia in unam quandam coaluerit, sed etiam ita, si aut idem uerbum aut aliud expressum est, modo altera sententia alteri attributa arctissimo cum illa uinculo contineatur. Ipsa autem sententiarum necessitudo et quasi unitas pronominis relatiui forma ad demonstratiuum aptata declaratur. Illa exempla frequentiora sunt (cf. Cic. ad Att. VIII, 11. D. §. 3. in eadem opinione fui qua reliqui omnes. de Fin. IV, 20. 56. Vell. Pat. I, 7.); haec rariora, sed immerito a Maduigio Cicerone indigna habita. Cf. praeter Cic. ad Fam. IV, 13. 5. (res publica quascumque uires habebit, ab iis ipsis quibus tenetur, de te propediem, mihi crede, impetrabit), quod exemplum immerito Maduigius mendosum dixit, Tusc. I, 46. 111. esse cum aliquo sensu in iis malis quibus uulgo opinantur. Quid? quod longius etiam

progressus ad Att. X, 8. 7. scripsit: hoc confirmamus illo augurio quo diximus. Ista qui in familiari oratione repudianda putant, ii profecto non intelligunt, quam arcto et cogitationis et orationis uinculo coniuncta ea apud Romanos contineantur, id quod saepe ipso uerborum ordine implicatiore indicant. Gell. N. A. I, 3. quo dixi libro disserit. Liu. XXV, 32. cum quibus ante dictum est copiis substitit. Liu. I, 29. quibus quisque poterat elatis.

nihil ut fuerit] Cf. quae dixi II. §. 6.

obtineri an possit] Possit est uetus correctio necessaria mendi possunt, nisi forte, quia in codd. melioribus est obtinere nec difficilior fuit mendi ortus ex nota uerbi possimus, scribendum est: sed obtinere an possimus. Particulam an impugnari non oportuit a Maduigio in progr. p. 28. et a Bakio, qui ex peculiari codicis Mon. mendo optimum etiam possunt hanc coniecturam elicuerunt: obtinerine iam possit. Apud Ciceronem quidem an post uerba haud scio, nescio, alia cum quadam rei, de qua dubitatur, affirmatae significatione ponitur. Sed et tenuis est illa ad-affirmationem inclinatio, ut uel generali pronominis quisquam notione tollatur (Lael. 6, 20. qua quidem sc. amicitia haud scio an excepta sapientia quicquam melius homini sit a diis immortalibus datum) et post alia eiusdem generis uerba uel apud ipsum Ciceronem particula an sine ulla affirmatae rei significatione ita ponitur, ut tantum ancipitis animi fluctuatio quaedam indicetur. Cf. Cic. Cat. Mai. 20, 74. et id incertum, an eo ipso die, ubi perperam dixeris Ciceronis animum ad eius rei affirmationem inclinare. Rem ampliorem quam ut paucis absolui possit, alio loco tractabo uberius. Rathius peruerse haec omnia ita inter colloquentes distribuit, ut illa non facies — uoce melius, ut ceteri, Marco, haec: sed obtineri — uidendum est Quinto tribueret; deinde uerba: quid frater? (sic enim scribi iussit) Bo[illegible] tua uenia dixerim reliqua usque ad haec §. 37: tibi dicendum puto Marco, uerba: nam Cassiae legis — lata esse dicitur Quinto, denique illa quae sequuntur tu si tabellariam — praestabis Marco tribuit. Quam peruersam rationem Krausius exagitauit in Jahnii Ann. 1849. p. 79.

§. 34. atqui] Opponit Quintus suam sententiam Marco. Quocirca particula opus esse recte et Gzius uidit et Bakius. Hic tamen restitui quid uellet, non dixit; Gzii coniecturae sed uel quamquam nec aptae ad sententiam sunt nec probabiles ob litterarum dissimilitudinem. Mendo

codd. meliorum quia (quare est praua correctio deteriorum *]), quod natum est primae syllabae omissione (cf. II. §. 28.), particulam atqui contineri demonstraui in Jahnii Ann. 1845. p. 161. In quo cum Halmio me conuenire laetor, qui idem coniecit mea non cognita disputatione in Phil. I. p. 178. Qua particula Quintus Marci sententiae, etiamsi eam accipere uelit, obstare quaedam significat, quo minus probare possit. Respondet enim atqui nostris uerbis: ja, aber doch. Cf. I. §. 4. §. 11. §. 21. alia exempla collegit Handius Turs. I. p. 522. In uulgata scriptura: Q. Frater, bona tua cet. (Lbinus etiam frater omisit) nec codicum uestigia diligenter pressa sunt nec nomen, quo Quintus Marcum alloquitur, recte ab initio sententiae positum est.

obsistitur] Moserus, quia, quae codicum esset dignitas, non cognouerat, ex mendo cum obsistitur, quod correctorum codicum Uict. b. et 11. proprium est, coniecturam elicuit tum obsistitur, idemque mox peculiari mendo cod. Cr. crederem peruerse superstruxit coniecturam cedere. M.

omnem auct. opt.] Sine codicibus Turn. et Man. omnem optimatium auct.; Gebh. Ern. Wagn. auctoritatem omnem opt. Optimatium auctoritas a Quinto lege tabellaria sublata esse dicitur, non quod quid illi sentirent ignorarent (nam quid praerogatiua sciuisset, antequam reliquae centuriae suffragia ferrent, renuntiabatur. Cic. Phil. II, 33. 82.), sed quia iam auctoritatem optimatium, qui singulorum suffragia non cognoscebant, non debebant intueri et potentibus quibusdam uiris, quibus aliter suffragari puderet, libere suffragari poterant. Atque hanc his uerbis sententiam contineri demonstrant ea, quae sequuntur.

uocis] Non ipsae uoces et tabellae sunt iudicia, sed declarantur iudicia uoce et tabellis. Necessaria est igitur correctio uocis. Uict. Dau. Ern. Wagn. uoces.

suffragandi nimia libido sc. nimia populi libido potentes suffragiis adiuuandi eripienda esse dicitur potentibus, quia his ipsis profuit. Quam Wagnerus suffragandi uerbo uim subiecit: populi suffragia sibi uel aliis comparare, eam nusquam habet, ne pro Mur. quidem 34, 71, quem locum ipse laudauit. Mox Bakius sine ulla causa idonea tabellae uocabulum ante uitiosum a magistro aliquo dixit profectum esse, ut in qua interpretaretur.

---

*) qua retenta inepte Zumptius sic interpungi iubet: quare, frater? Bona cet.

isti rationi sc. suffragiorum per tabellam ferendorum. Lbini coniectura rogationi haudquaquam necessaria est.

XVI. §. 35. Ea est Gabinia] Tulit legem Gabinius tr. pl. a. 615, ut in magistratibus creandis non uoce ciues, sed tabellis uterentur. Cic. Lael. 16, 41. Drumann II. 113. Bakius uerbis ea est Gabinia expulsis sic scribi iussit: de mag. mand. est, lata cet.

Cassia lata a. 617. a L. Cassio, L. Cassii Reuillae consulis 627, censoris 628 filio, qua sanctum est, ut populus in iudiciis, quae ipse haberet, uno excepto iudicio perduellionis, tabella, non uoce uteretur. Cf. Cic. Brut. 27, 106. pro Sest. 48, 103. Quaestiones perpetuas male Ern. dixit intelligi in Clau. Cicer. Popularem L. Cassium non liberalitate, ut alios, sed ipsa tristitia et seueritate fuisse tradit Cic. Brut. 25, 97. Mox coniecturam primum a Gzio, tum a Mos. et Orellio receptam de populi iudicio, a nobili *), egregie absoluit Bakius firmiter insistens meliorum codicum mendo iudicio is, quod natum est terminatione primum a nomine diremta, deinde renouata. Et pluralem quidem etiam sententia flagitat, cum parum recte iudicium populi generaliter dici uideatur. Itaque Cicero Brut. 27, 106. de Diu. II, 35. 74. generaliter loquens iudicia populi dicit, sed pro Sest. 53, 114. de uno quodam iudicium populi. Steph. et Manutius: de pop. iudicio. Ea a nob. hom. lata, L. Cassio. Uict. Lamb. Dau. Ern. Wagn. Schuetz. uocula est addita: de pop. iudicio. Ea a nob. hom. lata est, L. Cassio cet.

omnes rumusculos populari ratione] Haec codd. scriptura post Uict. et Man. merito reuocata a Goer. Sch. Mos. Orellio interpretatione eget, non emendatione. Peruerse eam Gzius sic interpretatus est a reliquis non reprehensus: „qui studiose omnes uel leuissimos rumores de iudiciis, pecunia corruptis, captabat, qui inde gratiam apud populum iniret“. Posteaquam a bonis eum dissidere dixit, quid a populi i. e. multitudinis partibus stans secutus sit, adiungit. Secutus autem est omnes rumusculos sc. populares (quemadmodum similiter pro Cluent. 28. 77. L. Quintius, homo maxime popularis omnes rumorum et concionum uentos collegisse dicitur) idque populari ratione (durch seine democratische Haltung). Genitiuo, quem perinde h. l.

*) in Vd. et Brux. eam fuisse, id quod Gzius tradidit, propter reliquorum dett. codd. dissensionem parum credibile est; si fuit tamen, aut errore aut consilio mendum omissum est. In annot. crit. pro nobis, quod Dr. l. tribui, corrigendum est nobili.

atque pro Cluent. 38, 105. (tum etiam illi quinque, qui imperitorum hominum rumusculos aucupati tum illum absoluerunt) flagitari dixit, addi non opus est; per se enim intelligitur, cuius sit rumusculos aucupatus. Deinde popularis ratio ea dicitur, quae non uniuersum populum, sed eam uniuersi populi partem spectat, quam pro Sest. 53. 114. uero populo opposuit, eandemque popularem rationem appellauit ibidem, saepeque inuidiose populares eos uocari constat, qui non uniuerso populo, sed multitudini fauent, uelut pro Sest. l. l. nisi popularis esse uoluisset. de Off. I, 25. 85. Itaque nec Bakii probabilis est correctio: omnes rumusculos popularis aurae aucupante, nec ea, quam post Stephanum Gebh. Dau. Ern. Wagnerus receperunt: omni rumusculos populares ratione, nec ea denique, quam ex cod. Memmiano recepit Lbinus: omneis rumusculos populareis aucupante.

Carbonis sc. C. Papirii Carbonis, tribuni plebis a. 623. Gracchorum aetate ciuis maxime seditiosus et improbus (Cic. pro Mil. 3, 8. de Or. II, 40. 170.) consul a. 633. ad optimatium partes se applicauerat et L. Opimii causam defenderat (de Or. II, 25. 105.). Nihilo minus a L. Crasso, tunc adolescente, accusatus de seditione Gracchana et caede P. Africani, cui uim attulisse existimabatur (ad Fam. IX, 21. 3.), a iudicum seueritate morte uoluntaria se uindicauit. Cic. Brut. 27, 103. 43, 159.

§. 36. C. Caelius Caldus hanc legem tulit tr. pl. a. 647; is, homo nouus, cos. deinde fuit a. 660. cum Cn. Domitio Aënobarbo. Praenomen primum a Gzio restitutum merito reliqui tenuerunt.

doluitque] Sic post Uict. Lall. Ernestium merito secundum codd. meliores Gzius, reliqui; Steph. nocuitque; Man. Lamb. Ern. Wagn. docuitque. At qua re docuit? Euentu certe, non uerbis, si omnino docuisse recte dicitur. At quid tum uerba: quoad uixit? Idem lex eius ualebat post eius mortem. Mox certa est ex uariorum correctionibus conflata scriptura haec: se, ut opprimeret C. Popilium nocuisse rei publicae; quam confirmatam mendis codd. meliorum inde a Gzio omnes probarunt. Lbinus: se, ut oppr. — nocuisse etiam rei publicae; Gebh. Ern. Wagnerus: se, ut oppr. — nocuisse et rei publicae.

C. Popilius Laenas, legatus L. Cassii consulis, cum et cos. et L. Piso legatus cum maiore exercitus parte a Tigurinis a. 647. interfectus esset, cum hoste pactus est, ut

datis obsidibus et impedimentis relictis exercitum sub iugum missum saluum educeret. Cf. ad Her. I, 15. 25. IV, 24. 34. Quo nomine cum a C. Caelio accusatus omnem spem causae obtinendae deposuisset, praesertim cum Caelius, ut certius eum opprimeret, etiam perduellionis iudicio tabellam dedisset, exulatum abiit.

M. Gratidio] Huius meminit etiam Cic. Brut. 45, 168. Eius filius erat M. Marius Gratidianus, a Mario ille adoptatus, homo turbulentis concionibus aptissimus (Brut. 62, 223.), et maxime popularis ideoque bis praetor. Ascon. in tog. cand. p. 84. Cic. de Off. III, 20. 80. Is a Catilina uitibus caesus et crudelissime Sullae iussu interfectus est. Cic. de Pet. C. 3, 10. Sen. de Ir. III, 18. Ual. Max. IX, 2. 1. Marii nomen, quod in cod. arch. fuisse omnium fere codicum consensus arguit, cur post Uict. et Manut. Bakius expelleret, causa nulla erat. Simpulo, uasi paruulo in uini libatione adhibito (cf. Fest. s. h. u. p. 149. Varr. L. L. V, §. 124.), cui municipium Arpinatium h. l. comparatur, opponitur mare aegeum, cum qua Roma comparatur. In illo, ut paruo, paruos tantum fluctus, in hoc, ut magno et procelloso, magnos excitare licebat. Praue quidam uerba fluctus in simpulo excitare sic interpretantur: „magna quaerere in re parua“ i. e. viel Lärm um nichts machen; est potius hoc: Lärm im Kleinen machen.

Ac nostro quidem] Mendum qui, quod quomodo post quidem in cod. arch. natum sit, causae plures possunt cogitari, merito Ern. Wagn. Goer. reliqui delerunt, id quod ante iam Manutius suaserat. In Lbini coniectura ac nostro quidem auo, quam denuo Madu. probauit in progr. p. 29, nec quidem habet, quo recte referatur (dicitur enim noster quidem auus, quasi ab auo alio distinguatur; sed distinguitur noster a Gratidio) nec quomodo auo in qui mutari potuerit, perspicitur. Nostrum autem simpliciter Ciceronum auum recte appellari, cum modo auus noster sit appellatus, uere Bakius iudicauit. Dauisius coniecit: ac nostro quidem huic. Antiquiores uerbis ac nostro quidem ad superiora relatis scripserunt: ac nostro quidem. Quoi quum res (ed. Par. Steph. Gebh.); ac nostro quidem. Quae quum res (Turneb.). Mox Maduigius et Bakius non satis iusta causa ducti in sententia pendente et alteri implicata offendisse uidentur in pron. reflexiuo. Sunt certe multo insolentiora exempla sententiae pendentis et annexae inter se confusae. Cf. Zumpt. Gr. lat. §. 550. Maduigius coniecit ad senatum delata, Bakius et audacter et inepte ad tempus sedata.

M. Scaurus, cuius praenomen recte ex mendo codd. meliorum delatam, praue in deterioribus correcto, elicuit Bakius, consul fuit a. 639. cum M. Caecilio Metello et censor a. 645.

Utinam] Quod ex cod. arch. mendo utinamque in annot. crit. efficiendum esse dixi, idem ante in mentem uenerat Mosero. Particula quidem si in plena uoti declaratione recte ponitur (exemplum mihi notum non est; nam alia est ratio et eius, quod Moserus laudauit II. §. 24. et simillimi Par. VI, 3. §. 51, in quibus sola uoti notio expressa est), si igitur recte ponitur, uoti intendendi uim habet. Unus Dau. mendum probauit; reliqui id simpliciter omiserunt.

in summa re publica i. e. Roma ipsa, quae h. l. opponitur municipali, quemadmodum in Verr. II, 61. 149. prouinciae. Alio modo summa res publica dicitur in Verr. II, 10. 28, pro Sest. 11, 25. alibi. Cf. illo loco Zumptium, hoc Halmium.

§. 37. Quamobrem cet.] Quintus, posteaquam leges tabellarias nec latas esse a uiris bonis nec probatas ostendit, ad hanc, a qua §. 34. profectus est, sententiam reuertitur, id spectari oportere, quid optimum sit, non quid obtineri possit, causa simul hac interiecta, quod non leges rei publicae romanae recognoscerent, ut necessitati parere et quaedam, quae sibi minus placerent, relinquere deberent, sed leges darent optimae illi rei publicae consentaneas et aut nouas scriberent aut repeterent ereptas. Hoc populo i. e. dum hic (i. e. talis qualis nunc est) populus erit (bei diesem Volke), quemadmodum similiter dicit de Off. I, 39. 139. alio domino (bei einem andern Herrn). Cf. etiam Cic. Ac. II, 31. 100 si iam ex hoc loco proficiscatur Puteolos — probo nauigio, bono gubernatore, hac (i. e. tali qualis nunc est) tranquillitate. Peruerse in hoc genere Gzius hanc ellipsin statuit: hoc populo sc. ita morato. Prauam dett. codd. correctionem ab hoc populo soli Lamb. et Dau. probarunt; at ipsi leges condunt, non a populo impetrare student.

Scipio sc. Africanus minor. Quem tuum Quintus uocat, quia de re publica uterque idem sentiebat, ut in illis de re publica libris primas ei Marcus tribueret. Putabatur autem M. Antius Brisco, qui L. Cassii legi tabellariae diu restiterat, Scipionis auctoritate de sententia deductus esse. Cic. Brut. 25, 97. Nam in re, quam quis obiicere possit occupanda et remouenda tritissimum est. Cf. Seyff. ad Lael. p. 299.

praestabis sc. legem; nam praestare rem etiam ii dicuntur, qui cauent, ne quid inde detrimenti existat. Male Wytt. culpam intelligi uoluit.

XVII. dico ex codd. reuocaui cum Goer. Mos. Bakio; reliqui de coni. duco. Cf. I. §. 37. Mox sine iusta codd. auctoritate Steph. Gebh. Dau. Ern. reliqui in potestatem.

§. 38. Uos quidem] Praua est mendi uos dem in melioribus codd. seruati correctio uos demum, quae uulgata est secundum deteriores. Isto modo non iam se, qui illam legem tulisset: optimatibus nota, plebi libera sunto, legem tabellariam, quae Romae ualeret, sustulisse significaret, sed Quintum demum et Atticum. Nam particula demum pronomini addita hoc habet oppositum: non iam alius. Id autem ineptum est, quia haec omnis disputatio ad legem pertinet, quam ipse supra constituit, non ad legem romanam. Et quod suam ipsius sententiam a Quinto et Attico secernit (sed ego cet.), id luculenter ostendit uerissimam esse Turnebi correctionem uos quidem, quae etiam Manutio placuit nec displicuit Bakio. De mendi genere cf. praef. p. XVII.

istam libertatem ita largior] Haec Gzii coniectura, a Sch. Mos. Or. probata, et mendo codd. meliorum confirmatur et sententia. Nimirum istam per tabellam suffragii ferendi libertatem, quam Scipio nulla re temperatam defendisse uidetur, ita (i. e. cum ea moderatione) concedit, ut auctoritate et ualeant et utantur boni; id quod fieri uoluit tabellis non occultandis, sed optimo cuique ultro offerendis. Cf. §. 39. Bakius et temere pronomen istam ante libertatem deleuit, quasi uero libertas uniuersa ageretur, et peruerse uerba ita largior sic interpretatus est: „meo quoque more istud post Scipionem defendam". Interpretes Bakio superiores omnes tamen libertatem istam largior, quasi uero illa per tabellam suffragii ferendi libertate, nisi moderatio accedat, boni auctoritatem acquirant. Rathius coniecit: tantum libertatem istam largior.

ut auctoritate et ualeant — boni] Sic recte uel ex codd. melioribus uel ex Odini coniectura (boni) Goer. Sch. Mos. Or. Bakius; lege enim tabellaria concessa bonorum auctoritatem retineri uult. Ernestius: ut et auctoritate ualeant et utantur boni. Wagnerus cum antiquioribus excepto Lbino (ut et auctoritate ualeat et utatur bonis) deteriorum codd. correctionem secuti sunt: ut et auctoritate ualeant et utantur bonis.

rec. lex est] Car. Steph. Lamb. lex est recitata ex paucis quibusdam codd. dett. Cf. ann. crit., in qua notandus est error in uerborum ordine excerpendo commissus.

tollat] Quod uulgatum est ex plerisque codd. dett. tolleret, id poneretur cum tacita conditione: si in re publica ualeret, ut ad Att. V, 18. 4. ego tui Bruti rem sic ago, ut suam ipse non ageret sc. si agere uellet; nihil enim proficiunt Gzius et Moserus generaliter praecipiendo post uerba, quae dictum et sententiam significent, imperfectum poni; et alia est eorum exemplorum ratio, quae posui I. §. 58. Sed ut illa conditionalis ratio ab hoc loco abhorrere uidetur, ita meliorum codd. mendum non minus alteri correctioni tollat fauet, quae et ipsa in dett. quibusdam codd. tentata olim Car. Stephano, Bruto, Lbino, Rathio, nunc Bakio placuit.

quae postea latae sunt, quae tegunt] Primum uerbis quae postea latae sunt definiuntur leges; deinde uniuersa legum postea latarum notio definitur illis: quae tegunt omni ratione suffragium. Itaque non erat, cur aut Mosero iteratum pron. relat. displiceret aut Rathius coniiceret: quaeque tegunt. Cf. I. §. 27. de Off. II, 38. 81. de Diu. II, 44. 92. Cat. IV, 8. 16. Top. 2, 6. Postea iam Turnebus recte ad leges tabellarias retulit, quae nihil nisi tabellam populo dabant, suffragia non ita occultabant, ut inspici omnino et cognosci non possent. Hoc quidem et leges illae spectabant, ne quis inspiciat tabellam, ne roget, ne appellet, et spectabat lex Marii, quae lata est a. 634. Qua quidem pontes i. e. uiae septae, per quas ciues suffragia laturi transirent in ouile, angusti redditi sunt, ne quis illic praeter eum, qui suffragium ferret, consistere posset neue id ambitiosi aut ipsi aut per alios inspicerent ciuesque quodammodo ad suffragandum sibi cogerent. Cf. Plut. Mar. c. 4. Cum autem quarta lex tabellaria Caelii a. 647, lex Marii a. 634. lata sit, postea non ita dici elucet, ut omnes iam leges tabellariae uel postrema Caelii lata putetur, cum illae ferrentur. Ad Scipionem postea pertinere dixerunt Goer. Mos. Bakius, et hic quidem, ne istas leges comprobaturus fuisse Scipio uideretur; quam causam nemo sane probauerit.

§. 39. quae si opposita sunt cet.] Non reprehendit uoluntatem eorum, qui ista constituerunt ambitus coërcendi, non opprimendi causa; sed si eam tamen uim leges habuerint, ut ne sit ambitus ullus, non ille quidem uult leges tabellarias tolli, sed eam tamen uim, quam habuerint, eo coërceri, ut optimo cuique tabella ostendatur

ultroque offeratur. Transit igitur ab eo, quod in legibus ferendis spectabant, ad uim legum, quam ipsae habuerint, non quaesitam. Hinc primum uis legum (sin ualuerint) opponitur uoluntati hominum ferentium (si opposita sunt) atque particula tamen restringitur uoluntas (etsi id non uolebant, tamen ualuerunt). Quapropter me iam poenitet coniecturae tantum cum omnibus inde a Stephano editoribus receptae. Unus Bakius tamen retinuit, non defendit. Deinde leges, quod Gzius deleri uoluit, retineri necesse est propterea, quia ab his: ne inspiciat cet. iam transit ad leges omnes generis eiusdem, quae in re publica romana ualebant. Bakius male sic interpretatur: „si leges, quae complures de ambitu latae sunt quaeque largitionem uerbi causa aliaque seuere sanciunt, ualuerint i. e. ipsae per se impedierint ambitum, non erunt illae de tegendo omni ratione suffragio, ceterae, necessariae"; nec melius Madu. in Emendatt. p. 102. sententiam dicit hanc esse: „Haec non reprehendo, si ambitus opprimendi causa sunt constituta; sin leges de ambitu sanctae seruantur tantumque ualent, ut ambitus omnino nullus sit, istis institutis opus non est; quare in ea, quam ego legibus formo, re publica, tabellam quidem dabo, sed ita ut optimo cuique ostendatur". Iniuria Bakius pro cod. arch. scriptura sint ambitus ex uno cod. 10. restitui iussit sit ambitus. Singularis numerus ad genus rei spectat, pluralis ad singulas eius declarationes. Cf. I. §. 33.

ut in eo sit ipso libertas, in quo] Sic pridem Turn. Gebh. Dau. (quamquam hic peruerse coniecit in eo ipso, quia) Ern. Wagn. (sed hi duo uti pro ut); eamque scripturam, a Bakio quoque probatam, et meliorum codd. confirmat auctoritas (nam mendi ine haec facilis et certa est correctio) et sententia. Nimirum in suffragii ferendi ratione, in qua populo potestas honeste bonis gratificandi datur, etiam libertatem esse uult. Sententiam cum recte Maduigius explicaret in Emendatt. p. 102., non recte tamen dett. codd. correctionem ipsa probauit. Manutius: ut sit in eo ipso, in qua; Uict. et Lbinus: uti sit ipsa libertas, in qua; Goer. Sch. Mos.: ut sit ipsa libertas, in quo.

eoque nunc fit] Marcus ab hac bonis gratificandi potestate defertur ad eam rem, quam Quintus supra §. 34. attigerat, grauiora iudicia de hominibus potentissimis exstare uocis quam tabellae, interpretatione tamen utens uerecundiore. Peruerse igitur Bakius pro fit ueterem illam Steph. et Man. correctionem fiet commendauit, quasi uero de re

futura, non facta loqueretur; cui rationi et part. nunc aduersatur, pro qua scribi necesse esset iam, et illud obstat quod deinceps de re, quae fieri soleat, loquitur.

retento sc. licere. Peruerse Wytt: „ut optimates possint inspicere tabellas". Nec necessaria est eiusdem coniectura tribuitur pro traditur. Reliqua uoluntas auctoritati aut gratiae traditur hoc est: im Uebrigen lässt es sich ganz von Auctorität oder Gunst bestimmen.

auctoritas bonorum] Inuerso ordine bonorum auctoritas Steph. Man. Lamb. Ern. Wagn.

XVIII. §. 40. Grauis et cet.] Ego haec uerba, quae superiores ad praecedentem legem retulerunt, ad sequentem puto pertinere priore multo grauiorem, quae parum apte nulla re cum praecedente coniuncta ponitur. Atque si ad praecedentem legem Cicero haec uerba referri uoluisset, confirmandi particulam uero addidisset, ut III. §. 28. praeclara uero — ista lex. de Off. III, 1. 1. magnifica uero uox et magno ac sapiente uiro digna.

quae cum populo] Confirmantur haec uerba, quae iam in cod. arch. interierant, ipsa lege §. 10. Particula que, quae si fides Gzio habenda, addita pronomini est in Vd. et ψ, ab hoc loco aliena est; ac tamen Lbinus sic edidit nec id Gzio displicuit. Mox agentur correctio est necessaria inde a Manutio uulgata et ipsa lege confirmata.

moderatur] Quod auctore Gzio, cui operae tamen non paruerunt, Mos. et Schuetz. ediderunt et moderatur et fingit, id non habet iustam codd. auctoritatem nec per se ipsa satis probabilis partitio est. Mox non opus est Lbini coniectura mentes, quae Ernestio placuit.

quod nisi] Sententiarum series haec est. Legis a se constitutae causam hanc affert, quod actor in audientium animos uim quandam habeat paene incredibilem; idque (sc. uim illam habere) in senatu tantum difficile esse addit, quia senatoris animus non facile ad actorem referatur, sed per se ipse uelit spectari, ut si ei persuadere uelis, oratione opus sit ad id ipsum composita. Itaque facillima sane mutatione edidi, quod conieceram in Jahnii Ann. 1845. p. 163. Similiter si pro nisi in cod. arch. scriptum erat II. §. 47. si eo. III. §. 44. si centuriatis comitiis. Eandem sententiam Rathius expressit hac coniectura ceteroquin parum probabili: quod in senatu modo difficile est. Uiolenter nec facete de Ursini coniectura, quae Wytt. placuit, Moserus: quod in senatu difficile est. Reliqui mendo expulso, non sanato: quod in senatu non difficile est. Quae si ad causam praecedentem retuleris,

peruersa sunt; ad legem autem qui retulerunt, ut Turn. Madu. Orellius, eos fugit profecto nec apte uerba, quae causam legis contineant, parenthesi circumscribi (parenthesis tum suo loco est, si post eam eiusdem argumenti sequitur continuatio, ut II. §. 49.) nec apte post parenthesin pronomen relatiuum poni, ut ad legem redeatur. Denique uere Bakius monuit non hoc quaeri, utrum legi obedire facile an difficile esset, quia actio modica nulla difficultate regeretur aut facilitate, sed consilio et animo actoris. Idemque recte Maduigium reprehendit, quod rem in duas partes distribueret, quarum altera, actio in senatu h. l., altera, cum populo actio, §. 42. explicaretur, quasi illa §. 42. deinceps cum populo actiones non ad hanc legem: uia in populo abesto et reliquas pertinerent. Ipse Bakius parum probabiliter: etsi in senatu difficile est.

est enim ipse senator] Ipse, quod in cod. arch. fuisse plurimorum codd. consensus arguit, cum Uict. et Bakio reuocaui; reliqui omiserunt. Sed Marcus primum ita uidetur sententiam concepisse, quasi dicturus esset: senator enim ipse suo iudicio utitur. Pronomen igitur addidit, ut senatorem ab actore distingueret. Sed relatiua sententia cum negatione praemissa ita sententiam uariauit, ut flecti posse diceret senatorem, si, quod ipsum difficile esset, senator ipse per se spectaretur, i. e. si animi eius recessus exquirerentur atque ad eos arte quadam oratio componeretur. Praua est et Turnebi correctio spectare et Rathii qui per se ipsam spectari rem uelit. Denique notanda est Schuetzii leuitas, qui coniecit: sedata. Quod in senatu non difficile est. Actor enim in concione se moderatur et fingit non modo ad mentes ac uoluntates, sed paene ad uultus eorum cet. Mox Turnebi coniecturam actorem merito Man. Wagn. Goer. Sch. Mos. Or. probarunt; Bakius ipsum codd. mendum ad auctorem, a Lbino quoque retentum, ita defendit, ut in senatu non actorem, sed auctorem quaeri diceret et auctorem uniuerse appellari, qui quoquo modo sententiam diceret. Mihi tam h. l. quam paullo ante correctione uidetur opus esse. Steph. Gebh. Dau. Ern.: ad auditorem.

non modo senatoris cet.] Uerissime haec Bakius sic interpretatus est, in sententia non tantum ex senatorii muneris dignitate, sed etiam ex oratoriis praeceptis laudandam esse breuitatem. Et similiter ante explicuerat Schuetzius, qui tamen simul hanc parum probabilem coniecturam

proposuit: nam breuitas magna senatoris laus est in sententia dicenda. In sententia hoc est: si agitur de sententia. Cf. Madu. de Fin. p. 160. Seyff. ad Lael. p. 44. Cic. Brut. 70, 245. officio uero nec in suorum necessariorum causis nec in sententia senatoria defuit. Non recte igitur Ern. intelligi oportere dicit dicenda. Moserus, ut haec sententia a Wyttenbachio explicata existeret: „non modo in sententia senatoria, sed etiam in oratione oratoris magna laus est“, hanc uerborum transpositionem commendauit: breuitas non modo senatoris in sententia, sed etiam oratoris magna laus est, quod fere idem ante coniecerat Wagnerus (breuitas non modo senatoris est in sententia, sed etiam oratoris magna laus). Orellius haec uerba cum Puteano et Gebhardo ab interprete aliquo esse suspicatus est. Dauisii coniecturam magna laus est mea sententia melius uerbis sic dispositis magna mea sententia laus est non multo meliorem Rathius reddidit. Quomodo enim breuitas uniuerse laus oratoris dici potest? Cf. Cic. Brut. 13, 50. breuitas autem laus est in aliqua parte dicendi, in uniuersa laudem non habet.

nisi aut peccante cet.] Necessaria est antiqua correctio aut pro ut tentata illa iam in paucis codd. dett. Qua ascita reliqua interpretatione, non emendatione egent. Nimirum dupliciter Marcus longiore oratione concedit in senatu utendum esse, si aut peccante i. e. in sententiam rei publicae non salutarem declinante senatu tolli diem utile sit, id quod saepissime fiat ambitione nullo magistratu (sc. senatum) adiuuante, aut cum tanta in senatu causa agatur, ut oratoris copia opus sit uel ad hortandum uel ad docendum. Pertinent igitur haec omnia: quod fit ambitione saepissime nullo magistratu adiuuante, quae ad superiora referebant, ad ea, quae sequuntur, ut quod saepissime ambitione (i. e. ut laude fruantur senatus consulti impediti) fieri soleat non adiuuante magistratu, ut dies tollatur, id tum demum faciendum esse dicat, si peccante senatu diem tolli utile sit. Parum recte Lbinus coniecit: nisi aut, cum peccante cet. Orellium, qui sola uerba quod fit ambitione saepissime parenthesi circumscripsit, reliqua nullo magistratu adiuuante cum illis coniunxit peccante senatu, etiam hoc fugit, isto modo utrumque participium copulari oportuisse. Uerborum transpositio a Bakio commendata: neque est umquam longa oratione utendum, quod fit ambitione saepissime, nisi aut peccante senatu, nullo magistratu

adiuuante non modo necessaria, sed ne probabilis quidem est, quia nec recte duo participia non copulata ponuntur, nec tantum longa oratione uti, sed diem longa oratione consumere dicendi sunt. Peruerse denique Rathius: nec est umquam longa oratione utendum, nisi ut peccante senatore (quod fit ambitione saepissime) causa a nullo magistratu adiuuetur, tolli diem utile est.

Quorum generum in utroque] Spectant haec et ad artem diei longa oratione consumendi et ad oratoris copiam in hortando et docendo. Illud et App. B. C. II, 8. ac Plut. Caes. 13. de Catone prodiderunt, et Atteius apud Gell. N. A. IV, 10. Cato rem, quae consulebatur, quoniam non e rep. uidebatur, perfici nolebat. Eius rei gratia ducendae longa oratione utebatur eximebatque dicendo diem. De hac eius laude grauiter in senatu de republica dicendi cf. Brut. 62, 222, ubi mediocrem quandam de rep. dicendi laudem ei tribuit, a foro eum abduxit. Bakius perperam ad solum hortandi ac docendi officium haec dixit pertinere, idemque generum, quia a duobus codd. abesset, interpolatum esse putauit.

§. 41. causas populi teneto] In eandem sententiam (die Lage, Verhältnisse des Staates kennen) et causam rei publicae tenere dicit pro Sull. 10, 32. et rem publicam nosse de Or. II, 82. 337. Brut. 48, 178. Laudatur ea scientia in Cethego Brut. l. l., notatur ignorantia in L. Torquato pro Sull. l. l. et in L. Pisone loco, quem cum aliis Bakius laudauit, in Pis. 13, 30. Ad sententiam dignus est qui conferatur Arist. Rhet. I, 8. 1.

est senatori] id est, quod Turn. elicuit ex mendis codd. quorundam (tenet uesti Gd. 2. δ. tenet uestri E. tenet uestigium 10. tenet uestiri γ), id locum habet in notione definienda, non in hac praedicandi ratione, quae pertinet ad uerba nosse rem publicam. Ac tenet uesti ortum esse patet ex teneto est.

res publica] Deleuit hoc uocabulum Manutius, uncis Dan. inclusit. At recte, cum singula membra non una serie contineantur, sed duobus ordinibus contineantur, in altero nomen repetitur. Paullo ante male Dauisius pro idque commendauit, quod Steph. ediderat id quod.

socios — amicos — stipendiarios] Spectare mihi haec maxime uidentur ad prouincias, ut socii intelligantur ciuitates (nam non omnes eadem conditione utebantur) liberae et foederatae, amici liberae et immunes, stipendiarii autem totum genus earum complecti uideantur, quae

aut stipendia aut uectigalia soluebant. Nam etsi hoc utrumque genus discerni solet, tamen cum liberis ciuitatibus opponeretur, satis erat speciem nominare pro genere. Cf. Marquardt Ant. rom. III, 1. p. 247. Ceterum inuerso ordine lex ad stipendiarios, conditio ad amicos, foedus ad socios refertur.

omne scientiae, diligentiae, memoriae] Confirmatur haec correctio, quam post Stephanum paene omnes receperunt, mendo codd. meliorum memoria est ne quo. Manutius: hoc omne scientiae diligentis memoriae esse; Lbinus: scientiae, diligentiae et memoriae esse. Mox pro sine quo sc. genere Wagnerus male sine quibus.

§. 42. nihil minus et ciu. et hum. est] Particulam et ante ciuile primus restituit Gzius (secuti sunt Sch. Mos. Or.); eamque, etsi minimi facio Vd. et Br. auctoritatem (et dubitari potest, num Gzius uerum tradiderit), tamen mendo codd. meliorum confirmari puto. Addidi autem postremo loco est, quia humanus in codd. melioribus similiter natum puto ex humanūst, ut II, §. 31. rogatas ex rogatast, III. §. 33. proximus ex proximūst. Cum Uictorio Bakius: nihil minus ciuile est et humanum; reliqui nihil minus ciuile et humanum.

XIX. ex Crassi] Uter Crassus intelligendus sit, P. Crassus Mucianus Diues, quem Wagn. Goer. Bakius intelligunt, qui cos. fuit 623. cum L. Valerio Flacco, an L. Licinius Crassus, cos. a. 659. cum Q. Mucio Scaeuola, quem Wytt. dici putat, dubitari potest. Uterque et eloquens et iuris peritus fuit. Cf. de illo Cic. de Or. I, 50. 216. Sed plus tamen Cicero L. Licinio Crasso, ei, cui primas in libris de Oratore partes detulit (de Or. I, 7. 24.), tribuisse uidetur, eumque et in Pis. 26, 62. hominem nostrae aetatis sapientissimum uocat et Brut. 64, 229. omnes intelligentia antecessisse tradit; eundemque ut ceteris insigniorem etiam Phil. XIV, 6. 17. praenomine non addito Crassum dixit. Quapropter quia nostro quoque loco simpliciter Crassus uocatur (nam correctioni debetur praenomen P., quod est in β et γ atque Gzio suasore Sch. et Mos. receperunt), magis eo inclino, ut L. Licinium Crassum dici existimem. Itaque hoc, quod C. Claudio cos. narratur factum esse, in annum cadere puto 662, quo C. Claudius cos. fuit cum M. Peperna. Cui rationi maxime conuenit, quod tunc Cn. Carbo uiuebat, homo seditiosus (in Verr. I, 14. 57.) et turbulentis concionibus aptissimus (Brut. 62, 223.), qui deinceps cos. fuit a. 669, 670, 672; nam hoc potius praenomen ei cum Lamb.

Dau. Ern. Wagn. Mosero tribuendum esse, quam Caii cum Uict. Steph. Man. Goer. Sch. Bakio luculenter mendum ostendit codd. meliorum: DIGN. Paullo ante inepte Bakius edit. Venet. correctionem probauit: actoris iubet esse fraudem, id totum dicitur.

quem consecutus] Primum non necessaria est correctio quam, quae in uett. quibusdam editt. itemque in Man. et Lamb. expressa est, ut hoc simile sit illi apud Cic. Cat. III, 6. 13. quas (sc. sententias) senatus sine ulla uarietate est consecutus. Deinde merito ex mendo cod. Gd. 2, cui procul dubio suffragatur δ et suffragari etiam suspicor cod. E, quem Bakius silentio praetermisit, Gzius correctionem expressit consecutus; nam eam fuisse in Vd. et Br. non credo. Placuit ista Sch. Mos. Orellio, displicuit Bakio, qui secutus reuocauit, quamquam ipse non inepte scribi dicit tum secutus. Cf. praeter locum supra laudatum Cic. de N. D. I, 15. 41. quem (Chrysippum) Diogenes Babylonius consequens in eo libro — partum Iouis — disiungit a fabula. de Off. I, 32. 116. In dett. codd., ut multis aliis locis mendum deletum, non sanatum est. Mutato ordine Uict. Man. Lamb.: senatus est secutus.

cum decreuisset sc. Crassus; nam non solum senatus, sed singuli etiam senatores decernere dicuntur. Cf. Cic. de Prou. cons. 11, 28. relatum est ad nos nuper de stipendio exercitus; non decreui solum, sed etiam, ut uos decerneretis, laboraui. ad Fam. XV, 4. 11. ibid. I, 1. 3.

permouet] Permouere ut de rebus (cf. Lucr. VI, 726. cum mare permotum uentis ruit intus arenam), ita de animis etiam dicitur magnopere excitandis. Cf. Cic. de Diu. I, 57. 129. quod maxime contingit aut dormientibus aut mente permotis. Or. 38, 131. Schuetz. coniecit promouet, quod est in cod. α, quia uerbum requireretur dimittendi uerbo contrarium. At qui permouet concilium (nam quod pron. relat. esse a plerisque pridem intellectum est, negauit nunc denuo Bakius coniunctionem esse dicens), retineat necesse est. Ipse Bakius coniecit quod qui perorat in hanc sententiam: „qui concionem ad finem perducit“. Wagnerus correctionem probauit a Man. receptam permanet, Gebhardus Pighii coniecturam permoratur.

§. 43. meminisse] Pronomen se, quod de coniectura tentata illa etiam in β et γ Lamb. Goer. Sch. Mos. Or. post meminisse restituerunt, merito Bakius exter-

minauit. Cf. quae dixi I. §. 53. Quibus adde quos Bakius h. l. laudauit Beier. pro Scaur. p. 127. Matth. in Wolfii Anal. III. p. 2. not. 3. Deinceps pronomen, ut in comparatione et oppositione, poni necesse erat. Lbinus peruerse particulam ut deleuit, Manutius in et mutauit.

consiliarium] Consiliarium uere Bakius dicit eum esse, qui in consilium cuiuspiam adhibeatur (Verr. II, 17. 42.), non modo consultorem, ut Vell. Pat. II, 56. consiliarium caedis; ac merito Moserum reprehendit, cui Wyttenbachii coniectura arrisit: Joui O. M. atque consiliario se administrum datum, quia ipse Jupiter esset consiliarius, non augur.

in auspicio] Mendi auspicia est haec necessaria correctio et pridem uulgata. Wagneri inepta est coniectura qui in auspicio esse iusserint sc. magistratus. Ut magistratus augurem, ita procul dubio augur, qui capite obuelato sedebat (Liu. I, 18.), ministrum in auspicium adhibebat. Mox coeli partes definitae sunt templa, quae liberata et effata habere augures dicuntur II. §. 21. Quorum fines definiti erant, ut urbis pomoerio. Cf. Hartung Relig. der Römer I. p. 117. Quae quia Bakius confudit cum templis minoribus, quae augur ipse, quotiescumque auspicaturus erat, lituo descripsit, imperite pro definitas coniecit diuinitus.

opem referre]. Haec codd. dett. scriptura (nam parum recte ex Bakii silentio collegeris in codd. 10. 39. 58. 96. esse opem rei publicae ferre) confirmatur mendo cod. E referret, ut quae est in codd. A 11. 65, opem rei publicae ferre, correctionem esse pateat, saepe in his codd. tentatam. Quam immerito probarunt Man. (sed hic rei publ. ferre opem) Lamb. Dau. Sch. Mos. Or. Bak. At nusquam, inquiunt, quisquam bonus scriptor dixit opem referre. Et quidem dici non potuit, ut simpliciter auxilii ferendi notio declararetur. Recte uero hoc loco opem referre augures dicuntur, qui in locum quendam se conferunt atque inde regressi opem referunt. Nam referre non solum uim habet rei, quam in locum aliquem tuleris, inde referendae, sed etiam rei, quam inueneris, in eundem locum referendae, unde primum profectus sis, ueluti apud Caes. B. C. I, 35. Massiliensium legati Caesaris orationem domum referre et in Fragm. Cic. ap. Non. 380, 31. legati simpliciter responsa referre dicuntur. Atque huic rationi optime conuenit loci descriptio e quibus, pro quo sine codd. auctoritate et sine ulla causa idonea Gebh. Ern. Wagn. Goer. Sch. de quibus, Uict. et Steph.

et quibus scripserunt. Datiuo rei publicae profecto non opus est, cum opem augures eo referre pateat, unde profecti sint i. e. ab urbe.

§. 44. Et nondum inuentis cet.] Particulam et in editt. ante Dauisium omissam et codd. praestant et flagitat oratio. Nimirum legi indicatae adiungit obseruationem. Reliqua uarie coniecturis sunt tentata. Pro intis uel initis Lbinus recepit codicis Memm. correctionem cognitis, quae nuper Bakio placuit, Dauisius coniecit notis, quod Zumptio arrisit, Gzius cum Sch. Mos. Orellio natis; pro negotialis autem excepto Bakio omnes Lbini coniecturam ne cogitatis quidem probarunt. Sed quemadmodum Turnebi coniecturam inuentis, quae Ernestio placuit et Mosero et denuo commendata ab Halmio est, facile largior ceteris multo esse probabiliorem (cf. III. §. 34. neque lator quisquam est inuentus; et simile mendum initas II. §. 1. cod. γ habet pro inuentas): ita alteram correctionem ne cogitatis quidem Bakio assentior ineptam esse. Nam quomodo in posterum prouidere potuerint, si ne cogitabant quidem seditiosos tribunos, iure quaeritur. Quod autem ipse inuentum ex marg. edit. Venet., qua utebatur, repetiit nobis quidem, id, quia a codd. uestigiis longissime discedit, nullo pacto probari potest. Verissime Halmius in Phil. I. p. 178. seditiosis tribunis alios adiungi intelligens minus uituperabiles, id quod ante suspicione iam Bakius attigerat, mendo illo adiectiuum contineri perspexit. Sed pro illius coniectura ne noxiis quidem, ut sensus tribunorum utroque adiectiuo declaretur, substitui necesse est ne malis quidem; idque confirmatur uerbis illis III. §. 24. nonnullos in omni memoria reperies perniciosos tribunos, leues, etiam non bonos (i. e. malos) fortasse plures.

in priuos] Cf. quae dixi III. §. 11.

haec uis sit, ut sit cet.] Uerissima est haec Rathii coniectura, quam Moserus probauit atque Orellius et ad litterarum similitudinem et ad sententiam. Nam legis, non diuinae illius, cuius uim libro primo explicauit, sed popularis uim definit prorsus eodem modo atque Festus s. u. rogatio p. 135. quod in omnes homines resue populus sciuit, lex appellatur. Cf. etiam III. §. 17. conuersa lex in omnes est. Verbis ut sit propter mirificam eorum cum praecedentibus similitudinem omissis in eo codice, ex quo cod. arch. fluxit, tentata correctio est scitum est iussum. At non sciti definitio traditur, sed legis. Utrumque uerbum etiam coniungitur Cic. pro

Balb. 18, 42. cum scita ac iussa nostra sua sententia comprobat. Male Gzius et in oratione posuit haec uis, sit scitum et iussum et in annot. coniecit haec uis, ut sit scitum et iussum; nec melius Turn. Lamb. Wagnerus, quod idem Ernestio placuit: haec uis sit scitum esse et iussum. Particula ut tam h. l. opus est, quam III. §. 2. magistratus hanc uim esse, ut praesit. Dauisius: haec uis sit, scitum est et iussum, quasi per se concepta definitio tradi possit. Halmium iam coniecturae suae ut scitum sit iussum in omnes poenitere puto. Bakius et inepte et audacter: ut scitum quod sit iure teneat omnes.

ferri de singulis] Hoc ad iudicia populi pertinet. Cf. III. §. 11.

fuse] i. e. sine discrimine ordinum, aetatum, census. Similiter I. §. 36. fuse is disputare dicitur, qui diuersas res non sane distinguit. Male Dau. coniecit quod est in cod. 10. confuse.

§. 45. uir magni ingenii summaque pr.] Rarior quidem nec tamen noua est haec casus enallage, quae meliorum etiam codd. mendo confirmatur. Loco a Bakio laudato Brut. 67, 237. adde Nep. Dat. 3, 1. hominem maximi corporis terribilique facie. Cic. ad Fam. I, 7. 11. Lentulum eximia spe, summae uirtutis adolescentem. Cic. Off. I, 19. 99. reuerentia aduersus homines et optimi cuiusque. Male Gzius secundum codd. dett.: uir magnus ingenio summaque pr. De Dauisii coni. Sch. Mos. Or.: magno ingenio. Paullo ante sine codd. Lamb. Ern. Wagn. in nostra causa. Mox actum esse de nobis sc. quod quidem iure actum dixeris. Itaque non opus est correctione, quam Halmius se malle dixit actum esse de nobis iure, qui commode laudauit Cic. pro Sest. 34, 73. de Prou. cons. 19, 45. pro Dom. 26, 68.

omnia illa] Ueterem correctionem comitia illa quia nullo pacto probari posse Bakius intelligebat (comitia habentur, non geruntur) locum sanatum putabat mendo amicta omisso. Sed uere Halmius, in quod idem ego incideram, in mendo illo latere dixit omnia. Cum causa Ciceronis ante sit commemorata, satis aperte res, quae a Clodio gestae erant armis seruilibus, pronomine monstrantur. Cf. de seruitiis a Clodio concitatis quae dixi III. §. 25. Mox mendi possent a Uict. Steph. Ern. retenti necessaria correctio est posse, imperita Schefferi coniectura posse sed neque ulla. Deinde inepte Dauisius dett. codd. mendo insistens posse neque illa priuilegia. Omnino nulla

comitia rata esse dicit, quibus priuilegium irrogetur. Intelligit autem legem, quam Clodius tulit, ut qui ciuem rom. indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur; qua lege, etsi non nominabatur, tamen solus Cicero petebatur. Cf. Halm. pro Sest. 10, 24.

et uobis] Sic Uict. Steph. Man. Bakius; reliqui nobis.

Clarissimi uiri] Cum L. Lentulus cos. de Cicerone reuocando ad senatum retulisset et L. Cotta Ciceronem, qui nulla lege abesset, senatus auctoritate reuocari oportere dixisset, Pompeius censuit, ut ad senatus auctoritatem populi quoque rom. beneficium erga eum adiungeretur, eiusque sententia obtinuit. Cf. pro Sest. 12, 74. Deinde latrones correctio necessaria est. Eodem nomine Catilinae socios appellat pro Sest. 1, 2. Tum sciuisse dicerent omisso pronomine recte Bakius et ante Stephanus; reliqui sciuisse se dicerent Cf. III. §. 43. Denique ex cod. Par., cui suffragantur γ Gd. 1. 10, Dauisius inepte cuncta Italia.

XX. §. 46. Sequitur] Haec mendi sequid correctio, iam in codd. aliquot tentata, iure Gzio, Mosero, Orellio, Bakio placuit. Est enim una quaedam lex, non plures, nec potest, quemadmodum Wyttenbachio uisum est, qui legis retinendum censebat, pluralis ad singulas eius legis partes referri, ut sententia haec sit: sequuntur hae partes legis, quae sunt de captis pecuniis et de ambitu. Ac tamen Uict. Gebh. Ern., qui legis tenuerunt, et ipsi pluralem asciuerunt. Quem qui receperunt, ii rectius profecto deinde correctionem leges asciuerunt, ut Lbinus, qui simul et post pecuniis omisit, Dau. Wagn. Goer. Mos. Or. Sed probata correctione sequitur aut legis, id quod post Gzium et reliquis placuit et mihi ipsi olim placebat, expellendum est, aut, id quod nunc magis probo, illo seruato uerba hunc in modum interpretanda censeo: „dicendum deinde est de captis pecuniis et de ambitu, de quibus rebus lex sancit", ut non ipsam legem sequi indicet, sed ea, quae lege contineantur. Mirum sane est ab interprete legis, non leges esse suppositum, aut hoc si suppositum fuit, mutatum in illud esse. Steph. et Man. sine codd.: de ui, de captis cet.; similiterque Steph. et Lbinus §. 11. in ipsa lege: uim ne faciunto, donum cet. Causam huius supplementi uerba fuisse patet deinceps posita uis capite, de quibus mox uidebimus.

Quae quoniam] Genus neutrum pronominis refertur ad res contra legem commissas, non ad leges. Necessaria igitur est scriptura codd. dett. sancienda. Deinde pro

quum, nisi cum editoribus omnibus sunt, quod in cod. arch. fuisse certum est, mutare uolueris in sint, in hac causae declaratione restitui necesse est quoniam (cf. Madu. de Fin. p. 25.), id quod propter frequentem utriusque uoculae quum et quoniam confusionem satius duxi. Mox Dau. temere coniecit e suo uitio pro in suo uitio, cuius generis simillimum exemplum Moserus hoc Nepotis laudauit Att. 11, 6. ne qua in re iure plecteretur; non inepte quidem, sed tamen sine necessitate in suo quisque uitio. Cf. Cic. de Off. II, 22. 78. ut sit libera et non sollicita suae rei cuiusque custodia.

noxiae poenae par esto, ut cet.] Non ad hanc solam legem de captis pecuniis uerba legis §. 11: quod quis earum rerum — par esto pertinere, sed generale hoc esse praeceptum uere Bakius animaduertit. Itaque recte exemplis rem illustraturus etiam uim commemorat, de qua ante dixit. Quae ipsa res causa fuit supplementi de ui. Sed hinc etiam hoc elucet, melius in lege § 11. maiorem interpunctionem poni ante uerba quod quis.

Legum custodiam cet.] Cura aerarii, in quibus leges et senatus consulta seruabantur, mandata erat quaestoribus. Qui quia et annui et iuuenes (nam quaestura erat primus gradus honoris) tabulariae rei non admodum periti erant, omnis ea cura Ciceronis aetate relicta erat apparitoribus et quidem scribarum generi, qui librarii uocabantur (cf. Beckeri Ant. rom. II, 2. p. 373.); nam superiore aetate maiorem ei rei diligentiam esse adhibitam ipse Cicero indicat. Itaque si quando legis usus erat, a librariis petebatur non satis diligenter eam semper describentibus. Mox publicam memoriam publicis litteris consignatam recte interpretantur tabulas publicas publica auctoritate confirmatas. Maiore codd. auctoritate et quia insigniore demonstratione non opus est, eae leges restitui pro uulgata scriptura hae leges.

νομοφύλακες creantur] Cf. de hoc illorum officio Schoemanni Ant. iur. publ. p. 299. 358. Hermanni Ant. gr. p. 129. not. 15. Bakii coniectura creabantur propter ea, quae sequuntur, tempora imperfecta (obseruabant — reuocabant) uidetur necessaria esse, nisi pro his praesentia restituere malueris obseruant — reuocant, id quod commendari quodammodo uidetur mendo optimi codicis Gd. 2. obserbant; et sane temp. praeteritum erat librariis causa esse potuit, ut deinceps imperfecta inferrent; nam nomophylaces Ciceronis aetate in Graecia

non iam fuisse nullo testimonio contestatum reperio. Qui et praesens et imperfecta tueri uolent, sic defendere debebunt, ut Ciceronem propter interiectum tempus praeteritum erat a praesenti delapsum esse dicant ad praeteritum, cuius sibi memoria esset paratior. Post nec cum solo Bakio omittere non debui pronomen hi, quod in melioribus codd. casu uidetur intercidisse. Uict. Steph. Man. nec ii.

§. 47. semper uolumus esse] Cf. III. §. 7.

Hoc in Graecia fit] Merito Orellius et Bakius Wyttenbachium et qui tacite hunc probauit, Moserum reprehendit, quod ante haec talia quaedam excidisse crederent: praeiudicent, ita tamen ut aliis integrum sit eos in iudicium uocare; idque ipso praeiudicandi uerbo satis significari dicunt, integram accusationem relinqui accusatori.

publice constitutis acc.] Scilicet logistae et euthyni, apud quos magistratus munere defuncti rationem reddere debebant rerum gestarum et pecuniarum expensarum, decem accusatores publicos sortitos sibi adiunctos habebant, quos Gzius cum ipsis logistis et euthynis confudit, merito a Bakio reprehensus. Illi igitur accusatores, si non satis iusta ratio reddebatur, ipsis logistis auctoribus apud illos magistratum defunctum accusabant; non erant igitur uoluntarii. Cf. Schoem. Ant. iur. publ. p. 240. Herm. Ant. gr. §. 154.

integram tamen legem] Ipsa lex integra seruabatur i. e. illo censorum praeiudicio nihil minuebatur de ea lege, quae criminibus illis poenam noxiae parem esse iubebat, ita ut posset accusator uel priuatum in iudicium uocare. Sic Bakius. Turn. et Man. legi, cui rationi uel particula que obstat iudicii uocabulo adiuncta. Dau. coniecit integram tamen litem.

quid? si nos tacemus, locus ipse te non adm.?] Sic Steph. Man. Bakius itemque Uictorius, sed hic retento mendo non tac. Pronomen te satis illud confirmatum et codd. melioribus et mendo deteriorum (nam tn̄ i. e. tamen natum est ex uerbis ten̄ i. e. te non) Gebh. Goer. Sch. Mos. Or. omiserunt. Dauisius: quid? si nos — locus ipse tamen adm. At pronomen quid? satis interrogari deinde indicat. Car. Steph. et Lamb.: si non tacemus — locus tamen ipse admonet; Ern. et Wagn. omisso pronomine quid: si nos tacemus, locus ipse admonet.

§. 48. de iure populi rom.] Ante quidem ius ipsum constituit ciuitatis; iam Atticus disseri uult, quo iure et priuati et magistratus utantur (cf. de potes-

tatum iure), idque pro ea, quam inierat, ratione sic faciendum esse.

quid tandem — requiras?] Non hoc quaeri, cur istud nunc requirat (id quod Bakio uisum est coniicienti quid id tandem, hoc loco est, quod requiras), ostendunt ea, quae sequuntur: quod ignorari — turpissimum puto. Quaerit hoc potius, quid requirat; eaque ipsa sententia codicum scriptura continetur, quam sic queas dissoluere: id, quod tale est, ut requiras, quid est? Itaque requirendi notionem, quam indicatiuo requiris posito ad ipsum factum referre potuit, uniuersam et mente conceptam declarauit. Haec igitur et huius coniunctiui ratio est et eius, pro quo male Bakius dixit opus esse indicatiuo I. §. 34. (quid enim est, quod differat, cum cuncta sint paria?).

peti] Haec Manutiana mendi lego correctio necessaria est eaque a Lbino et Dauisio recepta non displicuit Wagnero, Wyttenbachio, Mosero, Zumptio. Gzius, qui cum aliis retinuit mendum, ineptissime sic interpretatur: „non aliter quam a librariis legere possum". Petendi quidem uerbum Ciceronis esse luculenter uerba ostendunt: ut modo dictum est, ut probari nullo modo possit Bruti coniectura legi; necti autem illud ex uerbis his eisdem necesse est proptera, quia, si peto scriberetur, comparandi particula deesset. Mirum est a Bakio Orellii rationem probari, qui lego expellendum iudicauit nulla alia in eius locum uocula substituta. Quae quidem ratio ita probabilis esset, si in utraque sententia uerbum idem esset, ueluti: ut modo a te dictum est imprudentes, sic ego cautos etiam uituperari uideo.

plerosque] Haec mendi correctio, recepta a Steph. Man. Lbino et probata a Wagnero, Orellio, Zumptio et meliorum codd. mendo animaduertorosque confirmatur et ipsa sententia. Cf. de hoc mendi genere, quod cernitur in syllabae omissione II. §. 28. Praua est dett. codd. correctio a plerisque probata, quia quisque non nisi cum aliqua distributione et separata singulorum hominum significatione dicitur. Cf. quem Bakius laudauit Madu. de Fin. p. 28. Inepte Bakius coniecit: animaduerto eos, qui in magistratibus sint, quasi uero de omnibus id dicere liceat, exceptus nemo sit.

cum] Hoc, quod olim Uict. Lamb. Dau. ediderunt, merito nunc Bakius iusta codd. auctoritate reuocauit, temporalem, non causalem coniunctionem requiri dicens.

de sacrorum alienatione] Cf. II. §. 50.

de potestatum iure] Quae modo posita sunt: plerosque in magistr. ignoratione iuris siu luculenter arguunt Marcum ab Attico admoneri, ut de magistratuum iure disputet. Rectissime igitur Madu. in Emendatt. p. 107. codicis Mon. correctionem probauit, quae nunc mendo etiam confirmatur codd. meliorum de potestate tum uel cum iure. Quam repudiare Bakius non debuit, quia potestas non diceretur pro magistratu. Cf. II. §. 31. et Halmium pro Ses. 26, 56. Inepte Bakius, ut ante Lbinus: de potestate eorum et iure. Nimirum de ipsis potestatibus iam dixit, nunc de iure earum dici uult. Ceteri de potestate tum iure (Uict. Steph. Man.) aut de potestate, tum de iure (Gebh. Dau. reliqui excepto Bakio).

§. 49. M. Junius sodalis *)] Intelligitur M. Junius, qui propter intimam cum C. Graccho familiaritatem Gracchanus appellatus est, cuius librum de potestatibus memorare dicitur Ulp. libr. l. de Off. quaest. et ad quem prouocat et Gell. N. A. XIV, 8. et Plin. H. N. XXXIII, 9. Sodalis dicitur propter familiaritatem, quae ei cum M. Pomponio, Attici patre, intercedebat; nam hunc quoque in fidissimis Gracchi amicis fuisse Plut. scribit in C. Gracch. p. 842; et ad M. Pomponium certe scripsisse C. Gracchum Cic. tradit de Diu. II, 29. 62. (sumsi pleraque a Bakio).

nos autem cet.] Edebatur inde a Turnebo at nos de iure naturae cogitare per nos atque dicere debemus; in qua correctione rectissime se habent uerba postrema cogitare per nos atque dicere. Nimirum significat in iure naturae et in re publica secundum illud constituenda se sequi non posse ea, quae tradita sint, sed ipse quid sentiat, dicere debere; de iure populi romani se dicere debere, quae tradita sint. Quibus uerbis M. Junium ducem se esse secuturum significare uidetur. Haec igitur placent, displicet autem uehemens illa personarum oppositio, quae particula at continetur. Itaque posteriore illius correctionis parte retenta asciui ex Bakii coniectura ceteroquin parum probabili (cf. ann. crit.) uerba ea, ad quae ducit ipsum codd. meliorum mendum diligent nos at. Quemadmodum enim III. §. 4. (nos autem — accommodabimus) se ipsum opponit rei publicae temperationi romanae, ita se h. l. opponit M. Junio; eiusque rei causa haec fuit, quod sententiam eam, quam nos quidem secun-

---

*) in ipsa oratione casu prima huius uerbi littera expressa est maiuscula.

dariam reddere solemus (während wir über das Naturrecht unsere eigenen Gedanken darlegen müssen — cf. quae dixi III. §. 7. adde Cic. de Off. I, 1. 2. de rebus ipsis utere tuo iudicio) alteri ex aequo praeposuit. Dissolui autem unam coniunctam notionem (unsere eigenen Gedanken ausdrücken) in duas, ut utraque pari sit dignitate, nihil noui habet. Peruerse et Lbinus: at de iure naturae cogitabimus per nos, quae dicere debeamus et Dauisius: at de iure naturae cogitare per nos est, quae dicere debeamus. Naturae uocabulum sine causa suspectum fuit Ernestio in Clau. Cic. s. u. Junius.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Praeter menda priore uol. iam indicata multa etiam alia corrigenda sunt, quorum nonnulla mea tunc, cum illa describebantur, aegrotantis culpa, pleraque incredibili eius qui formis describebat, socordia commissa sunt.

Vol. I.

p. 9. in ann. crit. v. 24: 65 pro 55.
„ 11. „ „ „ v. 7: honeste pro honestc.
ibid. „ „ „ v. 13: quaerimus pro aerimus.
p. 15. in orat. v. 19: iam nunc retineri uolo pro etiam.
„ 16. „ „ v. 8: omni nunc retineri uolo pro hominis.
„ 31. in ann. crit. v. 22: post 39. addo: et om. E δ Gd. 2.
„ 32. „ „ „ v. 15: ingenium pro ingenia.
„ 33. in orat. v. 18: omnium pro omninm.
„ 37. „ „ v. 19: apiscendi pro adipiscendi.
„ 41. „ „ v. 1: post decus delendum est quod.
„ 42. „ „ v. 1: ante modica addendum est uita.
„ 43. „ „ v. 10: habere pro hahere.
„ 45. „ „ v. 7: in marg. addendum est cap. XXIV.
„ 68. in ann. crit. v. 15: Gulielmi pro Uictorii.
„ 70. in orat. v. 16: urbes quas nos pro quas nos urbes.
„ 78. in ann. crit. v. 7: habent pro hahent.
„ 78. „ „ „ v. 15 et 16: adde in ante ipsa.
„ 81. in orat. v. 2: particulam que nunc omitti uolo.
„ 91. „ „ v. 7: crucem praefigi oportuit uoculae quod.
„ 92. „ „ v. 1: heredes pro heredem.
„ 92. „ „ v. 8: corona praefigenda est uerbis si uos.
„ 93. „ „ v. 4: quodsi pro quod si.
„ 93. „ „ v. 7: crucem praefigi oportuit uerbo super.
„ 93. „ „ v. 13: post uerba sitque ea adde non.
„ 94. „ „ v. 1: in marg. 55 pro 56.
„ 96. „ „ v. 4: restitui nunc malo contexerat.
„ 97. „ „ v. 4: ante Uideo adde Att.
„ 99. „ „ v. 15: quoque pro quoqne.
„ 105. „ „ v. 2: pro unam retineri nunc uolo minam.
„ 105. in ann. crit. v. 3: ad pro ud.
„ 110. in orat. v. 13: coronam praefigi oportuit uocabulo populi.
„ 110. „ „ v. 16: discordiae pro discordiaeue.
„ 111. „ „ v. 6 et 7: scribi nunc uolo: consules magisterue populi non escunt, reliqui magistratus ne sunto.
„ 111. in ann. crit. v. 12: post equitatem adde cumque.
„ 114. in orat. v. 1: deleri nunc uolo simul.

p. 119. in orat. v. 6: post tempore adde nescio quo pacto.
„ 119. in ann. crit. v. 7: iam pro am.
„ 125. in orat. v. 11: hominibus pro hominibns.
„ 126. in ann. crit. v. ultimo: post cupiditatibus adde eisdem.
„ 129. „ „ „ v. 11: nobili pro nobis.
„ 131. „ „ „ v. 23: lex est recitata pro recitata est lex.
„ 133. „ „ „ v. 3: uulgata pro uulguta.
„ 133. in orat. v. 1: corona praefigenda est uocabulo actor.
„ 139. „ „ v. 14: sodalis pro Sodalis.

Vol. II.

p. 6. v. 2: II, 7. 16. pro II, 5. 15.
„ 13. v. paenultimo: ego quid sentiam ut pro ut ego cet.
„ 14. v. 24: orationes pro orationis.
„ 16. §. 9. pro §. 8.
„ 16. v. 6. ab imo: comma delendum est ante excellentis.
„ 32. v. 8: scribe εἶναί φασι.
„ 37. v. 7: quodquia pro quod quia.
„ 84. v. 5. ab imo: arboris pro arbores.
„ 91. v. 3: II pro III.
„ 109. v. 13. ab imo: huc pro haec.
„ 117. v. 6. ab imo: argumentis pro argumentandis.
„ 119. v. 9. ab imo: aduerbium pro adiectiuum.
„ 120. v. 8: Manutius pro Manutins.
„ 121. v. 18. post Orellius adde: (siue quid aut scribo aut lego).
„ 121. v. 5. ab imo: post multis adde exemplis.
„ 131. v. 10: explicandae pro explicandi.
„ 137. v. 7. ab imo: latina pro latine.
„ 138. v. 6. ab imo: id enim iniust. pro idem in iust.
„ 147. v. 7. ab imo: Hoechstc pro Hoechse.
„ 148. v. 14: Haec adde ante mendorum.
„ 166. v. 7: expellendam pro expellendum.
„ 171. v. 7: frustra pro frusta.
„ 174. v. 2. ab imo: propius pro proprius.
„ 184. v. 26: ius pro uis.
„ 185. v. 18. ab imo: appellati pro apellati.
„ 199. v. 17. ab imo: Dio pro Dion.
„ 207. v. 10: ex qua pro ex quo.
„ 207. v. 16: ἂν pro ἄν.
„ 211. v. 16: ab imo: Lambiniana pro Lambiana.
„ 232. v. 5. ab imo: indicium pro significationem.
„ 236. v. 11. ab imo substitue: totum genus purgationis pro genus uncturae.
„ 244. v. 19: comma delendum est post Schuetzio.
„ 263 v. 5: auspicia adde ante si.
„ 265. v. 11: iudicandi pro accusandi.
„ 277. v. 17. ab imo post deleuit pro commate substitue punctum.

INDEX RERUM ET VERBORUM.